The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER INCHOATUS

ab aliis eiusdem Societatis Iesu presbyteris continuatus

SUMMI PONTIFICES LEO XIII, PIUS X, BENEDICTUS XV, PIUS XI

UT SIBI HOC OPUS DEDICARETUR BENIGNE CONCESSERUNT

SECTIO QUINTA

I[II]

INTRODUCTIONIS COMPENDIUM

PARISIIS (VI[e])

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA CASSETTE, 10

INTRODUCTIONIS
IN S. SCRIPTURAE LIBROS

COMPENDIUM

A R. CORNELY S. I.

PRIMO EXARATUM

NOVIS CURIS RETRACTAVIT

AUGUSTINUS MERK S. I.

EDITIO DECIMA

II

INTRODUCTIONIS SPECIALIS IN SINGULOS NOVI TESTAMENTI LIBROS



PARISIIS (VI^e^)

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA CASSETTE, 10

1929

C 814 c

11998

PIO · VNDECIMO · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS

IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS

AD · SANCTORVM · PATRVM

ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM

IVNIORVMQVE · INTERPRETVM

NORMAM · EXACTOS

ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT

RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS

AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI

SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS . INTERPRETI

QVI · SINGVLARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS

ID · QVIDQVID · EST · OPERIS

NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT

PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT

SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA

ADDICVNT · DEVOVENT

SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE

SACRARVM · LITTERARVM · AVCTORITATI

PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

APPROBATIONES

R. Cornely-A. Merk, S. I. Cursus Scripturae sacrae. *Introductionis Compendium.*

Imprimi potest :

Coloniae, die 29 januar 1929.

J. LAUER S. J.
Praep. Prov. Germ. Inf.

Imprimatur

Lutetiae Parisiorum, die 12 julii 1929

V. DUPIN
v. g.

PARS III

INTRODUCTIO SPECIALIS

IN

SINGULOS NOVI TESTAMENTI LIBROS

DISSERTATIO VII

DE EVANGELIIS SYNOPTICIS ET ACTIS APOSTOLORUM

CAPUT I

DE EVANGELIIS PRAENOTANDA

§ 1. De Evangeliis in universum

333. 1. Iesus Christus, Ioannes Baptista, eius praecursor, apostoli praedicationem suam termino unico comprehenderunt, quo vel maxime exspectationem populi Israel excitarent et impletionem promissionum divinarum annuntiarent. Proclamaverunt enim, advenisse *Regnum Dei (caelorum)*, Mt 3, 2 ; 4, 17. 23 ; 9, 35 ; 10, 7 ; Mr 1, 15 et passim. Ex ipsis ss. libris NT[1] autem elucet hoc termino Iudaeos illius temporis revera conclusisse totam salutis futurae summam, cf Mr 11, 10 ; L 19, 11 ; 23, 51 ; A 1, 6. Quare haec vox late fuit usitata primis religionis novae temporibus et apud ipsos ethnicochristianos notissima, ut ex libro Actuum Apostolorum et epistulis Paulinis colligimus. Non est huius loci, investigare in originem locutionis et ex VT et libris apocryphis sensum termini determinare. In NT aperte significatur eo tota plenitudo bonorum Messianicorum, quod ex Evv et aliis libris manifestatur (cf *HDieckmann* S. I., De Ecclesia I 14-186. 190ss. 259-277. 287-309. 316s, Fr. 1925).

2. Unde munus Christi et apostolorum est praedicare *regnum Dei*, Mt 4, 23 ; 10, 7 ; L 8, 1 ; 9, 2. 60 ; 16, 16 ; A 1, 3 ; 8, 12 ; 19, 8 ; 20, 25 ; 28, 23. 31. Adhibet autem potissimum S. Lucas saepius vocem *evangelizare* (εὐαγγελίζεσθαι) regnum Dei, 4, 43 ; 8, 1 ; 16, 16, aut evangelizare

verbum A 8,4 ; 15,35, aut Dominum A 11,20, aut Iesum A 5,42 ; 8,35 (resurrectionem A 17, 18 ; G 1, 15, fidem 1 Th 3,6 ; G 1, 23). Apud eundem S. Lucam et S. Paulum evangelizare absolute ponitur, ita ut obiectum subintellegatur (L 9, 6 ; 20, 1 ; A 14, 7 ; R 15, 20 ; 1 C 1, 17 ; 9, 16 ; 15, 2 ; 2 C 10, 16 ; G 1, 8 ; 4, 13), aut adhibetur cum obiecto personae, cui praedicatur, (L 3, 18, A 8, 25 ; 40, 13, 32 ; 14, 15 ; 16, 10, G 1, 9, 1 P 1, 12, sensu passivo Mt 11, 5 ; L 7, 22 ; Hb 4, 2. 6).

Pluries legitur *evangelium regni Dei*, Mt 4, 23 ; 9, 35 ; 24, 14 ; Mr 1, 14 (τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλ). Saepe simpliciter *Evangelium* (εὐαγγέλιον), Mt 26, 13 ; Mr 1, 15 ; 8, 35 ; 10, 29 ; 13, 10 ; 14, 9 ; 16,15, saepe apud Paulum, numquam apud Lucam (solum A 15,7 « verbum Evangelii », in sermone Petri, 20,24 « Evangelium gratiae Dei », sermo Pauli). Cum appositione legitur *Evangelium Dei*, R 1, 1 ; 15, 16 ; 2 C 11, 7 ; 1 Th 2, 2. 8. 9 ; 1 P 4, 17. *Evangelium Christi* Mr 1, 1 ; R 15, 19 (29) ; 1 C 9, 12. 18 ; 2 C 2, 12 ; (4, 4) ; 9, 13 ; 10, 14 ; G 1,7 ; Ph 1,27 ; 1 Th 3, 2 ; 2 Th 1, 8. *Evangelium meum* Paulus saepius, R 2, 16 ; 16, 25 ; 2 C 4, 3 ; 1 Th 1, 5 ; 2 Th 2, 14 ; 2 T 2, 8. *Evangelium gratiae Dei* A 20, 24, *evangelium praeputii* G 2, 7, *evangelium gloriae* Dei 1 T 1, 11. Ex his elucet appositionem diverso sensu intellegendam esse. Si Paulus loquitur de Evangelio Dei, patet agi de Evangelio, quod Deus hominibus nuntiat (Genit. subiect.), item si apostolus de Evangelio suo loquitur. Porro ex modo loquendi S. Pauli et contextu certum est, eum numquam hac locutione designare Ev scriptum (e. g. Ev S. Lucae). Si autem sermo est de Ev gratiae, regni Dei, praeputii, non minus certum est agi de *obiecto* Evangelii. Si vero legimus Ev Christi, quaeritur, sitne intellegendum Ev de Christo, an Ev quod Christus attulit et praedicavit. Ex modo loquendi alterum est concludendum, ut potius cogitandum sit Ev, quod Christus annuntiavit, sic etiam Mr 1, 1 ; cf R 1, 1s « Ev Dei, quod ante promiserat de Filio suo ». Ex hoc tamen loco et ex aliis apud Lucam 5, 42 ; 8, 35 ; 11, 20 *evangelizare Dominum*, Iesum, sequitur iam primis temporibus Christum non solum fuisse obiectum principale praedicationis, sed ipsum modum loquendi iam praeparari.

3. Iam si quaeritur, ubi locutio suam habeat radicem, ea in VT videtur inveniri. Vox Evangelii quidem non eo sensu legitur, quo toties in NT occurrit. Sed verbum *evangelizare* in VA non solum sensu profano usuvenit, sed etiam sacro, Ps 39, 10 ; 67, 12 ; 95, 2, maxime apud Is 40, 9 ; 52, 7 (R 10, 15) ; 60, 6 ; 61, 1 (L 4, 18 ; cf Mt 11, 5 ; L 7, 22). Cum apud *Isaiam* vox adhibeatur de praedicatione salutis et cum scriptores NT et Christus ipse ad hos locos aut explicite provocent aut clare alludant, facile potuit usus ex his locis derivari. Apud *profanos* scriptores Evangelium significat mercedem aut sacrificium pro bono nuntio allato. Nuntius ipse vocabatur ἀγγελία, apud posteriores scriptores εὐαγγέλιον, vel potius (cf 2 Sm 18, 20. 22. 25. 27 ; 4 Rg 7, 9) εὐαγγέλια 2 Sm 4, 10. Apud Graecos autem postea vox eodem fere sensu videtur usuvenisse ut in NT. In inscriptione inventa in Priene, ex anno 9 a. Chr., quae ad diem natalem Augusti refertur, locutio τῶν δι'αὐτὸν εὐαγγελίων videtur significare laetos nuntios,

qui propter Augustum mundo facti sunt (*Deissmann*, Licht vom Osten[4] 313. 447, Tb. 1923). Simili sensu vox adhibetur in inscriptione attica de Caesare Septimio Geta (c. 200) et Caesare C. Iulio Vero Maximo (c. 240), cf *Deissmann* l. c. 313s. *Philo* adhibet pluries εὐαγγελίζεσθαι, De opif. Mundi 115 ; De Jos. 245. 250 ; Legat. 99. 231. *Iosephus*, Ant. VI 4, 2. Εὐαγγέλιον apud *Philonem* non legitur, *Ioseph.* Bell. iud. II 17, 4 Floro calamitas publica erat εὐαγγέλιον.

4. Cum Evangelium secundum apostolos, praecipue secundum S. Paulum pro obiecto habeat Christum, eius personam, vitam, mortem, resurrectionem, cum non solum Christi Messianitas, sed etiam multa facta singula et ipsa Christi verba et mandata sint obiectum et argumenta praedicationis, quibus dubia et quaestiones quaecumque solvuntur, fieri non potuit, quin doctrina Christi et eius persona primarium obiectum Evangelii constituerent et mox hic terminus eo sensu passim adhibitus sit, quo nobis familiaris est.

Apud scriptores temporis insequentis usus vocis Evangelium et evangelizare frequens est, cf *Clemens* Rom. 42, 1-3, « apostoli evangelizati sunt a Christo et ipsi evangelizant ». *Initium Evangelii* Clementi est cum Paulo (Ph 4, 15) initium praedicationis et religionis christianae (47, 2). Paulo postea ineunte saeculo secundo *S. Ignatio* Antiocheno Evangelium est nuntius et doctrina de Christo (ad Philad. 5, 1s ; 8, 2 ; 9, 2, ad Smyrn. 5, 1 ; 7, 2). Ex contextu autem, ex oppositione ad VT, maxime prophetas, videtur sequi Ignatium iam loqui de Evangelio scripto. Quod confirmatur *Doctrina Apostolorum*, quae provocat ad Evangelium, « sicut habetis in Ev » 15, 3s, cf 11, 3 « facite secundum mandatum Evangelii ». In his locis manifeste Ev scriptum supponitur. Unde discimus iam ineunte s. 2 libros de Christo agentes et eius mandata referentes inscriptos fuisse Evangelium. Cum autem *Marcion* c. a. 140 Romae librum suis asseclis traderet, illum inscripsit Ev, sequens usum Ecclesiae. *S. Iustinus* vero eundem modum loquendi tenet in Dial. 10, 2 ἐν τῷ λεγομένῳ εὐαγγελίῳ, 100, 1 « in Ev scriptum est ». Iam antea autem in Apol. I (c. 155), in qua libros de Christo et eius doctrina scriptos pluries nomine ἀπομνημονεύματα appellat, appellationem, quam habent apud Christianos addit primo adhibens numerum pluralem, ἃ καλεῖται εὐαγγέλια, 66, 2. Ex modo loquendi Iustini videtur insinuari terminum apud eos, qui linguae puritati studebant, nondum fuisse receptum, ut excusatione indigeret coram lectore erudito. Inde fortasse explicatur, quod *S. Lucas*, Pauli discipulus, vocem tam raro et solum in sermonibus aliorum usurpat, dum *evangelizare* ipsi tam familiare est (25[les]), et Paulus voce Evangelium toties utitur (61[les]). Usum eiusdem temporis testantur *Martyrium S. Polycarpi* (155), 2 *Clementis* 8, 5, « dicit Dominus in Ev » ; 4 « docet Ev ». Ex *S. Irenaeo* deinde discimus terminum mox receptum esse et applicatum ad libros de Christo tractantes.

Cum *Marcion* librum suum inscripserit Evangelium, sine dubio secutus est morem priorem, qui iam agnoverat hunc terminum. Ex *Iustino* autem

scimus eius tempore fuisse plures libros, qui hac inscriptione et appellatione insigniti erant, et ipse docet, quinam eorum fuerint auctores, etsi nomina ipsa non tradit, solum enim dicit libros scriptos esse ab apostolis Christi et eorum discipulis. Neque dicit, quot libros agnoscat. Sed de his brevi post S. Irenaeus fuse loquitur, nomina ipsa et numerum quaternarium tradens.

5. Rectius autem, ut *S. Augustinus* monet, de quattuor libris *unius* Evangelii, quam de quattuor Evangeliis loquemur (in J tract. 36, 1). Quod eo magis approbamus, si meminimus, quis fuerit sensus primitivus vocis, et quantopere S. Paulus semper unitatem Evangelii inculcaverit. Proinde libri sunt formae diversae eiusdem Evangelii, et describunt Christi personam et doctrinam sub diverso respectu. Verissimum est, quod *Origenes* affirmat: «quod per quattuor scriptum est, unum Ev est» (in J tom. 5, 7). Si ipsa Evv inscripta sunt *secundum* (κατά) Matthaeum, Marcum (non Ev Matthaei) et haec inscriptio in primam latinam versionem assumpta est, ex parte in forma graeca, quamvis inscriptio non sit profecta ab ipsis Evangeliorum scriptoribus, unitas Evangelii significatur, quod solum quadriforme est, non quattuor diversa Evv. Idem fortasse licet agnoscere ex facto, quod varia ratione saeculo secundo et postea quattuor hi libri ad unum aliquem redacta sunt. Quae tentamina ostendunt, omnibus persuasum fuisse Evv revera ad unitatem reduci posse.

334. 1. Si iam quaerimus, quomodo, quando, quibus de causis libri orti sint, qui Evangelii nomine inscribuntur, ex historia primae praedicationis et potissimum ex epistulis S. Pauli explicatio offertur. Invenimus enim ubique fundamentum doctrinae christianae personam Christi fuisse, fidem in ipsum, ut Apostolus saepe affirmat, 1 C 3, 11; 15, 1ss; 2 C 1, 19; 4, 5; R 1, 1-7, et passim.

Quare facta principalia eius vitae, mors pro salute generis humani, resurrectio et glorificatio identidem commemorantur, ipsius auctoritate et verbis dubia solvuntur, quaestiones deciduntur. Haec ex ipsa vita ecclesiarum discimus. Videmus enim, quomodo revera Christi fide et doctrina vita fidelium regatur, quomodo nomine Christi apostoli et praedicatores loquantur et eorum auctoritas nitatur mandato et missione Christi, legimus, qui sint viri primariae auctoritatis, qui ex ipso Christo suam potestatem repetunt, qui cum eo fuerunt. Introducimur proinde his epistulis in mediam historiam primae Ecclesiae et videmus influxum, quem Christus in primam illam generationem habuit. Constat itaque de fundamento firmissimo historico religionis christianae et factorum praecipuorum, et quaestio illa, quae nostris temporibus agitata est, de Christi exsistentia historica, ex ipsis epistulis Paulinis solutionem adeo certam et indubitatam invenit, ut nihil praeterea dicendum sit. Haec autem eo facilius hic praemittere licet, quod genuinitas epistularum S. Pauli independenter a quaestione Evangeliorum solvi possit. Atque nisi aliae rationes essent, epistulas has ante Evv tractaremus.

2. Ex iis autem quae exposuimus, intellegitur, cur mox collectiones verborum et sermonum Christi institutae sint. Illorum quidem non erat, qui ipsi cum Christo fuerant et eius doctrinam audierant, eiusmodi collectiones pro suo ipsorum usu facere, sed pro aliis et in eorum utilitatem necessitas magis urgebat. Ab initio non tam vita Christi aut vitae historia conscripta est, quam materia aliqua apta collecta est, quae praedicationi inserviret. Sed quo plura ex doctrina et factis assumebantur, eo magis necessitas ordinis alicuius oriebatur, atque cum mors et resurrectio Christi in omni praedicatione locum primarium occuparent, haec praeteriri non poterant. Unde aliquis ordo chronologicus postulabatur, et si de morte et fine vitae temporalis Christi sermo erat, de initio praedicationis aut ipsius vitae quaedam praemittenda videbantur. Ita paulatim collectiones illae minores amplificabantur et orti sunt libri illi, qui Evangelia appellantur. Continebant Evangelium Iesu Christi, eius doctrinam et facta praecipua, quibus regnum Dei nitebatur. Inter se hi libri habebant magnam similitudinem, sed pro diverso fine auctorum vel eorum, pro quibus libri scripti erant, eandem materiam sub alio respectu tractabant et aliam materiam saltem ex parte exhibebant.

3. Constat brevi tempore multa eiusmodi scripta orta esse, ita ut ante mortem S. Pauli aliquis scribere potuerit, multos conatos esse ordinare narrationem rerum, quae inter Christianos acciderant, L 1, 1. Ex libro autem hoc et eius prooemio discimus illo tempore iam viguisse studium et desiderium vitam Christi et eius gesta aliquo modo ordinare, sive secundum seriem chronologicam sive secundum evolutionem aliquem internam. Patet vero eiusmodi studium et desiderium eo magis fuisse excitatum, quo magis tempus progrediebatur et illi morte abripiebantur, qui testes rerum fuerant. Ex hac autem librorum multitudine pauci ad nos pervenerunt, alii prorsus interierunt. Nam magnus numerus eorum, quorum plerumque solae reliquiae nobis notae sunt, postea conscriptus est, saeculo secundo, tertio (cf 38). Duo tantum antiquiores sunt Evangelio Lucae. Praeterea aliud Ev servatum est, quod post Lucam scriptum est.

4. *Quattuor* ergo sunt Evangelia, de quibus nobis agendum est, quia ipsis secundum traditionem veterum maior et singularis competit auctoritas. Nullum quidem ex his prae se fert nomen ipsius auctoris, sed auctores inscriptionibus et titulis postea additis et traditione determinantur. Duo ex Evangeliis dicuntur scripta ab immediatis Christi discipulis, alia duo ab apostolorum discipulis. Ordo autem chronologicus, qui traditus est, primum Ev adscribit Matthaeo apostolo, alterum Marco Petri discipulo, tertium Lucae Pauli comiti, quartum Ioanni apostolo. His vero libris scriptores ecclesiastici a medio saeculo secundo constanter utuntur, ad libros et auctores provocant, ex iis doctrinam hauriunt, eorum dicta et narrationes tamquam auctoritatem supremam allegant. Antea iam

hos libros adfuisse ostendi potest, sed non afferri solent nomina auctorum. Pluries quidem, ut iam vidimus, allegationes ex fontibus scriptis haustae sunt, sed non apponuntur nomina vel tituli librorum. Quia vero hi quattuor libri apud omnes tantae sunt auctoritatis, quaeritur, num nomina recte tradita sint et auctores fidem mereantur. Quaeritur proinde, quam habeamus certitudinem vere scientificam de genuinitate et auctoritate nostrorum Evangeliorum.

5. Antequam ad inquisitionem accedimus, praemittimus pauca de librorum traditione. Ex iis, quae in Introductione Generali dicta sunt, patet Evv tradita esse in codicibus multo pluribus quam quicunque alii libri sive V sine NT[1] (n. 63-65. 81). Codices posteriores omnes eundem ordinem tenent, ut Evv secundum ordinem chronologicum, quo orta esse creduntur, describantur. Antiquitus autem non erat hic ordo constans, sed magnopere differebat.

Ordo noster Mt Mr L J in codicibus graecis plerisque traditur, in omnibus fere codicibus Vg, syr (peš, harcl.), copticae posterioris versionis. Saec. 2 habetur in *Canone Murat.*, apud *Iren.* III 1, 2, apud *Orig.* (fragm. ex tom. 1 in Mt, n. 335, 2a), *Euseb. Athanas. Epiphan. Gregor Naz. Amphiloch. Ephraem*, alios.

Ordo Mt Mr J L habetur in syr cur, catalogo Mommseniano c. 360 (afric.), commentario latino *Theophili* (*Zahn*, GK II 368).

Ordo Mt L Mr J apud *Ambrosiastrum* (Quaest. ex NT 2, ML 35, 2391), Indiculum librorum cod. Mus. Brit. addit. 17469 (*Zahn* GK II 368. 289 N1), *Irenaeum* (III 9, 1-11 ; 7 ; IV 6, 1).

Mt J Mr L in catalogo Claromontano, cod. Veneto gr. Marc. 26.

Mt J L Mr in cod. D W X 594 a b e f ff q n o Ambrosius, got, pauci cod. Peš.

J L Mr Mt probabiliter cod. k. Certe Mr Mt sunt ultimo loco, de ordine J et L nihil constat, quia nihil conservatum est. Sed ex numero quaterniorum sequitur haec Evv ab initio descripta fuisse.

J Mt Mr L in Aegypto priore tempore saepius. Vocabularia sahidica et bohairica observant hunc ordinem; quia exempla ex J primo loco ponunt (*Scrivener-Miller*, Introd. II[4] 133. 137. *Zahn* censet, Origenem quoque J primo loco posuisse, sed argumentatio ex commentario in J t. 1, 4 non est efficax, et Origenes in L hom. 1 habet nostrum ordinem (cf *Kirch*, Ench. 247, *Zahn* II 372ss).

Tertullianus et *Cyprianus* non videntur sequi certum ordinem, saltem ex plurimis eorum testimoniis nihil cognosci potest.

§ 2. Testimonia de omnibus Evangeliis

335. 1. Antequam accedimus ad singula Evv, iuvat dare conspectum aliquem historicum, ex quo apparet, quae fuerit persuasio universalis in tota fere Ecclesia a medio saeculo tertio et retro usque ad initium saeculi

secundi. Testimonia autem eo maiorem habent auctoritatem, quia non solum magna ex parte a viris proficiscuntur, qui summae erant inter suos eruditionis et scientiae et traditionem antiquam optime perspectam habebant, sed etiam plerumque publica erant et contra eos edita, qui traditioni contradicerent.

2. *Testimonia.* *a*) Ex ecclesia *Alexandrina* antiquissima, in qua initia facta sunt scientificae expositionis religionis christianae.

Superfluum est multa ex *Origene* exscribere, cum eius libri abundent testimoniis et allegationibus. Duos afferimus locos, in quibus omnibus Evv testimonium exhibet simul ea distinguens ab aliis omnibus libris similibus. Testimonium est ex a. fere 233 et redditur occasione expositionis prooemii *Lucae*, hom. 1, 3-6 (MG 13, 1801ss, *Kirch*, Ench. 247). In qua expositione voce ἐπεχείρησαν tacitam accusationem contineri suspicatur Origenes contra eos, qui temere et sine gratia ad conscriptionem evangeliorum accesserint. Ματθαῖος γὰρ οὐκ ἐπεχείρησεν, ἀλλ' ἔγραψεν ἐξ ἁγίου κινούμενος Πνεύματος, ὁμοίως καὶ Μάρκος, καὶ Ἰωάννης · παραπλησίως δὲ καὶ Λουκᾶς. Qui autem Ev sec. Aegyptios et Duodecim conscripserunt, ἐπεχείρησαν. In Mt t. 1 haec habet : ὡς ἐν παραδόσει μαθὼν περὶ τῶν τεσσάρων εὐαγγελίων, ἃ καὶ μόνα ἀναντίρρητά ἐστιν ἐν τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ, ὅτι πρῶτον μὲν γέγραπται τὸ κατὰ τόν ποτε τελώνην, ὕστερον δὲ ἀπόστολον Ἰησοῦ Χριστοῦ Ματθαῖον, ἐκδεδωκότα αὐτὸ τοῖς ἀπὸ Ἰουδαισμοῦ πιστεύσασιν, γράμμασιν ἑβραικοῖς συντεταγμένον · δεύτερον δὲ τὸ κατὰ Μάρκον, ὡς Πέτρος ὑφηγήσατο αὐτῷ, ποιήσαντα, ὃν καὶ υἱὸν ἐν τῇ καθολικῇ ἐπιστολῇ διὰ τούτων ὡμολόγησεν φάσκων · ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτὴ καὶ Μάρκος ὁ υἱός μου · καὶ τρίτον τὸ κατὰ Λουκᾶν, τὸ ὑπὸ Παύλου ἐπαινούμενον εὐαγγέλιον τοῖς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν πεποιηκότα. ἐπὶ πᾶσιν τὸ κατὰ Ἰωάννην (*Orig.* in Mt t. 1, *Euseb.* HE VI 25, 4-6 ; MG 13, 829). In Jos hom. 7, 1, cf n. 26 (MG 12, 857).

Origenis magister, *Clemens* loquitur de quattuor nobis traditis Evv (Strom. III 13), quae verba eo maiorem vim habent, quo facilius Clemens apocrypha allegare solet. In libro Hypotyposeon vero affert traditionem presbyterorum de ordine et origine singulorum Evv (*Euseb.* HE VI 14, 5-8).

b) Ex *Africa* testis est *S.Cyprianus*, qui in libris Testimoniorum innumeros fere allegat textus ex Evv. Magis autem Tertullianus nominandus est, cum in libris adversus Marcionem (post 207) traditionem catholicam vindicet.

Haec autem scribit : Constituimus imprimis evangelicum instrumentum apostolos auctores habere, quibus hoc munus Evangelii promulgandi ab ipso Domino sit impositum. Si et apostolicos, non tamen solos, sed cum apostolis et post apostolos... Denique nobis fidem ex Apostolis Ioannes et Matthaeus insinuant, ex apostolicis Lucas et Marcus instaurant...

Marcion evangelio, scilicet suo, nullum adscribit auctorem, quasi non

licuerit illi titulum quoque affingere, cui nefas non fuit ipsum corpus evertere... Ex iis commentatoribus quos habemus Lucam videtur Marcion elegisse, quem caederet. Porro Lucas non Apostolus, sed apostolicus, non magister, sed discipulus... Certe tanto posterior quanto posterioris apostoli sectator, Pauli sine dubio, ut et si sub ipsius Pauli nomine Evangelium Marcion intulisset, non sufficeret ad fidem singularitas instrumenti destituta patrocinio antecessorum. Exigeretur enim id quoque Ev quod Paulus invenit, cui fidem dedidit, cui mox suum congruere gestiit... Igitur si ipse illuminator Lucae auctoritatem antecessorum et fidei et praedicationi suae optavit, quanto magis eam Evangelio Lucae expostulem, quae Evangelio magistri eius fuit necessaria, adv. Marc. 4, 2.

Si apostolos praevaricationis et simulationis suspectos Marcion haberi queritur usque ad Evangelii depravationem, Christum iam accusat, accusando quos Christus elegit. Si vero apostoli integrum Ev contulerunt, de sola convictus inaequalitate reprehensi, pseudoapostoli autem veritatem eorum interpolaverunt, et inde sunt nostra digesta, quod erit germanum illud apostolorum instrumentum, quod adulteros passum est ? quod Paulum illuminavit, et ab eo Lucam ? 4, 3.

Ego meum dico verum, Marcion suum. Ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio, ei praescribens auctoritatem quod antiquius reperietur, et ei praeiudicans vitiationem quod posterius revincetur ? In quantum enim falsum corruptio est veri, in tantum praecedat necesse est veritas falsum, 4, 4.

In summa, si constat id verius quod prius, id prius quod et ab initio, id ab initio quod ab apostolis, pariter utique constabit id esse ab Apostolis traditum quod apud ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum... Dico itaque apud illas, nec iam solas apostolicas, sed apud universas quae illis de societate confoederantur, id Ev Lucae ab initio suae editionis stare, quod cum maxime tuemur, Marcionis vero plerisque nec notum, nullis autem notum ut non eadem damnatum... Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum ceteris quoque patrocinabitur Evangeliis, quae proinde per illas et secundum illas habemus, Ioannis dico et Matthaei, licet et Marcus quod edidit Petri affirmetur, cuius interpres Marcus. Nam et Lucae digestum Paulo adscribere solent, 4, 5.

Tertulliani verba ostendunt, quanta cum fiducia ad totius Ecclesiae consensum provocare potuerit.

c) Ex *Italia* praesto est *Fragmentum Muratorianum*, quod ab initio quidem mutilum est, sed certo nostra quattuor Evv agnoscit eaque sola. Nam tertium Ev attribuit *Lucae*, quartum *Ioanni* (2. 9). Prima autem verba manifeste ad Mr referenda sunt, ut dubium esse non possit, quin primo loco positum sit Ev secundum Mt. Ex ordine totius catalogi vero sequitur, alia Evv excludi et sola nostra quattuor agnosci.

Eodem fere tempore quo catalogus Muratorianus scriptus est, Romae *Tatianus* videtur composuisse suam Evangeliorum Harmoniam, Diatessaron, quod quattuor nostra Evv ita ordinat, ut continuam narrationem vitae Christi efficiant. Eum autem Evv canonica eaque sola adhibuisse textus, qui ad nos pervenerunt probant (Diatessaron arabicum, Harmonia *latina* et eius versiones posteriores, Commentarius *S. Ephraem.* Pauca

fortasse apocrypha in libro continebantur, sed haec ex parte derivari possunt ex textibus eo tempore iam aliquomodo corruptis).

S. Iustinus M. Tatiani magister item Romae commoratus et ibidem fidem sanguine suo obsignans numerum quidem quaternarium Evangeliorum non docet neque auctorum nomina tradit, at cum traditione posteriore concordat, si auctores dicit apostolos et eorum discipulos. Iam diximus Iustinum appellatione Evangeliorum raro uti, sed saepe terminum *memorabilium* (ἀπομνημονεύματα) eo tempore usitatum adhibet, cf Dial. 100, 4 ; 101, 3 ; 102, 5 ; 103, 6.8 ; 104, 1 ; 105, 1. 5. 6 ; 106, 1. 3. 4 ; 107, 1 ; Apol. I 66, 3 ; 67, 3. In plerisque locis allegatis apostoli exhibentur ut auctores horum librorum. Dial. 103, 8 autem praeter apostolos inter auctores etiam eorum discipuli commemorantur (ἐν γὰρ τοῖς ἀπομνημονεύμασιν, ἃ φημι ὑπὸ τῶν ἀποστόλων αὐτοῦ καὶ τῶν ἐκείνοις παρακολουθησάντων συντετάχθαι). Loco hoc Iustinus allegat L 22, 44 ; ergo textum apud solum Lucam descriptum eumque in pluribus codicibus antiquis omissum. Quia Iustinus aliquoties allegans apomnemoneumata apostolorum affert textus, qui ex Mr aut L desumpti sunt, ex ipso quoque sententia confirmari videtur, secundum quam Marci et Lucae Evv ad Petrum et Paulum reducuntur. Aliis deinde locis Iustinus ad scripta haec provocat, solum dicens apostolos scripsisse, Dial. 88, 3 ; Apol. I 33, 5, aut ponit verba et facta evangelica cum formula illa « scriptum est », Dial. 49, 5 ; 111, 3.

Ex his elucet, quam familiariter Iustinus Evv nostra adhibuerit, praesertim cum plurima ex omnibus alleget dicta et facta, quin nomen aut scripta ipsa explicite laudet. Quoniam autem Dial. 106, 3 nomina Petro et filiis Zebedaei imposita a Christo dicit scripta in memorabilibus ipsius (αὐτοῦ), quae verba ad solum Petrum referri possunt, videtur explicitum haberi testimonium traditionis quae Ev Marci Petro attribuit, nisi forte textus hoc loco corruptus sit. S. Iustinus cum probabiliter Ephesi c. a. 130 ad fidem conversus sit, non solum *Romanae* sed etiam *Ephesinae* ecclesiae testis antiquissimus merito habetur.

d) In *Asia* ipsa non solum allegationibus scriptorum notitia Evangeliorum ostendi potest, sed unus ex eis saltem tribus Evangeliis testimonium explicitum reddit, *Papias* episcopus Hierapolitanus, qui de Mt et Mr loquitur (*Euseb.* HE III 39, 14-17), et quia primam Ioannis epistulam secundum eundem Eusebium adhibet, saltem indirecte quartum Ev confirmat, praeterea in fragmento ipsi adscripto in Argumento secundum Ioannem testimonium aliquod quarti Evangelii legitur. Quia postea de his testimoniis accuratius disserendum erit, sufficit ea breviter commemorasse.

e) Ex *Asia* deinde alius testis insignis nominandus est, qui postea in occidentem profectus episcopus *Lugdunensis* factus est, *S. Irenaeus*. Cum notum sit, quantopere Irenaeus traditionis et defensor sit et aptissimus testis, patet eius verba summae esse auctoritatis. Traditiones Asiae ipse conservavit (cf ep. ad Florinum, *Euseb.* HE V 20, 4-8), Romam missus tempore persecutionis (c. 177) ecclesiae Romanae quoque testis est, et cum praeterea sciamus, eo tempore alios ex oriente in ecclesias Galliae

venisse fideles, constat ecclesias illas omnino fuisse coniunctas cum universali Ecclesia neque potuisse ignorare, quae in rebus maioris momenti traditio esset. Accedit vero, quod Irenaeus defendens doctrinam veterem contra Gnosticos et alios adversarios coram ipsis audacter ad testimonium traditionis provocat et ostendit, quomodo ipsi haeretici Evangeliis nostris testimonium reddant, cf adv. haer. III 3, 4. De Evangeliis autem saepissime loquitur, ut non necessarium sit singulos locos afferre, sed pauca sufficiunt, ubi de singulis refert, quae acceperit. Praecipua sunt haec : Ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν καὶ γραφὴν ἐξήνεγκεν εὐαγγελίου, τοῦ Πέτρου καὶ τοῦ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων καὶ θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν. Μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον, Μάρκος ὁ μαθητὴς καὶ ἑρμηνευτὴς Πέτρου, καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παράδεδωκεν. Καὶ Λουκᾶς δὲ ὁ ἀκόλουθος Παύλου, τὸ ὑπ' ἐκείνου κηρυσσόμενον εὐαγγέλιον ἐν βιβλίῳ κατέθετο. Ἔπειτα Ἰωάννης ὁ μαθητὴς τοῦ Κυρίου ὁ καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ ἀναπεσών, καὶ αὐτὸς ἐξέδωκεν τὸ εὐαγγέλιον ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας διατρίβων, III 1, 2.

De Evangeliorum testimoniis autem per haereticos confirmatis haec scribit : « Tanta est autem circa Evv haec firmitas, ut et ipsi haeretici testimonium reddant eis, et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam. Ebionaei etenim eo Evangelio quod est secundum Mt solo utentes, ex illo ipso convincuntur, non recte praesumentes de Domino. Marcion autem id quod est sec. L circumcidens, ex his quae adhuc servantur penes eum blasphemus in solum exsistentem Deum ostenditur. Qui autem Iesum separant a Christo, et impassibilem perseverasse Christum, passum vero Iesum dicunt, id quod sec. Mr est praeferentes Ev cum amore veritatis legentes illud, corrigi possunt. Hi autem qui a Valentino sunt, eo quod est sec. J plenissime utentes ad ostensionem coniugationum suarum, ex ipso detegentur nihil recte dicentes... Cum ergo hi qui contradicunt, nobis testimonium perhibeant, et utantur his, firma et vera est nostra de illis sententia », III 11, 7.

Mox autem ulterius progressus Irenaeus numerum *quaternarium* iam adeo receptum esse docet, ut eum fere necessarium habeat dicens : « neque plura numero quam haec sunt, neque rursus pauciora capit esse Evv ». Quod ex quattuor regionibus mundi et quattuor spiritibus principalibus ostendere studet, Ecclesiam propterea quattuor columnis debere esse firmatam, quadriforme ergo Christum dedisse Ev. Et quia Cherubim quattuor habent facies, Ev quattuor quoque formis nobis traditum esse 11, 8.

Primus est S. Irenaeus in accommodandis animalibus visionis Ezechielis 1, 5ss ad Evangelistas. Sed ita ut per leonem significari dicat Ioannem, per vitulum Lucam, per hominem Matthaeum, per aquilam Marcum. Alii postea symbola aliter distribuerunt. *S.Augustinus* leonem tribuit Matthaeo, hominem Marco, *Ambrosius* et *Hieronymus* hominem Matthaeo, leonem Marco, aquilam Ioanni, quod postea fere receptum est.

3. Quae testimonia si simul considerantur, totius fere Ecclesiae

persuasionem certam et indubitatam exhibent. Aliqui autem ex testibus propter eorum antiquitatem et relationes ad plures ecclesias et viros prioris generationis soli sufficiunt veritati stabiliendae. Papias testis est saeculi secundi ineuntis, Iustinus fere eiusdem temporis, Irenaeus etsi est paulo posterior, propter suam relationem ad S. Polycarpum et alios Asiae presbyteros non minoris est auctoritatis. Praeterea res quam testificantur talis est, ut non opus fuerit difficilioribus et longis inquisitionibus, cum ageretur de libris, qui iam publicae lectioni inserviebant (cf *Iustinus*, Apol. I 67, 3) et fundamentum erant fidei christianae. Non autem quoslibet libros, qui nomine Apostolorum circumferebantur, caece admissos esse, ostenditur illis ipsis testimoniis, quae attulimus, et reprobatione tot librorum, qui similem sibi auctoritatem usurpare contendebant, sed numquam consecuti sunt.

4. Immo illa Evv *apocrypha*, quae magna ex parte saeculo secundo orta sunt, nostra plerumque supponunt, secundum ea conficta sunt, ut saltem manifestent exsistentiam aliorum Evangeliorum, cum quibus aestimationem parem acquirere conantur. Alia porro ratione haeretici nostrorum Evangeliorum veritatem et agnitionem comprobant, cum ex ipsis Evv et eorum dictis haereses suas stabilire tentarent aut genuina Evv secundum suam doctrinam immutarent, quod iam *S. Irenaeus* saepius notavit, I 24,3s; 26,2; 27,2; III 11,7.9, *Hippolytus*, Philos. 7,22.25s. Tandem ex *Celsi* (tempore Hadriani et postea) impugnationibus contra religionem christianam sequitur eum non solum novisse Evv nostra, sed eorum auctoritatem summam apud Christianos ipsum non fugisse, cf *Origen.* contra Celsum 1, 8.

Cornely III 3-14. *EJacquier*, Histoire des livres du NT II[7] 1-34. *JSchäfer*, Die Evv u. die Evangelienkritik[2], 1911. *BHeigl*, Die vier Evv, Fr. 1916. *HJCladder*, Unsere Evv I, Fr. 1919.

CTischendorf, Wann wurden unsere Evv verfasst ?[4], Lp. 1880. *ThZahn*, Einleitung II[3], Lp. 1907, 163-186. The NT in the *Apostolic Fathers*, by a Committee of the Oxford Society of historical Theology, Oxf. 1905. *VHStanton*, The Gospels as historical Documents 1-2, Ca. 1903. 09. *AvonHarnack*, Kirchenverfassung u. Kirchenrecht in den zwei ersten Jahrh., Lp. 1910, 199-239.

§ 3. De Evangeliis synopticis et Actis Apostolorum

336. Evv *synoptica* dicuntur Evv secundum Mt Mr L. Nomen autem hoc ea de causa his Evangeliis impositum est, quia inter se maiorem habent affinitatem et similitudinem quam cum quarto Ev et quia eorum narrationes et ordo quasi uno conspectu (σύνοψις)

facile proponi possunt. Materia communis longe maior est quam materia, quam habent cum Ioanne communem. Ordo narrationis et praedicationis publicae Christi, distributio et distinctio praedicationis galilaicae et iudaicae est eadem, ipsi sermones Christi alii sunt apud Synopticos alii apud Ioannem. Sed antequam ad quaestionem de relatione mutua tractandam accedimus, de singulis Evangeliis agendum est, ut de eorum auctoribus et indole prius constet, de compositionis tempore et adiunctis, et his suppositis quaestionis solutio suscipiatur.

Librum *Actuum* Apostolorum ideo cum Evangeliis synopticis coniungimus, quia habet eundem auctorem ac tertium Ev et propterea plures quaestiones simul tractari possunt.

CAPUT II

DE EVANGELIO SECUNDUM MT

§ 4. De S. Matthaeo Apostolo

337. 1. *S. Mallhaei* nomen in Evv legitur in solis catalogis apostolorum et ea occasione, ubi a Christo Domino ad novam vitam et ipsius sequelam invitatur. Mr 3, 18 et L 6, 15 enumeratur loco septimo inter Bartholomaeum et Thomam, in A 1, 13 octavo loco inter Bartholomaeum et Iacobum Alphaei, et eodem loco Mt 10, 3 et appellatur publicanus, τελώνης. Antea autem, Mt 9, 9s, narratur vocatio publicani, Matthaei nomine; apud Mr 2, 14s et L 5, 27ss in eadem rerum gestarum serie narratur vocatio hominis nomine *Levi*(*s*), qui a Mr dicitur filius Alphaei, nomen Matthaei tamen Mr et L non hoc loco adscribunt.

Quare fuerunt, qui distinguerent publicanum Matthaeum et alterum Levi, inter quos *HGrotius*, *AHilgenfeld*, alii, ex antiquis *Heracleon* Valentinianus (Clemens Al. Strom. IV 9, 71) videtur hanc distinctionem tenere, *Origenes* (c. Celsum 1, 62) Levin publicanum et Matthaeum publicanum allegat, sed in Praef. ep. ad Rom. Matthaeum iis adnumerat, qui duo nomina gesserint. Praeterea *S.Ephraem* certo Levi distinguit a Matthaeo (Evang. concord. expositio 287). Duplex vero nomen hebraicum non creat difficultatem, cum exempla non desint (filii Mathathiae 1 Mach 2, 2-5, *Ioseph Barnabas* A 4,36). Utrum Matthaeus alterum nomen semper gesserit, an postea ipse sibi elegerit aut a Domino acceperit, non iam explorari potest.

Nomen secundum etymologiam significare videtur *donum Iahve* (Theodorus). Forma hebraica est מַתִּי, quae legitur Ioma 3, 1; 7, 6, Abot 4, 15 et alibi, et sec. b Sanhedrin 43a aliquis discipulus Christi hoc nomen gessit (in inscriptionibus Palmyrenis scribitur nomen מתא, alibi מתאי). Prior nominis pars derivatur a radice נתן, *dare*, altera pars est abbreviatio nominis sacri divini, יהוה. Secundum Onomastica nomen significat *donatus*, δεδωρημένος ἢ δοματισθείς, δόμα ζωῆς, cf *FrXWulz*, Onomastica Sacra, TuU 41, 232. 509. 682. Alia ratione interpretantur nomen *Nöldeke*, *Knabenbauer*,

Schmiedel-Winer, qui illud derivant a voce אמת, et intellegunt fidelem. *CLW-Grimm* autem censet מת (assyr. *mutu*, vir) nomini subesse et eo significari hominem virili virtute praeditum.

Unde Matthaeus fuerit, non est traditum, eius autem vocationem prope Capharnaum locum habuisse ex Evv constat. Quia Mr 2, 24 Levis dicitur filius Alphaei et Mt 10, 3 in catalogo Apostolorum Matthaeum immediate Iacobus Alphaei sequitur, aliqui hos duos habuerunt fratres. Sed quia nomen Alphaei est frequens et solus Iacobus filius Alphaei in hoc contextu dicitur, ratio allata non est convincens.

2. Post vocationem suam Mt in solis catalogis nominatur, neque in A quidquam de eo aut eius apostolatu narratur. Secundum traditionem posteriorem dicitur vitam austeram egisse, perpetuo a carnibus abstinens. Per 15 annos praedicationem in Palaestina exercuit teste *Clemente* (Paed. 2, 1, MG 8, 406). *Euseb.* vero nihil praeterea certi tradere potest (HE III 24, 6), neque *Hieronymus* alia novisse videtur. *Ephraem* narrat Apostolum apud Indos et in Iudaea Ev nuntiasse, sec. *Rufinum* autem (HE 1, 9, ML 21, 278), *Socraten* (HE 1, 19, MG 67, 126) et alios in Aethiopia, sec. *Ambrosium* (in Ps 45, n. 21) in Persia, similiter *Paulinus* Nolanus (carm. 19, 81, ML 61, 514), *Ps-Hippolytus* (de 12 Apostolis, MG 10, 952). De martyrio Apostoli antiqui nihil referunt, *Heracleon* negat Mt fuisse martyrem, Clemente non contradicente (Strom. IV 9, MG 8, 1281) cf Acta Sanct. Sept. VI 206ss.

§ 5. De S. Matthaeo Evangelii auctore

338. 1. Ev quod inscribitur sec. Mt ab initio saeculi 2 in tota Ecclesia agnitum et ea forma traditum esse, qua nobis notum est, plurimis testimoniis omnium fere scriptorum illius temporis comprobatur.

De *Origene*, *Clemente*, *Tertulliano*, *Cypriano*, *Hippolyto*, *Irenaeo* plenissime constat, neque de *Tatiano* dubium esse potest, quippe qui Diatessaron secundum Mt maxime composuit. *Iustinus* ad libros Apostolorum provocans saepe textus allegat, qui apud solum Mt inveniuntur, Apol. 33, 5 ; Dial. 101, 3 ; 102, 3 ; 103, 6 ; 104, 1 ; 105, 1. 6 ; 106, 4 ; 107, 1. Praeterea Iustinus plus quam 130 locis Mt allegat. Atque textus hi ex omnibus libri partibus desumpti sunt, ut de integro Ev omnino constet, non exclusa genealogia et infantia Christi.

Patres autem *apostolici* omnes in idem concurrunt testimonium, *Hermae Pastor*, ep. *Barnabae* 4, 14 allegat Mt 22, 14 verbis « sicut scriptum est ». Similiter *Didache* provocat ad Ev Domini nostri, secundum quod orationes et eleemosynas et omnia opera facere oportet, Mt 6, et alia. Neque minus *SS.Polycarpus*, *Ignatius*, *Clemens R.* notitiam Evangelii sec. Mt manifestant.

Proinde certissimum est, hoc Ev esse quam maxime ubique receptum et eius auctoritatem prorsus indubitatam.

2. Si autem ulterius quaerimus, unde haec auctoritas orta sit, traditio ab initio saeculi secundi unanimis est in auctore Evangelii assignando *S. Matthaeo apostolo.*

Iam ipsa libri inscriptio κατὰ Ματθαῖον, quae saltem a medio saec. 2 libro addita erat, persuasionem illius temporis ostendit et tam usitata erat, ut in codices aliquos latinos *(k)*, ad *Cyprianum* transierit. Designatur vero ea ipse auctor libri, quod ex testimoniis aliis et analogia eiusdem locutionis probatur. Nomen auctoris explicito testimonio refertur a *Tertulliano Origene, Clemente, Irenaeo, Hippolyto.* Quorum dicta antea iam attulimus. Sed antiquius testimonium nobis traditum est per *Eusebium* ex *Papia* Hierapolitano episcopo (HE III 36, 2 ; 39, 16). Papias sec. Irenaeum (V 33, 4) fuit Ioannis auditor, Polycarpi condiscipulus et amicus (ἑταῖρος). vir unus ex antiquis (ἀρχαῖος ἀνήρ). Irenaei testimonium de Papia, cum Asiam patriam habeat et noverit Polycarpum, plena fide dignum est.

Scripsit Papias Λογίων κυριακῶν ἐξηγήσεως libros quinque. De indole libri non perfecte quidem constat, sed ex iis, quae conservata sunt, recte concludimus opus tradidisse explicationes, dicta et exempla Domini et facta primi temporis ad verba Christi illustranda. Haec maxime ex primis discipulis et apostolis profecta esse dicuntur, ut Papias in prooemio operis exponit, l. c. 39, 3-4. Concedimus quidem Papiam in hoc libro plura recepisse, quae minus fide digna esse videntur, et Eusebium eum virum exigui sensus (39, 13) appellare ; attamen non ideo omnia eius verba reicienda sunt, sed singula examinanda, unde sint et quid recte ex eis erui possit.

Duo autem praecipue testimonia *Eusebius* ex *Papia* tradit de Evangeliis sec. Mr et Mt (39, 14-16). Prius saltem ex parte non est Papiae sed presbyteri cuiusdam nomine *Ioannis.* Huic testimonio *Euseb.* immediate subiungit alterum de Mt his verbis : ταῦτα μὲν οὖν ἱστόρηται τῷ Παπίᾳ περὶ τοῦ Μάρκου · περὶ δὲ τοῦ Ματθαίου ταῦτ' εἴρηται · Ματθαῖος μὲν οὖν ἑβραΐδι διαλέκτῳ τὰ λόγια συνετάξατο, ἡρμήνευσεν δ'αὐτὰ ὡς ἦν δυνατὸς ἕκαστος (συνεγράψατο 2 codices).

Interpretatio huius testimonii non est omni ex parte indubia. *a*) Nam primo disputatur, cuius sit, Papiae an potius Ioannis presbyteri, sicut testimonium praecedens de Mr. *Belser, Cladder*, alii utrumque ad Ioannem referunt. et rationes probabilitatem saltem gignunt (parallelismus inter utrumque testimonium, initium prioris de Mr, quod inducitur voce καί, qua docetur presbyterum antea aliud testimonium dedisse). Sed cum non exploratum sit totum de Mr testimonium a presbytero derivari, argumentatio non videtur peremptoria esse, et Papias probabiliter plura quam duo dicta presbyteri allegavit. Nihilominus si utrumque dictum comparamus, apparet ea inter se habere talem similitudinem, ut admittamus ea ab eodem profecta esse. Confirmatur eo quod probabile sit, presbyterum non

de uno solo Evangelio fuisse interpellatum. Sed fatemur rationes non esse tam invictas, ut nulla dubia iam moveri possint.

b) Testimonium vero in se consideratum aliquam difficultatem habet propter obscuritatem vocis τὰ λόγια. Recentiores enim auctore *Schleiermacher* (1832) vocem non de Ev sed de collectione sermonum Christi intellegunt, provocantes ad usum tum profanum tum sacrum. Verum quidem est λόγια significare *effata*, oracula divina, proinde etiam SScr[ae] verba quaecunque ut eloquia divina, et quia de ultima interpretatione hic sermo esse vix potest, quaeritur, quomodo textus sumendus sit. Alii provocant ad locutionem Papiae-Ioannis de Mr, qui τὰ ὑπὸ τοῦ Κυρίου ἢ λεχθέντα ἢ πραχθέντα ἔγραψεν, ut verba de Petri ratione docendi et praedicandi applicare liceat, οὐχ ὥσπερ σύνταξιν τῶν κυριακῶν ποιούμενος λογίων (39,15). Parallelismus autem sententiarum huic interpretationi favet, praeterea notamus indolem Evangelii sec. Mt illam etiam magis permittere. Cum Mt enim in narrationibus suis plerumque ad dictum vel doctrinam Domini tendat, tota narratio recte concipi et dici potest Logion. Alii potius solutionem quaerunt in accipienda locutione τὰ λόγια vel λόγια κυριακά de sermonibus dictis de Domino, aliis verbis cogitant de libro evangelico, qui agit de Domino ; cf *IDonovan* S. I., The Logia in ancient and recent Lit., Ca. 1924.

Tandem posset alia ratione totus textus concipi, si magis de contextu utriusque constaret. Si enim quaestio fuisset de differentia Ev sec. Mt et Mr, de sermonibus, vox Logia omnino sensu strictissimo accipi posset. Sed ipse contextus non adeo huic interpretationi favet.

Ceterum Eusebio non erat dubium, quin Papiae verba intellegenda essent de Evangelio nostro, neque Papias scribens post a. 100 de alio libro locutus est quam de eo, quem suo tempore omnes prae manibus habebant.

c) Iam si testimonii vim et mentem perpendimus, certum est Papiam non intendisse lectoribus suis primo narrare, *quis* Ev hoc scripserit, de hac re nemo dubitabat, sed *quomodo* scriptum fuerit primitus exponitur, quomodo propagatum fuerit. Asseruntur ergo duo : Ev scriptum est lingua hebraica, non graeca, et per aliquod tempus, quod iam praeteriit, cum hoc testimonium redditur, unusquisque pro sua facultate illud suis auditoribus graece exposuit. Non ergo exsistebat versio quasi authentica et agnita. Ex his sequitur traditionem de Mt auctore Evangelii esse antiquiorem hoc nostro testimonio et ea supposita et agnita indolem Evangelii declarari. Quare hoc testimonium in se consideratum est summae et irrefragabilis auctoritatis, et ipsum solum omnimodam certitudinem historicam parat.

3. Accedunt vero alia quaedam, quae paulo postea scripta sunt, sed propter testium auctoritatem fidem merentur. Primus est *S. Irenaeus*, qui Polycarpi auditor, immediate ex socio Papiae eandem traditionem haurire potuit. Principale testimonium legitur n. 335, 2e, quod in re convenit cum Papiae verbis, sed non ex eo solo explicatur. Praeterea in fragmento 27 Irenaei *(Harvey)* traditio de origine Evangelii continetur, quae nova de

occasione et fine narrat et alia confirmat. *Alexandrinorum* sententiam ex *Clemente* et *Origene* vidimus, n. 335, 2a. Origenes autem aliis locis pluries eadem docet. Primum Ev scriptum esse a Matthaeo, qui prius publicanus postea apostolus Christi fuit, qui illud dedit iis qui ex iudaismo fidem acceperant, litteris hebraicis compositum, *Euseb.* HE VI 25, 4, similia in J t. 6, 32. Aliam Alexandrinorum traditionem *Eusebius* refert (HE V 10, 3), quae omni ex parte a Papia independens est, et quamvis ipse Eusebius eam non ut certam referat, tamen testimonium est persuasionis antiquissimae de Matthaeo, auctore Evangelii. Narrat autem *Pantaenum* ad Indos usque pervenisse in praedicatione Evangelii; et ibi invenisse Ev sec. Mt, quod Bartholomaeus apostolus hebraicis litteris scriptum illis reliquisset et ad illud usque tempus conservatum esset. Quoniam Eusebius narrationem inducit verbis λέγεται, et ἔνθα λόγος εὑρεῖν αὐτόν, patet factum non tamquam indubium considerari posse, et ideo Hieronymi verba minus indubia non posse in confirmationem afferri, cf de vir. ill. 36. Similem narrationem *S.Ephraem* videtur novisse; si tradit Bartholomaeum Indis Ev Mt dedisse, videtur in hac re pendere ab Eusebio, quem alibi quoque sequitur.

In eundem sensum loquuntur *Tertullianus* (adv. Marc. 4, 2. 5; de carne Christi 22), *Eusebius* (HE III 24, 6), *Hieron.* saepe, qui etsi sunt posterioris aetatis, propter notitiam antiquiorum auctorum et librorum deperditorum maiorem considerationem merentur. Confirmant traditionem *codices graeci* veteres et *versiones antiquae*, latina, syriaca, sahidica. Proinde haec traditio tamquam unanimis et indubitata accipienda est et S.Matthaeus apostolus iure Evangelii sub nomine eius vulgati auctor habetur (cf Decret. Commiss. Bibl. 19. Iunii 1911, n. 575).

Traditio vero in se spectata eo commendatur, quod nulla ratio erat, adscribendi Matthaeo Ev aliquod, maxime primum. Nam apostolus nullibi legitur in Evv aut Actis sive sermone sive gestis conspicuum fuisse ut propterea traditio vel opinio vulgaris ipsi tantum auctoritatem tribuerit.

§ 6. De lingua primitiva Evangelii sec. Mt

339. 1. Veteres in suis de primo Ev testimoniis conveniunt in sententia, Ev primitus scriptum esse lingua hebraica. Papiae et Irenaei verba iam attulimus, neque aliter loquuntur *Origenes*, *Eusebius*, *Ephraem*, *Hieronymus*.

a) *Origenes* (Comm. lib. 1 in Mt) tradit Ev scriptum esse litteris hebraicis (*Euseb.* HE VI 25, 4), haec scripta sunt post a. 244. Sed iam antea in J t. 6 32 idem docet, dicens Mt scripsisse Hebraeis, qui ex circumcisione crediderant, haec paulo post 228 scripta sunt. *Eusebius* ipse (HE III 24,

6) asserit, Mt postquam Hebraeis praedicaverit, cum profecturus esset ad alios quoque, πατρίῳ γλώσσῃ γραφῇ παραδοὺς τὸ κατ' αὐτὸν εὐαγγέλιον, τὸ λεῖπον τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ τούτοις ἀφ' ὧν ἐστέλλετο, διὰ τῆς γραφῆς ἀπεπλήρου. Idem refert alibi (Quaest. ad Marin. 2, 1, Nova Patr. Bibl. 4, 257). Porro ex narratione Eusebii de Pantaeno et inventione Evangelii Mt lingua hebraica scripti saltem agnoscitur traditio antiquissima de origine Evangelii. *Ephraem* bis in eandem sententiam testimonium exhibet (Ev concordantis expos. 286), cf *AResch*, Agrapha, TuU 5, 1889, 42-45. *S.Hieron.* saepe de hac traditione loquitur (de vir. ill. 3 ; Praef. in Mt ; ep. ad Damas. ; Praef. in quattuor Evv ; Comment. in Is ; Comment. in Os).

b) Cum tempore primorum testium Ev passim lingua graeca legeretur, et ex Papiae verbis elucere videatur iam eo tempore textum hebraicum non iam notum fuisse, nulla erat ratio eiusmodi narrationem effingere de origine hebraica libri. Cum alia Evv omnia lingua graeca nota essent, neque quisquam propterea eorum auctoritatem impugnaret, certe non ideo primo Evangelio lingua hebraica velut primitiva adscripta est, ut ei maior auctoritas conciliaretur. Deinde ipsum testimonium in se tantopere veritatis indicia prae se fert, ut explicationes excogitatae ad vim testimonii infringendam prorsus impossibiles appareant. Iam historice admitti nullo modo potest, verba Papiae referri posse ad Ev aliquod sive sec. Hebraeos, sive Nazareaorum, quod post annum 100 ortum sit et mox a Papia et eius aequalibus, immo ab iis, qui cum immediatis Christi discipulis consuetudinem habuerunt, tamquam primigenium opus Apostoli habitum sit. Traditio enim de hebraica origine Evangelii sec. Mt evidenter, ut ex ipso testimonio apparet, Papia antiquior est ; propterea nullo modo fundari potest in libro scripto eo fere tempore, quo Papias traditionem illam explicat. Porro ostendimus verba etsi fortasse non formaliter, tamen quoad rem ad Ioannem presbyterum reducenda esse.

Quare ea quae tum a *ASchmidtke* (Neue Fragmente u. Untersuchungen zu den judenchristl. Evv, TuU 1911, 37, 41-51. 45 N. 3), tum a *HWaitz* (Apokryphen des NT, PRE 23, 82) et aliis proferuntur, nulla gaudent probabilitate.

De S. Hieronymo et relationibus quae fortasse inter Ev sec. Mt et Ev sec. Hebr. aut Ev Nazaraeorum exsistunt, cf *Knabenbauer-Merk*, in Mt[3], 11. 15-22.

Ideo de hac antiquorum traditione omnino constat, cf Decretum de Ev sec. Mt n. 575 II

2. Auctores qui de lingua primitiva Evangelii loquuntur, omnes asserunt Ev scriptum esse lingua *hebraica*. Cum autem terminus hic possit significare tum linguam antiquam sacram hebraicam, tum linguam eo tempore inter Palaestinenses vulgarem, *aramaicam*, quaestio est, quae lingua intellegenda sit. Quoniam in NT lingua hebraica semper intellegitur lingua vulgaris (A 21, 40 ; 22, 2 ; 26, 14 ; J 5, 2 ; 19, 13 ; 19, 20), et alii scriptores eiusdem temporis similem modum loquendi tenent, plerique veterum et recentiorum interpretum censent Mt scriptum esse lingua aramaica.

Atque haec sententia videtur esse omni ex parte praeferenda. Omnia enim verba Christi et nomina, quae lingua semitica traduntur, non sunt hebraicae sed aramaicae indolis, *Kephas*, *Bethesda*, *Golgotha*, cf Mt 27,46. Christus et Apostoli certo usi sunt hac lingua eaque in praedicatione necessario adhibenda erat. Quare collectiones sermonum Christi et narrationes de eius vita, quae adhibebantur ad doctrinam explicandam et illustrandam, sine dubio eadem lingua conscribebantur, qua postea in catechesi proponenda erant. Praeterea quaeri potest, num auctori Evangelii lingua hebraica tam familiaris fuerit, ut eam in libro componendo adhibere potuerit.

Ex eo autem quod eo tempore et postea aliqui libri conscripti sunt lingua neohebraica, non sequitur idem ad librum alium quemcunque transferri posse. Nam hi libri plerumque a viris doctis scripti sunt et pro doctis, aut ea intentione, ut propter linguam possent facilius sibi maiorem antiquitatem et auctoritatem comparare. Neutrum vero de nostro Ev dici potest. At neque ex Ev ipso quidquam afferri potest, ex quo efficax argumentum pro lingua hebraica deducatur. Ita provocant ad explicationem nominis Iesu per Angelum, « ipse enim salvum faciet », Mt 1,21. Cum enim nomen non ex aramaica sed solum ex hebraica lingua repeti possit, putant inde argumentum hebraicae linguae haberi. Sed quia nomen erat tam usitatum, eius significatio potuit facile ut nota supponi, praesertim cum dies Hosanna quotannis a Iudaeis tanta cum sollemnitate celebraretur et ex Evv constet hanc vocem fuisse populo familiarem, Mt 21, 9. Est autem eiusdem radicis ac nomen Iesus. Si quaedem vero locutiones magis ad linguam hebraicam accedere videntur, quam ad aramaicam, id facile explicatur, cum lingua aramaica multis hebraismis infecta esset. Quare sententia eorum, qui supponunt Ev hebraice, non aramaice scriptum (*Schegg*, *Franc. Delitzsch*, *Belser*, *Resch*, *Schlögl*, aliquomodo *Cladder*), non sufficienter fulciri videtur et rationibus oppositis potius excluditur.

3. Recentiores auctores, secuti vestigia *Erasmi*, *Caietani*, traditionem antiquorum de lingua semitica Evangelii primi reiciunt et contendumt Ev scriptum esse graece. Rationes, quas contra traditionem ipsam afferunt, nullas esse iam diximus. Sed ex ipso Ev quaedam notant, quibus traditionem falsam esse ostendere conantur. Nam :

a) Lingua non videtur esse interpretis, sed auctoris ipsius, qui linguam graecam bene novit, locutiones graecas genuinas adhibet. — Quod si Mt in usu participiorum, infinitivi, particularum, aliis dicitur non leviter differre a lingua Marci, hoc eatenus verum est, quatenus Mr haec non tam saepe adhibet et inveniuntur frequentius in Mt. At non legimus constructiones graecas nisi maxime obvias, neque lingua Matthaei graeci comparari potest cum lingua scriptorum vere graecorum. Indoles enim semitica Evangelii et elocutionis passim etiam in veste graeca manifestatur. Ceterum si lingua cum Mr comparatur, Mt sine dubio minus indolem vulgaris narratoris prae se fert, sed saepe in singulis locutionibus magis vulgaris est quam Mr. Neque eo, quod saepius adhibet

δέ loco καί, iam probatur aliud genus dicendi, aut si non raro legimus participium coniunctum, iam ideo auctor atticista se prodit.

b) Deinde urgere solent locutiones aliquas magis politas, ut βατταλογεῖν 6, 7 ; ἀφανίζουσιν ὅπως φανῶσιν 6, 16 ; πέλαγος θαλάσσης 18, 6 ; παλιγγενεσία 19, 24 ; κακοὺς κακῶς ἀπολέσει 21, 41 ; κόψονται, ὄψονται 24, 30. — At eiusmodi lusus in aliis quoque versionibus facile detegi possunt. In ipsa latina versione Mt legimus orationes orantes 23, 14 ; excolantes culicem 23, 24 ; luna non dabit lumen 24, 29 ; molentes in mola 24, 41, et alia. Similia habentur in VA, ubi TM nullas habet paronomasias, cf Is 40, 20 ; Am 5, 4. 6. 14. Si quis autem versionem latinam *S.Hieronymi* legit, observat in Pentateucho elegantiam non ordinariam, et in aliis libris eiusdem versionis Vulgatae alius omnino gradus libertatis et elegantiae invenitur, et singuli libri VA^{ae} inter se magnopere differunt.

c) Aliud argumentum petitur *ex allegationibus* VT^{1} in Mt. Cum Mt enim in locis, quos cum Mr et L communes habet, plerumque fere eundem textum alexandrinum cum illis habeat, videtur aut ex ipsis dependere aut saltem VA^{m} sequi, non textum hebraicum. — Allegationes ex VT si accuratius examinantur, magnopere inter se differre agnoscuntur. Saepius Mt Mr L inter se conveniunt. Alibi vero, e. g. Mt 19, 18s ; 22, 37 ; 26, 31 ; 27, 46 Mt solum ex parte cum Mr congruit. Similiter Mt cum L non in omnibus convenit. In iis autem, quae Mt solus habet, modo cum VA, modo magis cum MT concordat, modo ab utroque recedit, cf 1, 23 ; 13, 35 ; 8, 17 ; 27, 9. Quae varietas non facile explicatur, neque ex Mr aut L aut alio modo differentia repeti potest. Quare conclusiones criticorum carent fundamento. Ceterum non dicimus improbabilem eorum interpretationem, qui censent Evv graeca aut traditionem graecam in linguam versionis et formam textus aliquem influxum exercuisse. Qua ratione fortasse etiam difficultates textus solvi possunt, ut e. g. Mt 1, 11 cum *Irenaeo* admittamus *Ioakim* et legamus : « Iosias genuit Ioakim et fratres eius, Ioakim autem genuit Iechoniam, » quod postulari videtur ex versu 17. Aut 27,34 « vinum cum felle mistum », fortasse falsa interpretatio vocis מר et secundum Mr 15, 23 » vinum myrrhatum ». Alii Mt 6, 1 legunt « eleemosynam » loco « iustitiam ». At sine ratione, cum 6, 1 sit inscriptio totius sectionis sequentis, cf 5, 20. Aut putant 23, 35 sec. Ev Hb legendum esse nomen *Ioiadae*, non *Barachiae*.

Ex rationibus *internis* traditio de hebraica origine optime confirmatur. Ev enim cum scriptum sit in Palaestina et ex tota sua indole finem prodat et lectores iudaicochristianos respiciat, bene intellegitur scriptum eorum lingua nativa. Mt 1, 21 autem : « vocabis nomen eius Iesum, ipse enim salvum faciet populum suum », sine interpretatione ab auctore graeco difficulter creduntur scripta.

Ex indole porro ipsius Evangelii et traditione et modo agendi veterum sequitur textum graecum cum aramaico quoad substantiam convenire. Hoc enim non tantum ab antiquis supponitur, sed etiam ex ipso Evan-

gelio elucet finis primarius, agnoscuntur colores palaestinenses, ut ex hoc solo identitas substantialis operis aramaici et graeci statui possit ; cf Decret. n. 575 II. V.

§ 7. De indole et fine Evangelii

340. 1. Traditio unanimis asserit Ev scriptum esse Palaestinensibus, inter Iudaeos et pro Iudaeis, *Origenes*, *Eusebius* HE III 24, 6, *Hieronymus*, *Chrysostomus*, et iam *Irenaeus*.

a) Quod ipso Evangelio abunde comprobatur. Nam frequentia vaticiniorum ex VT ostendit Evangelistam lectores iudaicos alloqui. Plurima deinde in sermonibus Christi, in narrationibus, quae ad Iudaeorum statum mores, doctrinam spectant, ita describuntur, ut supponantur nota neque indigeant interpretatione. Quod in aliis Evv omnibus non ita observatur. Plura leguntur eiusmodi in sermone montano et in aliis sermonibus Christi, quos Lucas suis lectoribus alio modo proponit, cf Mt 5, 17-20. 21-37 ; 6, 1-8. 16ss ; 10, 5s. 23 ; 12, 5s ; 17, 24-27 ; 18, 17 ; 21, 28-32 ; 27, 3-10. 24, alia permulta.

b) Quaestio autem agitatur, num Ev scriptum sit Iudaeis iam ad fidem conversis an incredulis, quod aliquibus placet *(ThZahn, Cladder)*. Putant enim *Irenaeum* hoc insinuare, cum dicat Ev scriptum esse *ad* (πρός) *Iudaeos*, quod vertunt *contra* Iudaeos. Sed haec interpretatio ex contextu non est admittenda, quia Irenaeus clare supponit Iudaeos salutis cupidissimos, non fidei adversantes aut obstinatos (cf fragm. 27). Animus vero Evangelistae, qui saepe indignationem contra Iudaeos prodit, non magis probat, quam eadem animi dispositio apud Ioannem in quarto Ev. Et profecto Christianis quoque argumenta pro Messianitate Christi quam maxime erant utilia ipsis et in disputationibus cum obstinatis contribulibus suis. Porro demonstratio incredulitatis et perversitatis adversariorum Christi et explicatio eiusdem erat eo tempore Christianis quaestio satis difficilis et obscura, ut Apostolus in ep. ad Romanos eam fuse coram ethnicochristianis tractare non dubitet. Traditio autem magis favet alteri sententiae et eadem convenit cum indole aliorum omnium librorum NT, qui omnes ad Christianos scripti sunt. Tandem Evangelii doctrina de Ecclesia, de apostolorum institutione hanc sententiam confirmat.

2. *Finis* autem Evangelii ita enuntiari potest : S. Matthaeus demonstrare intendit, Iesum Christum esse Messiam in VT promissum, in quo prophetiae impletae sunt ; populi vero et ducum incredulitatem, quae procedit ex eorum praeiudiciis et pravitate cordis, esse dudum praevisam et praedictam.

a) Ev data opera *Messianitatem* et *divinitatem* Christi demonstrat; quapropter argumentum propheticum diligenter excolit. Ab initio in genealogia hic finis intenditur 1, 1-17; vaticinium de Virgine 1, 22s; de civitate David 2, 5s; ex Aegypto vocatus 2, 15; Rachel plorans 2, 17s; Nazaraeus 2, 23; Praecursor 3, 1ss; terra Zabulon 4, 13-16; infirmitates nostras 8, 17; de Ioanne 11, 5. 10; Servus Domini 12, 17-21; signum Ionae 12, 40; 16, 4; parabolae 13, 14s. 35; Elias-Ioannes 17, 10-13; ingressus in Ierusalem 21, 4s. 21; lapis angularis 21, 41s; filius et dominus David 22, 45; abominatio desolationis 24, 15; pastor, oves gregis 26, 31; veniens in nubibus 26, 64; triginta argentei 27, 9s. Christus *filius David* saepe in Ev appellatus, fortasse numerus 14 generationum numerus nominis David 1, 20; Christus salutatus filius David 9, 27; 12, 23; 15, 22; 20, 30ss; 21, 9. 15.

Cum hoc fine cohaeret tota doctrina de *regno caelorum*, quae in nostro Ev tam fuse exponitur et tantopere VTo superstruitur. Christus saepe dicitur rex 2, 2; 21, 5; 25, 4; 27, 11. 29. 37. 42. Si Christus in hoc Ev describitur magis quam in aliis regnum suum praeparans et fundans, hoc ex indole et fine libri facillime intellegitur, *Knabenbauer-M.* 24s.

b) Animum *incredulum* autem populi et maxime principum Evangelista per totum Ev ostendit, iam ab initio in genealogia haec intentio elucet, manifestatur indifferentia sacerdotum et doctorum in adventu magorum 2, 1-23; notatur a Ioanne Baptista 3, 7-12; Christus apostolis praedicit persecutiones 5, 10ss; 10, 14-25; ipse incredulitatem experitur 9, 34; 11, 16-19; 12, 14-37; 13, 10-15; 16, 1-4. 21; 17, 12. 22; 20, 17ss; 23, 13-28; 26, 3s. 59-68; 27, 3-10. 39-44. 62-66; 28, 11-15. Propter hanc incredulitatem Dominus reprobationem populi et principum clare praedicit 8, 11s; 11, 20-24; 12, 41-45; 21, 18ss. 28-32. 40-46; 23, 14. 32-36. 37ss (27, 25).

3. Ex fine Evangelii, quod scriptum est ad Iudaeochristianos et pro ipsis, et tam clare describit reprobationem populi, sequitur duplex illa indoles quae per totum librum agnoscitur, *iudaica* et *particularis* et simul *antiiudaica* et *universalis*. Altera ex priore sequitur et congruit perfectissime indoli et fini Evangelii. Ergo unitas conceptionis et finis non est neganda, sed omnia optime ab initio, a genealogia et aliis sectionibus c. 1-2 eidem fini subordinantur. Quare haec capita et alia de institutione et fundatione Ecclesiae ad libri integritatem pertinent, neque dicenda sunt aliunde postea advenisse; cf Decret. n. VIs.

§ 8. De Evangelii ordine et dispositione

341. 1. Ex indole et fine Evangelii eius *ordo* et *compositio* intelleguntur. Quia Mt magis opus theologicum, quam historicum conscribere intendit, ordo et dispositio historica non est in libro

primario quaerenda. Veteres quidem ex Mt potissimum ordinem vitae Christi historicum discere conati sunt, at recte posteriores viderunt Evangelistam hunc ordinem minime ut finem primarium prae oculis habuisse, sed magis res similes, sermones et narrationes inter se coniunxisse. At evidens est, ideo non destrui veritatem historicam narrationis (cf Decret. n. VI).

Compositio autem sermonum ex dictis Domini tempore diverso editis concluditur cum certitudine ex ipsis sermonibus, qui plura coniungunt, quae aliis occasionibus enuntiata sunt. Hoc videtur dicendum esse de aliquibus partibus sermonis montani, de sermone Domini in missione Apostolorum habito, de capite parabolarum, fortasse aliqua ex sermone c. 18 ad aliam occasionem referenda sunt. Similiter narrationes factorum artificiose videntur ordinatae, e. g. miracula quae c. 8 et 9 traduntur, aperte non hoc ordine gesta sunt, quod ex aliis quoque Evv eruitur.

Principia vero secundum quae sermones compositi sunt, eadem omnino videntur esse, quae apud Iudaeos passim in doctrina tradenda recepta erant: idearum conexio, simile vel idem verbum. Ceterum probabile est hunc modum iam ante Evangeliorum originem fuisse in praedicatione adhibitum et Matthaeum in hac re secutum esse morem iam receptum, cf *ThSoiron* O. F. M., Die Logia Iesu, NTAbh 6, 4, 1916, *Knabenbauer-M.* 29-34.

2. Ex fine Evangelii intellegitur *modus* quoque, quem Mt in factis narrandis tenet. Quia ipsi non est curae singula describere, sed potius in factis et miraculis aliquam doctrinam proponere, res minutae, quas Mr et L amant, a Mt saepe omittuntur et narratio brevis et succincta est. Non desunt autem exempla, in quibus Mt plura quam Mr tradit, sed plerumque haec optime fini Evangelistae conveniunt, cf 12, 11s; 13, 14s; 15, 23ss; 19, 28; 21, 4s. 40-43, alia.

Iuvat hic notare eos falli, qui ex modo narrandi Matthaei concludunt Evangelistam non esse testem immediatum rerum et vitae Christi. Nam sermones omnes colorem tam primitivum et iudaicum prae se ferunt, ut traditionem antiquissimam prodant. Ii autem qui nostrum Ev a Mr dependere contendunt, eo ipso concedere coguntur auctori narrationes illas tam vividas et primitivas non fuisse ignotas. Matthaeus proinde, si in iis reddendis fontem suum non secutus esset, aliis rationibus ductus est.

342. 1. *Dispositio* Evangelii ab aliis aliter concipitur, et concedimus in omnibus aliquid veri contineri et difficile esse singulas partes ita inter se distinguere, ut eaedem ideae non possint ostendi in prioribus partibus. Nihilominus certum est Evangelistam res quas antea tetigit postea multo fusius tractare. Discipulorum enim institutio per totum fere Ev traditur, cum iam in sermone montano plurima ad discipulos spectent, item in

sermone habito ante missionem Apostolorum (10, 5-42). Similia vero de omnibus capitibus principalibus dicenda sunt, ex quo confirmatur unitas compositionis Evangelii.

2. Partes autem possunt secundum alias considerationes alio modo distingui.

I. Pars praeparatoria 1, 1-4, 11.

1. Iesus Christus ex origine et gestis infantiae demonstratur filius David et Messias a prophetis promissus, 1,1-2, 23.
2. Christi praedicatio praeparatur per Ioannis testimonium, per baptismum, tentationes superatas, 3, 1-4, 11.

II. Regnum Dei initiatur 4, 12-11, 1.

1. Praeambula, Christi prima praedicatio et discipulorum vocatio 4, 12-25.
2. Summa praedicationis, sermo montanus, in quo Christus principia novi Regni proponit et se Legislatorem summae auctoritatis exhibet, 5, 1-7, 29.
3. Christus per miracula auctoritatem suam comprobat 8-9.
4. Christus mittens Apostolos suam auctoritatem confirmat et adiutores sibi assumit 9, 35-11, 1.

III. Messianitatis Christi propositio et populi incredulitas 11, 2-14, 12.

1. Ioannis legatio, Christi professio, populi obduratio 11, 2-24.
2. Altera Christi manifestatio et Pharisaeorum impugnationes 11, 25-12, 14.
3. Tertia manifestatio, Pharisaeorum blasphemia, Christi parentes 12, 15-50.
4. Christi doctrina per *parabolas* de regno Dei et eius natura, auditoribus pro eorum dispositione perspecta aut obscura 13, 1-52.
5. Christus in patria reprobatus, Herodes de Christo, Herodes et Ioannes 13, 53-14, 12.

IV. Messianitatis et divinitatis agnitio 14, 13-16, 20.

1. Apostoli per duplex miraculum praeparati Christum confitentur 14, 13-36.
2. Apostoli contra Pharisaeorum doctrinam et mentem muniti, a Domino novis miraculis (mulier chananaea, filius David, panes multiplicati) praeparantur 15, 1-16, 12.
3. Petri sollemnis professio, primatus promissio 16, 13-20.

V. Operis Messianici descriptio et discipulorum institutio 16, 21-20, 28.

1. Praedictio mortis et operis redemptionis, crucis ferendae necessitas 16, 21-28.
2. Transfiguratio Christi confirmatio Apostolorum 17, 1-13, puer lunaticus, fidei efficacia 17, 14-21.
3. Altera passionis praedictio, Christus filius (didrachma, Petrus) 17, 22-27.

4. Discipulorum institutio de principiis et obligationibus (humilitas' sollicitudo, virginitas et matrimonium, infantes, perfectio christiana, Dei electio) 18, 1-20, 16.
5. Tertia passionis praedictio, verae praecellentiae condicio (mors redemptoria) 20, 17-28.

VI. Christi Regis Messianici potestas et Regnum 20, 29-25, 46.
1. Christi potestas 20, 29-21, 17 (salutatus filius David, a populo agnitus, in templo receptus, potestatem Domini exercens) 21, 18-23, 39.
2. Christi adversarii confutati (ficus maledicta, sacerdotes tribus parabolis reprobati, adversarii ad silentium redacti, Dominus David, pharisaei et scribae, Ierusalem).
3. Regni et Regis Messianici adventus et iudicium 24, 1-25, 46.

VII. Regis Messianici passio et glorificatio (consummatio) 26, 1-28, 20.
1. Passio 26, 1-27, 50 (praeparatio, novum foedus, discipuli, passio interna et externa, Christus ut rex accusatus, condemnatus, mortuus).
2. Christus glorificatus (testimonium caeli et hominum, amici et inimici, resurrectio inimicorum confusio, amicorum consolatio) 27, 51-28, 15.
3. Operis Messianici absolutio (Christus potestatem suam Apostolis tradit, eos in mundum mittit, assistentiam eis perpetuam promittit et suam missionem absolvit) 28, 16-20.

Ex hoc conspectu apparet Evangelistam non semper ordinem chronologicum tenere, sed ex altera parte saepius rationibus chronologicis duci, ut sub hoc respectu duplex principium in compositione agnoscendum sit. In ipsa quoque passione narranda Mt plura habet, quae indolem Evangelii theologicam clare manifestant et huic fini subordinata sunt. Sufficit comparasse Ev cum Synopticis aliis et cum Ioanne quoad ordinem et ea quae Mt propria tradit. cf *Cornely* III 67-76 ; *Cladder*, Unsere Evv 55ss ; *Zahn* IXs.

§ 9. De tempore compositionis Evangelii sec. Mt

343. 1. Veterum de hac re testimonium explicitum non habetur. *Eusebius* dicit quidem, Matthaeum Ev suum scripsisse, cum ad alios profecturus esset, HE III 24, 6, ὡς ἤμελλεν καὶ ἐφ' ἑτέρους ἰέναι), at quando hoc factum esse putet et unde traditionem hauserit, non constat.

Cum *Hieronymus* in Eusebii Chronico ad annum 2059 ab Abraham tertium Claudii annum, dicat Marcum suo Ev assumpto in Aegyptum profectum esse, supponere videtur Mt scriptum esse ante a. 43 quod

Belser, alii volunt. At neque hoc Chronici dictum neque alterum de morte Marci octavo Neronis anno admitti potest. Codicum posteriorum graecorum prologi ad Mt tradunt, Ev scriptum esse annis octo post Domini ascensionem. Indoles vero Evangelii magis suadet compositionem posteriorem c. a. fere 50, quod aliis quoque catholicis probatur, *Cornely* inter 40-50.

Irenaeus autem tradit, Mt suum Ev edidisse τοῦ Πέτρου καὶ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων καὶ θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν (III 1,2). Irenaei verba, antiquissimi testis et probatissimi, sane quam maxime sunt consideranda. Si ad litteram sumuntur, Ev non esset scriptum ante a. 60, cum Paulus certo non antea Romam venerit. *JChapman* O. S. B. tamen putat Irenaeum hoc loco non agere de chronologia Evangeliorum, sed tantum asserere Ev primum scriptum esse aetate apostolica, Petrum et Paulum praedicasse (Romae), Matthaeum vero et praedicasse et scripsisse (JthSt 6 [1905] 563-569), cui sententiae *Belser*, *Harnack*, alii accesserunt. Quamvis concedamus cum Chapman Irenaeum primario non dare chronologiam compositionis Evangeliorum, tamen propter dicta de Mr et J non potest negari chronologiam saltem tangi. Et quoniam Petrus et Paulus non solum Romae Ev praedicaverunt, aliquomodo praedicatio Romana et Evangelii primi conscriptio ex nostro testimonio simultaneae sunt. Sed propter modum loquendi Irenaei, qui saepius fundationem Romanae ecclesiae Petro et Paulo adscribit nulla distinctione inter utrumque Apostolum facta, fortasse nostro quoque loco eius verba ita concipi possunt, ut solum dicant eo fere tempore quo Romana ecclesia fundata est, Mt suum Ev scripsisse. Quare non necessario Irenaeus testis invocari debet originis posterioris.

Certum autem est ex ipso Ev nihil afferri posse, quo demonstretur illud post urbem Ierusalem destructam scriptum esse. Nullo modo enim verba 22, 7 « civitatem eorum succendit » in hunc sensum allegari possunt, cum urbium succensio post earum expugnationem in antiquitate esset usitata. Alia vero in Ev leguntur, quae positive suadent librum ante annum 70 scriptum esse. Quae traduntur 10, 23 de civitatibus Israel, monita 24, 15 (« qui legit intelligat »), 16-20 et alia, tota Evangelii indoles iudaica monent haec scripta esse, antequam urbs destructa est et apostoli dispersi sunt.

Multo minus testimonium Ps-Eusebii de concilio a. 120 Romae habito de pericope magorum afferri potest ut argumentum contra integritatem Evangelii, cum illo testimonio in se satis obscuro non dubia de ipsa narratione, sed de chronologia tangi videantur (*ENestle*, Marginalien u. Materialien 72s. 1893 ; *Harnack*, Chronologie II 126 ; Neue Untersuchungen 94, N. 2). Decret. Comm. Bibl. III.

2. Quando autem *versio graeca* nostri Ev facta sit, non est traditum, neque enim *Eusebio* neque *Hieronymo* quidquam explora-

tum erat (« quod quis postea in Graecum transtulerit, non satis certum est », de vir. ill. 3). In fine saeculi primi textus graecus exstitit, quod tum ex allegationibus frequentibus tum ex verbis Papiae colligitur.

§ 10. De Commentariis praecipuis in Ev sec. Mt

344. *Graecorum* interpretationes magna ex parte interierunt, *Theophili* Antiocheni (*Hieron.* in Mt praef.), *Hippolyti*, *Theodori* Heracleotae (Ariani), *Apollinaris* Laodiceni (Hieron. in Mt praef.), *Didymi* Alex. (Hieron. de vir. ill. 109).

Ad nos pervenerunt *Origenis* commentarii, graece t. 10-17, Mt 13, 36-23, 23, MG 13, 829-1600 ; lat. Mt 16,13-27, 68, MG 13, 993-1800 ; Fragm. graeca *Gallandi*, Bibliotheca Vet. Patr. 14, 3, 73-83. *S.Ioannis Chrys.* in Mt hom. 90 (91), MG 57s. *S.Cyrilli* Alex. fragm., MG 72, 365-474. *Petri* Laodiceni (Des Petr. von Laod. Erklärung des Mt-Ev, *CFGHeinrici*, Lp. 1908). *Maximus* Confessor in Mt, MG 90,243-786. 871-910. *Ps-Athanasius*, Synopsis SScr^{ae}, MG 28, 283-438. *Theophylactus* in Mt (Chrysost. pedissequus), MG 123. *Euthymius* Zigabenus, MG 129. Graecorum fragmenta collecta sunt in *catenis*, *IACramer*, Catena graecorum Patrum in NT I, in Evv S. Matthaei et Marci, Ox. 1844. Symbolarum in Mt t. prior, *PPossinus*, t. alter collectore Niceta episc. Serrarum, interprete *BCorderio*, Tolosae 1646s.

Latini : Perierunt *S.Victorini* Petavion. commentarii (Hieron. de vir. ill. 74). *Fortunatiani* Aquil. (Hieron. in Mt praef.) comment. creduntur haberi inter opera S. Hieron. Expositio quattuor Evv, ML 30, 541-590 et 114, 861-916 (*GWohlenberg*, Theol. St. ThZahn dargebr. 391-426, Lp 1908 ; *PPaschini*, RBen 26 [1909] 469ss). *S. Hilarius* in Mt, ML 9, 917-1078. *S.Hieron.* a. 398 in Bethlehem, ML 26, 21-218. *Chromatius* Aquil. s. 4, tractatus 18, ML 20, 247-436. *Opus imperfectum* in Mt inter opera S. Chrysost., MG 56, 611-946, desideratur Mt 13, 16-19, 1 et 26-28. *S. Beda* Ven., ML 92. *Rabanus Maurus*, in Mt libri octo, ML 107, 727-1156. *Wal.Strabonis* Glossa ordin. in Evv, Expositio in 4 Evv, ML 114,63-426. 861-916. *Paschasius Radbertus*, ML 120. *Rupertus Tuit.*, ML 168, 1307-1634. *Bruno Ast.*, ML 165. Qui auctores fere omnes ex prioribus plurima hauriunt et indulgent interpretationibus allegoricis et mysticis.

Posteriores : BAlbertus M., Enarrationes in Mt, Lugd. 1651. *S.Thomas Aq.*, Expos. in Mt, Catena aurea in 4 Evv, Antw. 1612. *FIFaber* Stapulens., in 4 Evv, Meldis 1522 (a Conc. Trid. proscript. donec corrigantur). *AToslatus*, in Mt, Venet. 1501. *Dionysius* Carthus., in 4 Evangelistas enarrationes, Col. 1543. *Caietanus Iacobus de Vio*, in Evv, Venet. 1530. *IMaldonatus*, in 4 Evangelistas, Mussiponte 1596.

CIansenius, Gand., Concordia evangelica, Commentarii, Lov. 1549-1571.

SBarradius S. I., Comment. in concordiam et historiam evangelicam, 1-4, Conimbr. 1599-1611. *Lucas* Brug., in 4 Evv 1-2, Antw. 1606. *ASalmeron*, Comm. in evangelicam historiam, Matriti 1597-1602. *StMenocchius*, Explicatio sensus litt. SScr^{ae} 1-2, Col. 1630. *ITirinus* S. I., Comment. in V et NT, 1-3, Antw. 1632. *Cornel. a Lapide*, in 4 Evv, R. 1669. *I.da Sylveira*, in textum evangelicum commentaria, Lugd. 1697ss. *BLamy*, Apparatus biblicus, Lugd. 1696 ; Harmonia sive Concordia 4 Evangelistarum, P. 1689. *ACalmet* O. S. B., La sainte Bible, P. 1707-16.

Ex recentiore tempore : PSchegg, Das Ev nach Mt erkl. 1-3, M. 1854-58. *MArnoldi*, Trier 1856. *ABisping*^{2}, Mst. 1867. *MFillion*, P. 1878. *PSchanz*, Fr. 1879. *IKleutgen*, Fr. 1882. *IvanSteenkiste*^{2} 1-4, Brugis 1882. *AIMaas*, St. Louis 1898. *FGCeulemans*, Malines 1900. *PDausch*, Die drei älteren Evv, Bonn 1918. *Knabenbauer-Merk*^{3}, P. 1922, CSS. *HJCladder-Dieckmann*, Als die Zeit erfüllt war, Das Ev des hl. Mt^2, Fr. 1922. *MJLagrange*, P. 1923. *ADurand*, P. 1924.

Acatholici : Calvinus, *HGrotius*, *IIWetstenius*, alii. Ex recentiore tempore *KFrKeil*, Lp. 1877. *BWeiss*^{9}, Gtt. 1898, KEC. *HIHoltzmann*, Die Synoptiker^3, Tb. 1901, HK. *AdMerx*, Das Ev Mt nach der syr. Palimpsesthandschrift, B. 1902. *JWellhausen*^{2}, B. 1914. *EKlostermann*^{2}, Tb. 1927. *ThZahn*^{4}, Lp. 1922. *HLMansel-FCCook*, Ld. 1878-80. *WCallen*^{2}, Edb. 1907, ICC. *APlummer*, Ld. 1909. *HLStrack-PBillerbeck*, Das Ev nach Mt erläutert aus Talmud u. Midrasch, M. 1922. *MacNeile*, Ld. 1915. *ALoisy*, Les Evv synoptiques 1-2, Ceffonds 1907s. *JWeiss*, Die Schriften des NT I, Gtt. 1917.

Alia subsidia : S.Ephraem, Evangelii concordantis expositio (armen. Venet. 1836, latine *IBAucher-GMoesinger*, Venet. 1876). *AEdersheim*, The life and time of Jesus the Messiah 1-2^{11}, Ld. 1901.

Augustinus, De consensu Evangelistarum, ML 34, 1041-1230.

CAPUT III

DE EVANGELIO SECUNDUM MARCUM

§ 11. De S. Marco Evangelista

345. 1. In libro Actuum Apostolorum commemoratur discipulus nomine *Ioannes* « qui cognominatus est Marcus », A 12, 12. 25. Eius mater appellatur *Maria*. Filii nomen diverso modo allegatur, A 13, 5. 13 *Ioannes*, 15, 37 utrumque nomen legitur, 15, 39 solum *Marcus*. Unde nomen romanum acceperit, non est traditum, fortasse Marcus sicut Paulus fuit civis romanus. Ex A 12, 12 discimus ecclesiam vel ecclesiae partem convenisse in domo Mariae.

Cum enim Petrus e carcere liberatus se statim ad eam domum conferat et multos inveniat ibi congregatos, recte concluditur Mariam suam domum tradidisse sacris conventibus celebrandis. Si autem postea legimus Petrum Marcum aliquem suum appellare filium (1 P 5, 13), recte supponimus eum esse illum Marcum, qui ipsi diu notus et ab eo in religione christiana institutus est. Paulus et Barnabas cum eleemosynam Antiochenorum Ierusalem attulissent et inde redirent, Ioannem secum Antiochiam adduxerunt, A 12,25. Quod videtur factum esse non diu post Petri discessum 12,17.

In primo itinere apostolico Marcus erat minister (ὑπηρέτης) Pauli et Barnabae, 13, 5. Mox autem ex Pamphylia revertit in patriam 13, 13. Propterea cum Barnabas post concilium Apostolorum vellet eum ad novum iter assumere, Paulus potius a Barnaba se separavit, et hic cum Ioanne abiit in Cyprum, 15, 36-39. Ex ipso S. Paulo autem discimus, cur Barnabas tantopere adhaeserit Marco, erat enim eius consobrinus (ἀνέψιος). Ex hoc autem loco simul intellegimus Marcum in ep. ad Colossenses commemoratum esse eundem, qui in A appellatur Ioannes Marcus, et eo tempore Marcum denuo fuisse cum Paulo et eius nomine missionem suscepisse, C 4, 10. Paulus enim eum enumerat inter adiutores in regno Dei, qui ei fuerunt solatio, 4, 11. Praeterea ex modo, quo Apostolus iam antea de Barnaba locutus est, elucet nihil dissensionis inter utrumque apo-

stolum fuisse, G 2, 1. 9 ; 1 C 9, 6. Marcus proinde in prima romana captivitate Apostoli saltem aliquo tempore Romae fuit, cf Phm 24.

Quoniam vero 1 P quoque Roma scripta est et in hac epistula Marcus filius Petri salutationes dicat 5, 13, sententia, quae tenet Ioannem Marcum et Marcum Petri filium esse eundem, quam maxime probabilis est. Quae sententia a *S.Hieronymo* (in Phm 24, ML 26, 618 A) ut probabilis habetur (« quem puto Evangelii conditorem »). Sed alibi (de vir. ill. 8) eum solum discipulum Petri appellat, et c. 6 de Barnaba loquens Ioannem Marcum commemorat nihil de Evangelio dicens. Fortasse *Eusebius* Marcum et Ioannem Marcum distinxit (HE III 39, 14). Postea haec distinctio invenitur in Martyriologio romano (ad diem 29 iunii), recipitur a *Baronio*, *Tillemont* et recentioribus *Patrizi*, *Schleiermacher*, *ESchwartz*. *S.Ephraem* in commentario in Actus Ioannem Marcum cum Evangelista identicum habet (cf *Merk*, ZkTh 48 [1924] 55).

2. Quoniam Marcus cum Barnaba levita cognatus erat, fundamento non caret traditio eum fuisse generis sacerdotalis. Ab *Hippolyto* (Philos. VII 30, 1) vocatur κολοβοδάκτυλος (pollicem mutilatus), quod in Prologo antiquissimo explicatur : « sacerdotium in Israel agens secundum carnem levita... amputasse sibi post fidem pollicem dicitur ut sacerdotio reprobus haberetur » (Cod. Amiat.).

De posteriore Marci vita nihil certi traditum est. Ex 2 T 4, 11 constat eum ultimis Pauli temporibus inter vivos fuisse. Proinde quod *Hieronymus* narrat (de vir. ill. 8 ; Chron. ad a. 2078) de morte Marci Alexandriae a. octavo Neronis, historice admitti non potest ab iis, qui identitatem Marci Evangelistae et Ioannis Marci tenent. *Eusebius* primus videtur referre ecclesiam Alexandrinam a Marco esse fundatam, HE II 14, 6 ; 15, 1s ; 16, 1. In prologo antea allegato Marcus dicitur episcopus Alexandriae fuisse. De martyrio Marci legimus apud Gelasium « a Petro apostolo in Aegyptum directus verbum veritatis praedicavit et gloriosum consummavit martyrium » (ML 59, 159).

3. Marcus ab antiquis testibus dicitur Petri fuisse discipulus, et plerique ex eis explicite negant eum vidisse Dominum (*Ioannes-Papias*, *Irenaeus*, *Fragm. Murat.*, *Clemens*, *Orig.*, *Eusebius*, *Hieron.*). Eum autem fuisse ex septuaginta discipulis primo asserit *Adamantius* (De recta in Deum fide, 1,5, MG 11, 1721) c. a. 300 ; idem tradit *Epiphanius*, haeresis 20, 4 ; 51, 6, ubi addit Marcum inter illos fuisse discipulos, qui Dominum reliquerint (J 6,66), eum per Petrum ad fidem reductum esse. *Ephraem* videtur in eadem sententia fuisse, cum Lucam inter 72 discipulos conumeret (in 2 C 8, 18 ss). Sed hae traditiones, cum antiquioribus opponantur, fidem non merentur. In canone Muratoriano de Mr haec tantum supersunt « quibus tamen interfuit et ita posuit ». Multi haec ita interpretantur, ut dicant Marcum (ali)quibus Christi gestis interfuisse (*Zahn*, *Wohlenberg*, alii). Cum Mr fuerit Hierosolymitanus et Dominus fortasse ipse in domo Mariae conversatus sit, interpretatio haec non est improbabilis. Et si Mr fuit uvenis ille, qui (14, 51) legitur secutus esse Dominum amictus sindone,

quod non paucis interpretibus probatur (cf *Maldonat.* in Mr, *Knabenbauer*[2] 395), Marcus saltem ultimis diebus Dominum vidit. Nihilominus aliquomodo ipse Canon Murat. difficultatem movet, cum de Luca dicat : « Dominum tamen nec ipse vidit in carne », 6s. Ergo Mr qui antea nominatus est, ne ipse quidem Dominum vidisse censendus est. Ipsa autem verba fragmenti « et ita posuit » tantopere ad testimonium Papiae accedunt, ut difficile sit ea non ad illud referre : « ita scripsit ut meminit », ut intellegenda sint de praedicationibus Petri, quibus Mr interfuit. Verbum « tamen » creat aliquam quidem difficultatem, sed considerata lingua fragmenti, non est adeo urgenda, et interpretatio ipsa in se est aptissima.

§ 12. Testimonia de Evangelio S. Marci

346. 1. Testimonia quae exsistentiam secundi Evangelii probant, ex antiquissimis temporibus pauca afferri possunt. Ratio autem obvia est. Quia enim *Mr* brevissimus est et sermones Domini apud eum tam pauci leguntur, plerumque *Mt* aut *L* allegari solent. Fortasse ex *ep. Barnabae* notari potest 12, 11, quod magis respondet verbis *Mr* 12, 37 quam *Mt* 22, 45 aut *L* 20, 44. *Pastor Hermae* Vis. III 7, 3, cf *Mr* 4, 18 ; Mand. IV 1,6 cf *Mr* 10, 11 ; Sim. IX 20, 2s cf *Mr* 10, 23 (potius quam *Mt* 19, 23 aut *L* 18, 24). *Iustinus* certo ad *Mr* 3, 16s provocat Dial. 106, 3, ubi etiam videtur loqui de Petri memorabilibus. Dial. 88,7 partim magis ad *Mr* 1,6 quam ad *Mt* 3, 4 accedit, Dial. 101, 2 pendet a *Mr* 10, 17s aut *Mt* 18, 18s.

2. Explicitum testimonium nostri Evangelii traditur a *Papia* (*Euseb.* HE III 39, 14ss).

Eusebius haec ex Papia exscribit : προσθήσομεν... παράδοσιν ἣν περὶ Μάρκου τοῦ τὸ εὐαγγέλιον γεγραφότος ἐκτέθειται διὰ τούτων · καὶ τοῦθ' ὁ πρεσβύτερος ἔλεγεν · Μάρκος μὲν ἑρμηνευτὴς Πέτρου γενόμενος, ὅσα ἐμνημόνευσεν, ἀκριβῶς ἔγραψεν, οὐ μέντοι τάξει τὰ ὑπὸ τοῦ Κυρίου ἢ λεχθέντα ἢ πραχθέντα. οὔτε γὰρ ἤκουσεν τοῦ Κυρίου οὔτε παρηκολούθησεν αὐτῷ, ὕστερον δέ, ὡς ἔφην, Πέτρῳ · ὃς πρὸς τὰς χρείας ἐποιεῖτο τὰς διδασκαλίας, ἀλλ' οὐχ' ὥσπερ σύνταξιν τῶν κυριακῶν ποιούμενος λογίων, ὥστε οὐδὲν ἥμαρτεν Μάρκος οὕτως ἔνια γράψας ὡς ἀπεμνημόνευσεν. ἑνὸς γὰρ ἐποιήσατο πρόνοιαν, τοῦ μηδὲν ὧν ἤκουσεν παραλιπεῖν ἢ ψεύσασθαί τι ἐν αὐτοῖς. Idem testimonium ante Eusebium *Victorinus* Petavionensis c. a. 300 in suo Commentario in Ap 4, 7 (de 4 animalibus) ponit scribens : « Mr interpres Petri ea quae in munere docebat commemoratus conscripsit sed non ordine », (ed. *IHaussleiter*, Vindob. 1916, 50.52).

a) De hoc testimonio primo quaeritur, *cuius* sit. Papias enim illud explicite introducit ut testimonium *Ioannis presbyteri.* Neque ulla ratio est hoc addubitandi. Sed quaeritur sitne testimonium integrum presbyteri. Plerique solam primam sententiam Ioanni attribuunt et verba οὔτε γὰρ

ἤκουσεν et sequentia Papiae esse contendunt. Ex modo vero allegandi videtur concludi posse totum testimonium a Ioanne derivari. Praeterea testimonium in se consideratum perfectam unitatem habet et altera pars priori respondet eamque explicat, simul accuratam notitiam de Petro et Marco prodit, ut probabilius sit haec a Ioanne potius quam a Papia profecta esse. Quo autem sensu verba ἑρμηνευτὴς γενόμενος Πέτρου sumenda sint ambigitur. Cum *Hieron.*, *Zahn* et aliis intelleguntur de conscriptione Evangelii, qua Mr *interpres* Petri factus sit. Attamen haec interpretatio, quae recentioribus quidem probatur, non est adeo probabilis. Saltem nullo modo obvia est. Dicunt enim Marcum non posse eo sensu interpretem Petri vocari, quod Petrum linguae graecae parum gnarum adiuverit, cum Petrus Galilaeus melius linguae graecae peritus fuerit quam Marcus Hierosolymitanus. Sed Hierosolymitani quam maxime censendi sunt linguae graecae notitiam et peritiam habuisse. Marci autem nomen romanum eo magis alteri interpretationi favet, quae aliquomodo etiam ex 1 P 5, 12 commendatur, cum Apostolus utatur Silvano in epistula scribenda. *Clemens* Alex. supponit Marcum ex longo tempore comitem Petri fuisse, cf 346, 3.

b) Testimonii autem vis non in eo est, ut de Marco auctore Evangelii agatur, sed ut indoles libri explicetur et aliquomodo eius auctoritas vindicetur contra dubia vel quaestiones eorum, qui minus aeque de eo iudicasse videntur. Presbyter enim negat Marcum in Ev scribendo peccasse ; sed etiamsi quaedam possint desiderari, hunc defectum ex origine Evangelii explicari. Nam scriptum est ab eo, qui non fuit testis immediatus rerum quas conscripsit, cum non fuerit discipulus Domini. Ergo non ex propria scientia loqui potuit, sed alterius testimonio nititur. Quis ille sit dicitur, est Petrus, optimus sane testis ; at cum Petrus non secundum ordinem praemeditatum suam doctrinam tradere soleret, ne Marcus quidem *ordinem* perfectum tenere potuit. Sed Mr nihil aliud intendit in Ev scribendo, nisi ut nihil omitteret eorum quae audierat, aut in iis referendis quidquam falsi diceret. Quod a Ioanne-Papia bis affirmatur (ὅσα ἐμνημόνευσεν ἀκριβῶς ἔγραψεν, τοῦ μηδὲν ὧν ἤκουσεν παραλιπεῖν ἢ ψεύσασθαί τι ἐν αὐτοῖς). Ergo Mr quae scripsit, fideliter tradidit, et eius Ev plenam meretur fidem.

Qualem autem *ordinem* Ioannes cum aliis in Ev inveniri neget, minus certum est, sitne ordo chronologicus an alius. Si comparatio instituitur cum alio Ev, de quo Papias in eodem contextu loquitur, id est cum Mt, non tam de ordine chronologico sermo erat, quam de logico. Nam ordo chronologicus in Mr melius videtur servatus esse, quam apud Mt. Et si Ioannes negat Petrum fecisse σύνταξιν κυριακῶν λογίων, hoc si ad Mt attendimus, revera apud Mr verificatur. In eo enim potissimum a Mt distinguitur, quod non habet longiores sermones ita ordinatos et compositos ut Mt. Atque sub hoc respectu Ioannes dixisse videtur Marcum ἕνια scripsisse.

Sed de hac voce magnus est dissensus interpretum. Alii enim (*Zahn*,

Wohlenberg) putant solum quaedam in Mr ad Petrum reduci, alia esse aliunde hausta. At verba Ioannis non favent huic interpretationi. Nam iis edicitur Marcum scripsisse quaecunque meminerit, Domini gesta et dicta. Dicitur Mr id intendisse, ut nihil eorum quae audierat, omitteret. Iam vero qui diu cum Petro conversatus est, sine dubio plura ab eo audivit, quam solum parvam partem Evangelii secundi. Praeterea si ratio huius Evangelii ex eo repetitur, quod Petri narrationes et doctrinam continet, Ev quoad substantiam a Petro derivari dicendum est. Unde vox ἕνια aliter explicanda est. Alii censent Mr in aliquibus tantum ordinem chronologicum non observasse, *Cornely* III 86, *Knabenbauer*, Mr² 13, alii. Hoc omnino verum est, sed fortasse explicatio antea tradita magis verbis Papiae respondet.

Papiae testimonium omni ex parte apparet esse fide dignum, cum ab immediato Christi discipulo profectum sit, cum in se quam maxime indolem veritatis prae se ferat et nostro Evangelio congruat, ut mox dicetur. Non enim de alio aliquo libro agitur, sed de Ev nobis et Eusebio et Papiae tum noto.

3. Praeter Papiam alii quoque testes afferri possunt, quos antea allegavimus, *Irenaeum*, *Clementem*, *Origenem*, *Tertullianum*.

Clementis autem testimonium quod multiplex est, considerandum est. In Hypotyposibus in 1 P 5, 13 haec leguntur : « Mr Petri sectator praedicante Petro Evangelium palam Romae coram quibusdam Caesareanis equitibus et multa Christi testimonia proferente petitus ab eis, ut possent, quae dicebantur, memoriae commendare, scripsit ex his quae (a) Petro dicta sunt, Ev quod sec. Mr vocitatur (MG 9, 732, *Kirch* 150). *Eusebius* (HE VI 14, 5ss) ex 6 libro Hypotyposeon haec tradit : « Ev sec. Mr hanc habuisse occasionem. Cum Petrus Romae publice praedicaret... auditores qui multi erant, hortatos esse Marcum utpote qui ipsum dudum (πόρρωθεν) secutus esset, et quae dicta essent memoria retineret, conscribere praedicationem. Mr hoc fecisse et Ev eis tradidisse. Petrum hoc rescivisse sed neque prohibuise (lectionem) neque commendasse ». Clemens hanc traditionem a presbyteris prioribus descendisse refert.

Eusebius ex eodem libro alia ex Clemente hausit (HE II 15, 1s, EH 426), Romanos omnimodis monitionibus Marcum, Petri discipulum (ἀκόλουθον ὄντα λιπαρῆσαι) fatigasse, ut etiam scripto memoriam doctrinae eis relinqueret, nec prius destitisse, quam hominem devicissent (κατεργάσασθαι) et hac ratione causam Evangelii sec. Mr exstitisse (αἴτίους γενέσθαι). Apostolum autem — φάσιν — quod factum fuerat Spiritu ipsi revelante gavisum esse hominum studio et approbasse (κυρῶσαι) librum εἰς ἔντευξιν ταῖς ἐκκλησίαις. Addit Eusebius haec tradi in 6. libro Hypotyposeon et συνεπιμαρτυρεῖ αὐτῷ καὶ ὁ Ἱεραπολίτης ἐπίσκοπος ὀνόματι Παπίας. Quousque haec a Papia confirmentur, non constat. Ex verbis antea relatis non

videtur asserendum esse cum approbationem per Petrum retulisse. Sed factum principale omnino ipse quoque testatus est, Ev sec. Mr exhibere Petri doctrinam. Eusebius ultima verba de revelatione Petro facta et approbatione apostoli non tamquam certa narrat (dicunt). Accedit quod alterum Clementis testimonium Petri approbationem tam explicitam negat. Sed Clementis traditiones omnes in eo conveniunt, quod Romanorum instantia Evangelium ortum esse et Petri praedicationem in eo contineri asserunt. Praeterea alexandrina haec traditio in pluribus independens est a Papia.

§ 13. De Evangelii indole

347. Evangelium secundum Mr optime convenit cum traditione de eius origine et indole.

1. Multa enim in hoc Ev videntur confirmare traditionem de origine Petrina. Si Mr initium Evangelii facit a praedicatione Ioannis Baptistae et illud absolvit narratione assumptionis Christi, Ev eisdem terminis concluditur, quibus Petrus Christi praedicationem comprehendit A 1, 21s et denuo A 10, 37-43. Dein si Mr refert quae Petrus narrare solitus erat, facile intellegitur, cur ea quae in Petri laudem cedunt, omittuntur, Mt 14,28-31; 16,17ss; 17,24-27, et alia magis efferuntur, Mr 14, 66-72.

2. *Modus* autem narrandi is est, ut revera testem immediatum, qualis Petrus fuerat, prodat. Patet quoque, cur Petri auditores tanto desiderio tenerentur conservandi harum narrationum formam. Porro ex comparatione nostri Evangelii cum aliis apparet Marcum saepe res minutas, adiuncta factorum referre, quae nihil quidem conferunt ad doctrinam Christi aut eius legationem melius et profundius concipiendam, quae ex nullo studio theologico aut doctrinali explicari possunt, sed manifestant testem, qui in rebus gestis suam partem habuit et eas narrat, prout eas vidit et suae menti impressit. Cum hoc congruit modus narrandi fusior, vividior, quem tenere solent, qui nativa facultate praediti sunt res bene observandi et eas prout observatae sunt retinendi et per longos annos eodem modo narrandi.

Exemplo sint Mr 1, 4ss, descriptio personae et praedicationis Ioannis Baptistae; Mr 1, 10 caeli non aperti, sed se *aperientes* (σχιζομένους); 1, 20 Zebedaeus pater in navi cum mercenariis. Sanatio socrus Simonis 1,30s. Sanationes, omnis civitas ad portam, Simon et qui cum illo erant prosequuntur Christum et dicunt : omnes quaerunt te 1,32-38. Similiter sanatio leprosi in pluribus fusius describitur quam apud alios 1, 40-45. Item sanatio paralytici 2, 1-12; cf 2, 25-28; 3, 4ss. 9ss. 13-17. 20s. 31s. 34; 4, 13.32ss. 35-41; 5, 1-20. 21-43 Gerasenus, mulier sanguinis fluxum patiens; 6, 1-6 Nazareth; 6, 17-29 Herodis natalis et convivium; 6, 31-40 panum miraculum; 7, 29s mulier Chananaea; 7, 32-37 surdus et mutus;

8, 22-26 caecus ; 9, 3-10 transfiguratio ; 9, 24-29 puer lunaticus ; 10, 13-16 infantes Iesu oblati ; 10, 17-24 iuvenis coram Iesu ; 10, 32 ascendens Ierosolymam ; 10, 46-52 Bartimaeus ; 11, 4ss. 11. 12ss. 15-21 Ierusalem, ficus maledicta ; 12, 32ss magnum mandatum ; 13, 1-4 de templi excidio ; 13, 34s vigilantia ; 14, 3ss unctio in Bethania ; 14, 51s iuvenis ; 14, 56. 59 falsi testes ; 15, 6ss Barabbas ; 15, 21 Simon et eius filii ; 15, 44s Pilatus et centurio ; 16, 3s lapis ad ostium monumenti.

3. Secundum Papiae testimonium Mr non habet σύνταξιν τῶν κυριακῶν λογίων, quia Petrus pro audientium utilitate solebat doctrinas proponere. Atque revera si comparamus Mt et Mr, invenimus longiores illos sermones in nostro Ev aut omnino desiderari aut solum ex parte traditos esse. Nihil legimus ex toto fere sermone montano (Mt 5-7), nihil de sermone Domini habito occasione legationis Ioannis Baptistae (Mt 11, 7-30).

Ex aliis multa omissa sunt, ut Mr solum paucos versus habeat, ubi apud Mt doctrina Christi fuse tradita est. Sermoni Mt 10, 5-40 respondet Mr 6, 7-11 et postea 8, 34s ; 9, 37. 41 ; 13, 9-13, et quaedam ex his apud Mt denuo occurrunt. In sermone parabolarum Mr nihil tradit ex Mt 13, 16s. 24-30. 33. 36-52, nihil ex Mt 18, 10. 35 ; 20, 1-16 ; 22, 1-14. Ex sermone Mt 24, 37-25, 46 Mr solum assumpsit 13, 33-37.

Sermones vero longiores tantum leguntur 3, 22-30 blasphemia scribarum et Iesu responsum ; 4, 2-32 parabolae ; 6, 7-11 missio apostolorum ; 7, 6-23 de puritate ; 8, 11-21 signum de caelo, fermentum Pharisaeorum ; 9, 33-50 de humilitate et scandalo ; 10, 23-31 de divitiis ; 12, 1-12 parabola vineae ; 13, 1-37 sermo eschatologicus. Si haec comparantur cum Mt et eius sermonibus, verba Papiae manifestam confirmationem ex ipso Evangelio accipiunt, et videtur omnino ex hac comparatione consequi oppositionem inter Mt et Mr in testimonio Ioannis-Papiae respicere haec duo Evv Mt et Mr, et utrumque testimonium in eodem contextu fuisse traditum et profectum esse a Ioanne.

Marcus secundum Papiam non scripsit *ordine*. Ut iam dictum est, ordo secundi Evangelii magis respondet historiae vitae Christi quam ordo primi Evangelii, et tamen presbyter non notavit hunc defectum apud Mt. Fortasse quia ordo Mt aperte non est chronologicus, cum compositio logica manifesta sit, apud Mr autem talis dispositio non habeatur.

Origo *Petrina* Evangelii deinde confirmatur ipsa lingua, quae magis indolem aramaicam et vulgarem prae se fert quam reliqua Evv.

§ 14. De Evangelii lectoribus et tempore compositionis

348. 1. Ev secundum traditionem scriptum est Romanis. Atque cum haec ecclesia potissimum comprehenderit fideles ex ethnicis conversos, supponi potest ipsum Ev lectoribus esse accommodatum. Quod revera obtinet.

Nam Mr omittit fere omnes quaestiones, quae legem spectant, quae specialem Christi et apostolorum missionem ad populum iudaicum attinent. Ita ex parte explicatur, cur Mr nihil tradat de sermone montano, quod in missione apostolorum nihil legatur de Samaritanis et Israel Mt 10, 5s ; cur nihil de Sodomis et Gomorrhis 10, 15 ; nihil de civitatibus Israel 10,23. Ex eadem ratione intellegitur, cur civitates illae Capharnaum, Corozain, Bethsaida non commemorentur (Mt 11, 20-24). Similiter permulta ex aliis disputationibus cum Iudaeis omissa sunt, cf 12, 5s.27.38-42 ; 13, 14-17 ; 15, 24 (non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel) ; 17, 24-27 (de didrachmo) ; 18, 15-18 (sicut ethnicus et publicanus) ; 21, 28-32 (de duobus filiis) ; plurima deinde ex sermone contra pharisaeos et scribas Mt 23. Praeterea cf Mt 26, 63 et Mr 14, 61 ; Mt 27, 6-10.24s.53 ; 28,15. Ex eadem causa a Mr non toties ut apud Mt Christus filius David dicitur, Mr 10, 47s. 11, 10.

Quia lectores non sunt Iudaei, res iudaicae explicantur, Mr 7, 1-23 (consuetudo lotionum), cf 14, 12; 15, 42. Verba aramaica in linguam graecam transferuntur, cf Mr 3, 17 Βοανηργές, ὅ ἐστιν υἱοὶ βροντῆς. 5, 41 ταλιθὰ κούμ, ὅ ἐστιν μεθερμηνευόμενον · τὸ κοράσιον, σοὶ λέγω, ἔγειρε. 7, 34 ἐφφαθά, ὅ ἐστιν διανοίχθητι. 9, 43 εἰς τὴν γέενναν, εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον. 10, 46 Βαρτιμαῖος ὁ υἱὸς Τιμαίου. 14, 36 ἀββᾶ, ὁ πατήρ. 15, 22 Γολγοθᾶν τόπον, ὅ ἐστιν μεθερμηνευόμενος κρανίου τόπος. 15, 34. Aliqua ex his etiam apud Mt leguntur et graece vertuntur.

b) Ex omnibus testimoniis *Clementis* elucet traditio Ev scriptum esse *Romae* et Romanis. Similiter in Prologo antea allegato dicitur Marcum Ev suum scripsisse in Italia, idem asseritur ab *Eusebio*, HE II 15, ab *Ephraem* (in urbe Roma latine, Diatess. 286, arm. 259). *Epiphanius*, haer. 51, 6, *Hieronymus*, de. vir. ill. 8. Unicus *S. Chrysostomus* (in Mt hom. 1, 3) et aliqui codices contendunt Ev Alexandriae ortum esse. *Irenaeus* videtur eandem communem traditionem supponere, *Papias* saltem insinuat Ev non esse scriptum in Palaestina.

Confirmatur autem aliquomodo haec traditio ex ipso Evangelio. Cum enim Simon Cyrenaeus et eius filii Alexander et Rufus Mr 15, 21 commemorentur, videntur Romanis noti fuisse, et fortasse Rufus ille, qui a Paulo cum matre sua salutatur Romae, idem est, R 16, 13. Provocant praeterea ad Mr 10, 12s, ubi eadem esse dicitur condicio viri et mulieris in separatione, quod magis respondet consuetudini romanae quam legibus Iudaeorum, cf Mt 5, 32 ; 19, 9.

c) Cum origine romana optime conveniunt frequentiores locutiones latinae in nostro Ev. His adnumerari possunt συμβούλιον ἐδίδουν 2, 6 ; εἶχον τὸν Ἰωάννην, ὅτι ὄντως προφήτης ἦν 11, 32 ; ῥαπίσμασιν αὐτὸν ἔλαβον 14, 65 ; βουλόμενος τῷ ὄχλῳ τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι 15, 15 ; κράβαττος, grabatus ; 2, 4. 9. 11 ; 6, 55 ; λεγιών 5, 9. 15 ; σπεκουλάτωρ 6, 27 ; ξέστης, sextarius 7, 4 ; κῆνσος 12, 14 ; λεπτὰ δύο, ὅ ἐστιν κοδράντης 12, 42 ; φραγελλώσας 15, 15 ; ἔσω τῆς αὐλῆς, ὅ ἐστιν πραιτώριον 15, 16 ; ὁ κεντυρίων 15, 39. 44. 45. Quae verba non certo quidem demonstrant Ev Romae scriptum esse um

eo tempore termini non pauci latini, qui rem militarem, commercium, administrationem spectant, in usum Graecorum et Orientalium transiissent. Sed quoniam alii Evangelistae his locutionibus admodum raro utuntur, vi probandi non destituuntur; accedit vero quod 12, 42 et 15, 16 latini termini explicationis gratia adhibentur.

Quod S. *Ephraem* asserit Ev scriptum esse latine, aliquorum codicum subscriptionibus confirmari videtur (syriaci), quam sententiam scriptores posteriores admiserunt, *Baronius* et alii; recentissime *Hoskier* putavit Ev et graece et latine a Marco editum esse (Codex B and its allies, 1914). At haec omnia nullo fundamento solido nituntur et traditioni veteri contradicunt.

2. De *tempore* compositionis Evangelii multum controvertitur. Primus *S. Irenaeus* testatur asserens μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον Μάρκος... τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκεν (III 3, 1). Quae verba ab aliis aliter intelleguntur. Habetur quidem in catena graeca alia quoque lectio μετὰ τὴν τούτου ἔκδοσιν, ita ut dicatur Ev sec. Mr post editum Mt scriptum esse. At haec lectio nullam habet probabilitatem, cum omnes codices Eusebii, qui hunc textum graece tradit et omnes codices latini Irenaei in textu conveniant. Sunt qui vocem ἔξοδος intellegant *profectionem* Petri et Pauli ex Palaestina; sed haec interpretatio sustineri non potest, cum sit nimis indeterminata et minus dicat quam prior locutio de Ev sec. Mt, quod dicitur compositum, dum Petrus et Paulus Romae praedicarent. Quare ἔξοδος non potest aliud significare quam *mortem* apostolorum. Neque licebit hoc testimonium testis antiquisimi et ceteroquin gravissimi, qui ipse traditionem romanam optime novisse censendus est, neglegere. Sed fortasse ipsa locutio *tradidit* (παραδέδωκεν) urgeri potest, ut accipi possit de vulgatione Evangelii antea iam conscripti. Traditio *alexandrina* aperte supponit Petrum inter vivos; atque etiamsi non omnia ut certa admittimus quae *Clemens* refert, tamen ipsa substantia narrationis videtur fide digna esse, praesertim cum secundum utrumque relationem Petrus se potius indifferentem habeat. Ex Papia nihil de tempore compositionis traditum est, neque *Eusebius* quidquam videtur in eius libris de hac re invenisse. Testimonia posteriora nihil novi addunt neque sunt satis fide digna. Sed ex tertii Evangelii origine potest fortasse aliqua determinatio temporis desumi, cum constare videatur, Lucam non solum post Marcum scripsisse, sed etiam eius librum prae oculis habuisse. Quare si de Luca aliquomodo constat, sequitur Mr saltem paulo antea ortum esse.

Ex ipso vero Evangelio tempus originis accuratius non potest circumscribi, nisi quod recte supponatur praedicationem inter gentes iam sumpsisse maius incrementum, quod *Cornely* quoque urget. Quare putaverim Ev non esse scriptum ante secundum Pauli iter et ante fundationem ecclesiarum in Macedonia et Achaia. Idem consequitur ex tempore compositionis Evangelii sec. Mt, quod c. a. 50 scriptum esse videtur. Quare, Ev non c. a. 42-45 *(Kaulen, Belser)* aut c. 45-50 *(Pölzl, Reilhmayer)*

sed potius cum *Cornely*, *Gutjahr* aliis c. 52-60 ortum esse putamus. Alii *Irenaeum* secuti, Ev scriptum censent a. 67 aut 70, *Bisping*, *Schäfer-Meinertz*, *Schanz*, *Feine*, *Zahn*. Alii postea, c. 75 *Jülicher*, aut in fine saeculi *(Hilgenfeld)*. Sed hodie vix sunt, qui Ev demum tempore Domitiani aut saeculo secundo scriptum esse velint, quia hoc cum factis historicis pugnat. *Knabenbauer* Ev censet scriptum versus finem vitae Petri, ita ut nondum plane absolutum fuerit, cum Petrus martyrium subiret. Qua ratione testimonia Irenaei et Clementis inter se conciliari possint, *Knabenbauer* in Mr² 42s. De tempore conscriptionis cf Decret. Commiss. Bibl. 26 Iunii 1912, n. V-VII.

§ 15. De integritate Evangelii

349. Quaestio de Evangelii *integritate* duplici ex capite tractanda est.

1. Non pauci enim ex recentioribus acatholicis contendunt Ev a Marco scriptum postea esse rectractatum et amplificatum et in nostram formam auctum. Ex prioribus *Schleiermacher* hanc hypothesim statuit, quam alii excoluerunt accurate definientes, quid primitivo Ev, quid redactori tribuendum sit *(RAHoffmann*, *Herm. von Soden*, *Wellhausen*, *Wendling*, *Jülicher*, *Feine*, alii,

Sed nulla ratione solida ostenditur Ev in varias series narrationum aut secundum diversum modum narrandi distinguendum esse, aut quod aliquibus placet, Papiae verba non posse recte ad nostrum Ev applicari. Praeterea certum est eo tempore, quo Papias scripsit, Marcum prout a nobi legitur in Ecclesia agnitum fuisse. Si enim *Iustinum*, *Irenaeum*, *Tatianum* legimus, facile constat eos Marco canonico usos esse. Propterea hoc Ev paulo antea mutationes tam graves non potuit subiisse, quales a recentioribus supponuntur. Quare eorum opinio ut plane arbitraria reicienda est, praesertim cum nitatur principiis non historicis, sed philosophicis, id est negatione factorum supernaturalium, praecipue professionis Messianicae Christi.

2. Altera quaestio est de ultimo capite Evangelii, Mr 16, 9-20. Haec enim pars in aliquibus testibus desideratur.

a) Eam omittunt cod. B S syr sin, codices plures versionis sahidicae et vetustiores plerique armeniacae. Non commemoratur a *Tertulliano*, *Cypriano*, *Origene*. *Eusebius* asserit sectionem non legi in numero maiore codicum graecorum, ipse eam in suis sectionibus non enumerat. *Hieronymus* idem affirmat de codicibus sui temporis, paene omnes codices graecos hoc capitulum in fine non habere.

Traditur vero textus in codicibus A C D aliis uncialibus, in vetere latina (excepto cod. k), Vg, syr (cur pes harc pal) boh got, cod armen. anni

989 (Etschmiadzin). *Irenaeus* explicite textum allegat (III 10, 6 « in fine Evangelii ait Marcus »). *Tatianus* sectionem in sua harmonia adhibet, probabiliter *Iustinus* alludit ad Mr 16, 19 (Dial. 108, 2). In codice B relinquitur post 16, 8 spatium liberum, quod fere sufficit pericopae excipiendae. Et cum librarius hoc nullibi fecerit, videtur insinuare textum a se non simpliciter reprobari.

S. Hieronymus vero asserit (c. Pelag. 2, 15) hos versus legi in quibusdam codicibus et maxime in graecis cum additamento, quod ipse allegat, quod tamen in nullo codice graeco inveniebatur, donec a. 1907 in Aegypto inventus est codex saeculi 5, qui revera textum ab Hieronymo allegatum continet, immo plura quaedam tradit; cf *Gregory*, Das Freer-Logion, Lp. 1908, et editiones recentiores. Textus legitur post 16, 15, sed a nullo admittitur velut genuinus.

Praeterea alia conclusio *brevior* traditur in paucis codicibus graecis L T in aliquibus minusculis, k, et copticis et aethiopicis. Plerumque uterque textus invenitur (LT 579), et praecedit longiorem conclusionem. Patet utramque clausulam non posse esse genuinam. Et si testimonia perpenduntur, brevior multo paucioribus codicibus roboratur quam longior iique fere omnes iuniores sunt. Quare si agitur de genuinitate, sola longior clausula consideranda est.

b) Quod testimonia *externa* attinet, concedimus auctoritatem codicum BS et aliorum habere aliquod pondus, sed non est eiusmodi, ut propter illam solam genuinitas neganda sit, cum constet hos codices saepius textus omittere, qui antiquitate et pondere testium maxime commendantur. Et cum et *Irenaeus* et *Tatianus* textum comprobent, habentur duo testes independentes antiquissimi secundi saeculi, quibus fortasse accedit *Iustinus*. Ergo textus saltem initio s. 2 legebatur.

Sed genuinitas sectionis potissimum ex rationibus *internis* negatur. Non enim haberi nexum cum praecedentibus asserunt, ipsam autem narrationem esse compendium eorum, quae ab aliis Evangelistis traduntur, et modum scribendi esse alienum a Marco. Haberi ieiunam enumerationem factorum, non vividam illam descriptionem Marci propriam. Desideratur καί Marco tam familiare, leguntur locutiones alias non usitatae, πρώτη σαββάτου 16, 9, ἐθεάθη, θεασάμενος 16, 11. 14, ἐκεῖνος, κἀκεῖνοι 16, 10. 11. 13. 20, Κύριος 16, 19. 20.

c) Duae quaestiones in re nostra distinguendae sunt. Altera est inspiratio et canonicitas sectionis, altera genuinitas eo sensu, ut particula ipsi Marco attribuatur. Prior quaestio est soluta declarationibus Ecclesiae, potissimum definitione concilii Tridentini. De altera quaestione non est omnium catholicorum eadem sententia. Dubia a *Caietano* et *Erasmo* proposita aliquomodo repetuntur a *Lagrange* (in Mr² 1920, 434ss), *Jacquier* (II⁷ 511-15), *Belser*, *Sickenberger*, *Mader*, *Vogels* (Einleitung 65).

d) Factum diversimode a recentioribus diiudicatur. Sunt qui putent Marcum suum Ev absolvisse post 16, 8. At hoc incredibile est, cum evidens sit Evangelistam saltem aliquem nuntium de resurrectione ad apostolos

retulisse. Alii putant ultimum folium Evangelii nescio quo casu deperiisse et mox ab alio suppletum esse nostra conclusione. *Knabenbauer* cum aliis censet sectionem in ecclesia Alexandrina propter celebrationem resurrectionis media nocte Mr 16, 9ss non esse lectam et consequenter in lectionariis et codicibus esse omissam (in Mr^2 453). Sed haec ratio videtur minus probabilis neque sufficienter explicat omissionem apud alios testes.

Aut fortasse ita : Marcus non absolvit Ev suum impeditus alio labore aut casu, qui multiplex esse potuit, et postea ut liber aliquomodo concluderetur, nostram adiecit clausulam. In qua suppositione explicaretur tum factum omissionis in testibus permultis antiquis, tum receptio a multis aliis iam ante medium saeculum secundum. Manet difficultas quae oritur ex differentia linguae, et quaeri potest, cur Marcus si ipse clausulam addidit, non absolverit narrationem inceptam, sed ea relicta solum compendium exhibeat. Concedimus remanere in hac re aliquam obscuritatem.

Decreto Commissionis Biblicae 26 Iunii 1912 n. II declaratur rationes a criticis congestas contra genuinitatem nostri textus non tribuere ius affirmandi eum non esse ut inspiratum et canonicum recipiendum, neque demonstrare versuum eorundem Marcum non esse auctorem. Decretum proinde utramque quaestionem distinguit, et dum relate ad inspirationem asserit, rationes allatas non tribuere ius negandi inspirationem, quoad alteram quaestionem solum negat rationes propositas habere vim demonstrativam, quod omnino tenemus.

Propter notam in codice armeniaco Etschmiadzin a. 989 appositam *Belser* et alii clausulam censent adiectam a Domini discipulo *Aristione*, qui ex Papia notus est (*Euseb.* HE III 39, 4). Legitur enim in linea praecedenti litteris rubris nota *Aristovn Erizov*, *Aristionis presbyteri*. Textus 9-20 ab eadem manu scriptus est, quae priora scripsit, et sequitur sine intervallo. Ipsa autem nota non videtur eiusdem manus esse, saltem minus accurate scripta est et litteris recentioribus vel potius recentioris indolis, quales vero exeunte saeculo 10 iam adhibebantur, ut ipse codex et alii codices eiusdem aetatis probant. Unde autem nota hausta sit, et num antiquam traditionem servaverit ignoramus. Quare de eius auctoritate nihil affirmari potest.

§ 16. De fine et dispositione Evangelii

350. 1. Quis sit *finis*, quem S. Marcus in Ev scribendo sibi proposuerit, non tam apertum est, quam apud Mt. Si ad traditionem attendimus docentem, Ev scriptum esse petentibus Romanis, qui desiderio tenebantur conservandi memoriam doctrinae Petri, partim ex hoc finis definiri poterit. At satis indeterminatum est, quid primario Petrus in sua praedicatione magis efferre voluerit. Ex *Actis* autem scimus Petrum praedicasse Iesum tamquam

Dominum (Κύριον) et *Christum* 2,36, approbatum a Deo signis 2,22 et resuscitatum a mortuis 2,32, in quo solo est remissio peccatorum 2,38, qui misit Spiritum Sanctum 2,33, cf A 3, 13ss. 26 ; 4, 9-12 ; 5, 30ss ; 10,36-43. Haec autem fere in Ev sec. Mr exponuntur et demonstrantur, ex doctrina et miraculis Christi, et correspondet ipsa Evangelii inscriptio Ἀρχὴ Εὐαγγελίου Ἰησοῦ Χριστοῦ Υἱοῦ Θεοῦ 1, 1.

De genuinitate verborum *filii Dei* non apud omnes quidem constat, ea omittunt S Θ 28 1555 syr-pal arm *Orig. Basil,* alii ex Patribus ; de *Irenaeo* minime constat, cum ex eo quod uno loco verba omittat, non sequatur eum debuisse totum textum allegare, et cum in contextu de *filio Dei* loquatur (III 10, 6 ; 11, 8 ; 16, 3).

Quae verba diversimode quidem ab interpretibus accipiuntur, cum ea aut intellegant *summam* Evangelii Christi, aut ea coniungant cum 1, 2, ut sensus sit initium Evangelii fuisse praedicationem Ioannis secundum vaticinium Isaiae. Sed rectius videntur concipienda esse de initio religionis christianae, simili fere ratione ut Apostolus ad Hb 2, 3 scribit initium salutis christianae per ipsius Domini praedicationem factum esse. Hoc autem initium in Evangelio S. Marci describitur. Recte autem observatum est Evangelistam magnopere notare potestatem Christi, quam in naturam, in daemones, in morbos exercuit, et narrare, quomodo discipuli Christi et populus hanc potestatem experti sint et agnoverint, cf 1, 27 (1, 24. 34) ; 2, 12 (3, 11s) ; 4, 41 ; 5, 20. 42 ; 6, 3 (6, 7. 13. 14) 51 ; 7, 37 ; 9, 6. 10. 15 (9, 32) ; 10, 32 ; 11, 18 ; 12, 17. 34. 37 ; cf 9, 37 ; 16, 17.

2. *Ordo* et *dispositio* omnium trium Evangeliorum synopticorum in eo convenit, quod ab initio praedicationem Galilaicam describunt, quae in confessione Messianica Petri et in praedictione passionis ex parte Christi aliquomodo perficitur et absolvitur. Quae sequuntur, in itinere hierosolymitano et in Peraea gesta esse narrantur. Sed Mt et Mr admodum pauca de hoc itinere referunt. Mr cum Mt in eo convenit, quod aliqua refert, quae ad discipulorum institutionem pertinent et passionem magis praeparant. Lucas multo plura de discipulorum institutione tradit. In Marco autem ordo et compositio quae in Mt observantur, non inveniuntur, quamvis utriusque ordo non multum discrepet. Possunt vero hae fere sectiones discerni :

1. *Prooemium* (1, 1-13). Christus per Ioannem testimonium accipit et baptizatur, a Patre et Spiritu S. manifestatur et in deserto post satanam devictum angelorum ministerio honoratur.
2. *Initia praedicationis* Evangelii, vocatio primorum discipulorum, prima miracula et praedicatio in Galilaea, 1, 14-45.
3. *Potestas* et *intentio* Christi, quae manifestantur miraculis et modo agendi Christi (paralyticus, Levis, dominus sabbati, populi concur-

sus et sanationes, apostolorum vocatio, primae infestationes et blasphemia, Christi parentes, 2,1-3, 35.

4. *Mysteria regni Dei* in parabolis proposita, 4, 1-34.
5. *Nova miraculorum series* (tempestas sedata, Gerasenus, mulier fluxu sanguinis laborans, filia Iairi), in patria non agnitus, 4, 35-6, 6.
6. *Nova ministerii periodus*, apostoli missi adiutores Domini, Christi fama ad Herodem delata (Ioannes Baptista ab Herode occisus), apostoli reduces testes novorum miraculorum (multiplicatio panum et ambulatio super mare et sanationes per vicos et civitates), 6, 7-56.
7. *Apostolorum institutio* de vera erga Deum religione et miracula (de puritate, mulier chananaea, surdus et mutus, alterâ panum multiplicatio, signi petitio et fermentum pharisaeorum, caecus sanatus), 7, 1-8, 26.
8. *Petri confessio* et *passio Christi*, necessitas crucis ferendae, apostolorum confirmatio per transfigurationem et pueri sanationem, nova praedictio passionis et apostolorum institutio de humilitate et scandalo, 8, 27-9, 50.
9. *Spiritus Christi* et perfecta sequela (de matrimonio et eius indissolubilitate, parvuli, adolescens et divitiarum pericula, praemia apostolorum, tertia passionis praedictio et filii Zebedaei, caecus sanatus), 10, 1-52.
10. *Dominus in Ierusalem :* sollemnis ingressus et templi purgatio, ficus infructuosa, Iudaeorum interrogatio et responsum, parabola agricolarum, impugnationes, tributum, resurrectio, magnum mandatum, filius et Dominus David, praemonitio a scribis, viduae quadrans. Sermo de templo et consummatione, 11, 1-13, 37.
11. *Opus redemptionis* et Christi resurrectio, missio apostolorum et Evangelii per mundum praedicatio, 14, 1-16, 20.

§ 17. De Commentariis praecipuis in Ev sec. Mr

351. Veteres Ev vix interpretati sunt. Fertur *Victoris* Antiocheni Commentarius, sed nihil certi de eo traditum est. Interpretatio legitur in *Catena*, latine ed. a *ThPeltano*, S. I., Ingolstadii 1580; graece-latine a *PPossino* S. I. Catena graecorum Patrum in Ev sec. Mr, Tolosae 1673, graece *ChFrMatthäi* 1-2, Moscoviae 1775, et *JACramer*, Ox. I 259-447, 1844. Breves commentarios scripserunt *Theophylactus*, MG 123, 487-682, et *Euthymius*, MG 129, 765-852.

E *latinis* interpretibus primus nominandus est *S.Hieronymus*, qui habuit Tractatus in Mr (Bethlehem) (ed. a *Morin* O. S. B., Anecdota Maredsolana 3, 2, 310-370). *Ps-Hieronymus*, Breviarium super quattuor Evangelistas, ML 30, 560-567, et alter commentarius, qui fortasse s.7 in Anglia ortus est,

ML 30,589-644. *S. Beda Ven.* in Mr (ML 92, 133-302) multa habet ex Ambrosio, Hieronymo, Augustino. Ex posterioribus nominamus *B.Alberli M.* Expositionem in Mr, Lugd. 1651, *S.Thomae* catenam auream, et auctores quos allegavimus in Mt.

Ex recentioribus : *FXPatrizi* S. I. in Mr, R. 1862. *ABisping*, Mst. 1868. *PSchegg*, M. 1870. *PSchanz*, Fr. 1881. *Fillion*, P. 1901. *FXPölzl*, Graz-W. 1893. *FrSTiefenthal* O. S. B., Mst. 1894. *VRose* O. P., P. 1904. *FrGutjahr*, Graz 1904. *ISeisenberger*, Regensb. 1905. *Knabenbauer*[2], P. 1907,CSS. *MJLagrange*[2], P. 1920. *JHuby*, P. 1924.

Acatholici : Post Calvinum, Grotium, Bengel, Wettstein, Ev interpretati sunt recentiore tempore *CFrilzsche*, Lp. 1830. *AdeWelle*[3], Lp. 1845. *AKlostermann*, Gtt. 1867. *B. et J.Weiss*[9], KEC, Gtt. 1901. *CFrKeil*, Lp. 1879. *HJHoltzmann*, Die Synoptiker[3], HK, Tb. 1901. *CFNösgen*, KK, M. 1897. *JWellhausen*[2], B. 1909. *AdMerx*, B. 1905. *EKlostermann*[2], HB, Tb. 1926. *GWohlenberg*, Lp. 1910. *EPGould*, ICC, Ebd. 1901. *HBSwete*[2], Ld. 1902. *Strack-Billerbeck* II, M. 1924.

WWrede, Das Messiasgeheimnis, Gtt. 1901. *JWeiss*, Das älteste Ev, Gtt. 1903. *AAbbott*, The Corrections of Mark, Ld. 1901.

CAPUT IV

DE EVANGELIO SEC. LUCAM ET DE LIBRO ACTUUM APOSTOLORUM

§ 18. De S. Luca Evangelista

352. Duo ex libris NT a traditione adscribuntur discipulo et comiti S. Pauli Apostoli S. Lucae, tertium Ev et liber Actuum Apostolorum. Quae traditio ex ipsis libris saltem catenus comprobatur, quod auctor alterius voluminis in exordio explicitis verbis ad priorem librum provocat, quem eidem Theophilo dedicavit, cui alterum destinavit. Nomen auctoris in libris non occurrit. At in epistulis S. Pauli pluries idem nomen legitur, quod in inscriptione Evangelii tertii habetur, *Lucas*. Primo nominatur in epistula ad Colossenses inter adiutores Apostoli, qui cum ipso versantur, « Lucas medicus carissimus » (Λουκᾶς, ὁ ἰατρὸς ὁ ἀγαπητός) C 4, 14, in ep. vero ad Philemonem Lucam enumerat cum aliis inter adiutores suos (οἱ συνεργοί μου) 24. Aliquot annis postea Lucas dicitur solus esse cum Apostolo Romae, 2 T 4, 11.

Nomen plerisque videtur esse originis latinae et contractum ex Lucanus, simili ratione ut Silas ex Silvanus et alia nomina. Codices vet. lat. b f g^2 i habent inscriptionem « secundum Lucanum ». Sed ex inscriptionibus constat Graecos nomen Lucius reddidisse Lucas *(Ramsay*, Expos. Ser. 8, 4 [1912] 502-507).

De Luca Prologus ante allegatus haec tradit : « Lucas Syrus natione, Antiochensis, arte medicus, discipulus apostolorum, postea Paulum secutus, usque ad confessionem eius serviens Domino sine crimine. Nam neque uxorem umquam habens neque filios, LXXIII annorum obiit in Bithynia plenus spiritu sancto ». Alii codices eum 84 annos habuisse dicunt. Fortasse *Irenaeus* (III 14, 1), *Iulius* Africanus quoque eum habent Antiochenum (cf Mai, Nova Patrum Bibl. IV 1, 270, *Euseb.* HE III 4, 6s). Si lectio A 11, 28 a codice D et aliis tradita esset genuina, Lucas revera Antiochenae ecclesiae adnumerandus esset. Secundum *S. Ephraem*

Lucas videtur ex ecclesia hierosolymitana fuisse et cum Marco Antiochiam venisse (Comment. in A 12, 25 et 13, 1). Ephraem quoque Lucium illum Cyrenensem cum Luca identicum habet.

Recentiores vero aliqui Lucam habent Macedonem, quae sententia eo confirmari potest, quod Lucas in secundo itinere S. Pauli videtur in Macedonia remansisse. Nam in descriptione praedicationis Achaicae Apostoli nihil in prima persona legimus, donec in tertio itinere denuo inter comites Apostoli invenitur, qui eum sequuntur in Palaestinam et apud eum perseverant A 20,5. Nam postea discimus eum cum Aristarcho Paulum in Italiam navigantem non dereliquisse et Romam usque profectum esse A 27-28. Ex epistulis autem ad Colossenses et Philemonem scriptis in captivitate prima romana constat Lucam fideliter cum suo magistro permansisse. Lucam vero non fuisse Iudaeum sed ethnicum intellegimus ex enumeratione C 4, 11. 14. Quando et per quem ad fidem conversus sit non constat. Traditio autem, quae apud *Epiphanium* et posteriores occurrit et docet Lucam ex Septuaginta discipulis Domini fuisse, ex prooemio Evangelii et constanti traditione saec. 2 et 3 probatur erronea. Canon enim *Muratorianus* hoc explicite negat, *Irenaeus*, *Tertullianus* idem aut expressis verbis testantur aut eo confirmant, quod tantopere urgent Lucam secutum esse Paulum, quod non erat notandum, si immediatus Domini discipulus fuisset. Ex Phm 24 patet Lucam non solum medicum et amicum Pauli fuisse, sed ipsius quoque *adiutorem*.

Ex interpretibus antiquioribus non pauci censent Lucam fuisse illum fratrem, « cuius laus est in Evangelio per omnes ecclesias », qui ordinatus erat ab ecclesiis comes peregrinationis in gratiam (eleemosynas colligendas et perferendas) 2 C 8,18s. At haec sententia non potest sufficienter ex contextu probari. Nam plures postea enumerantur Macedones, qui cum Paulo iter hierosolymitanum ingressi sunt A 20, 4. Interpretatio et opinio veterum videtur originem habuisse ex falsa explicatione verborum « cuius laus est in Evangelio », quod intellexerunt de Evangelio scripto et consequenter de Evangelio edito a Pauli discipulo. Sed numquam in epistulis Paulinis (Expos. Ser. 8,4 [1912] 502-507) hac locutione vel altera « secundum Ev meum » R 2, 16 ; 16, 25 ; 2 T 2, 8 (1 Th 1, 5 ; 2 T 2, 14) ad Ev scriptum ab Apostolo alluditur. Utraque sententia, quae Paulum putat de Ev suo scripto loqui et 2 C 8, 18 Lucam agnoscit, apud *Origenem* invenitur (in L hom. 1), fortasse eam supponit *S. Irenaeus*.

De vita Lucae post mortem Apostoli, de eius ministerio nihil traditum est, neque constat, ubi vixerit et mortuus sit aut qualem mortem habuerit. Secundum *Epiphanium* (haer. 51,11) in Dalmatia et Gallia, Italia et Macedonia praedicasse dicitur, secundum alios in Achaia aut in Aegypto. Primus *S. Gregorius* Naz. (Or. 4) eum martyrem fuisse narrat.

Traditio, quae refert Lucam fuisse pictorem, s. 6 iam nota erat. Secundum *Theodorum* Lectorem vero (HE I 1) Eudoxia c. a. 440 imaginem B. Virginis a Luca depictam Constantinopolim misit.

§ 19. De tertii Evangelii exsistentia et auctore

353. 1. Ex primis scriptoribus exeuntis saeculi primi et ineuntis secundi explicita testimonia de auctore non habentur. Sed omnes Ev iam agnoverunt, quia illud pluries allegant.

Probabiliter *Clemens Rom.* 48, 4 cf L 1, 75. 79 ; 46, 8 cf L 17, 2; *Didache* 1, 4s cf L 6, 30 ; *S.Ignatius* ad Smyrn. 3, 2 cf L 24, 39 ; *S.Polycarpus* 2, 3 cf L 6, 20 (6, 36ss). *Pastor Hermae* fortasse Sim IX 20, 2 ad L 18, 24 alludit. Ev sec. *Hebr.*, secundum Epiphanium plura ex L 1-2 recepit, cf *Knabenbauer-Merk* in Mt[3] 18. *Epistula* quae dicitur *Apostolorum* certa testimonia reddit annuntiationis per Gabriel angelum, commemoratur Mariae fides, c. 14 ; apparitio post resurrectionem L 24,37ss, cf c. 11.

S.Iustinus nomen Lucae numquam tradit, sed saepe clare Ev allegat, cum historiam infantiae Christi tangat (Dial. 78, 4s ; 88, 3. 7s ; 100, 5 et alibi), et ultima capita non minus cognita habeat (L 22, 42. 44 cf Dial. 103. 8 ; L 23, 7s cf Dial. 103, 4 ; L 23, 46 cf Dial. 105, 5 et plura ex L 24). Ev laudat aut ad illud alludit 80 fere locis, et Dial. 103, 8 allegans L 22, 44 provocat ad ἀπομνημονεύματα, quae ab Apostolis et eorum discipulis composita sunt. Quare de Iustino dubium esse non potest, maxime cum eius discipulus *Tatianus* Ev sec. L in suum Diatessaron magna ex parte assumpserit.

Sed iam antea c. a. 140 Romae *Marcion* Evangelio testimonium reddit, cum ex omnibus unice adhibeat Lucam, teste *Irenaeo*, *Tertulliano*, *Origene*. Irenaeus haec tradit : « Marcion id quod est secundum Lucam Ev circumcidens et omnia quae sunt de generatione Domini conscripta auferens, et de doctrina sermonum Domini multa auferens... semetipsum esse veraciorem, quam sunt hi qui Ev tradiderunt Apostoli, suasit discipulis suis, non Ev, sed particulam Evangelii tradens eis », I 27, 2. *Tertullianus* eadem fere contra Marcionem profert, Marcionis Ev circa titulum adulteratum esse, adv. Marc. 4, 2-4 (4, 3 c. finem), Marcionem contraria quaeque sententiae suae erasisse... competentia autem sententiae suae reservasse 4, 6. Circa titulum Marcion Ev adulteravit, quod Evangelio suo nullum adscribit auctorem 4, 2. Secundum alios *(Adamantius*, Dial. 1, 8 ; 2, 13, MG 11, 1728. 1781) Ev ab ipso Christo et Paulo scriptum est (cf Carm. adv. Marc. 2, 1-2, ML 2, 1961ss). Modus agendi Marcionis demonstrat, Ev secundum L habuisse suam auctoritatem, antequam Marcion ab Ecclesia defecit, id est ante a. 140, et simul iam videtur haberi traditio, quae Evangelio Lucae adscribit aliquam cum Paulo relationem.

Praeter Marcionem *Celsus* c. medium saec. 2 testimonium reddit Evangelio, cf *Origenes* c. Celsum 2, 32.

Quod de Matthaeo diximus magis de Luca affirmandum est, traditionem, quae Lucae Pauli discipulo Ev adscribit, in se summopere commen-

dari, cum nulla ratio appareat, cur viro ceteroquin fere ignoto, et qui inter Pauli discipulos nullo modo cum Timotheo aut Tito comparari potest, liber evangelicus attributus sit.

2. Explicita de auctore testimonia in prioribus tradita sunt, n. 335.

Tertullianus adv. Marc. 4, 5 asserit Lucae digestum Paulo adscribere solent. Irenaeus non aliter III 1, 1 et plura III 14-15,1, ubi expressis verbis de Luca et Evangelio eius et veritate narrationis tractat et ipsum Marcionem et Valentinum multa ex Luca assumpsisse affirmat (14, 3s). Ibidem plurima quoque affert, quae « per solum Lucam cognovimus, et plurimos actus Domini per hunc didicimus, quibus et omnes utuntur ».

Fragmentum *Muratorianum* haec habet: «Tertio Evangelii librum secundum Lucam. Lucas iste medicus post ascensum Christi cum eum Paulus quasi ut iuris (itineris, litteris ?) studiosum secum adsumsisset, nomine suo ex opinione conscripsit. Dominum tamen nec ipse vidit in carne et idem (ideo) prout assequi potuit, ita et a nativitate Iohannis incipit dicere ».

354. Traditio de Luca unanimis statuit eum fuisse Pauli apostoli discipulum, ut testimonia modo allata demonstrant.

Eo ipso autem asseritur Lucam non fuisse Domini discipulum. Quod ipse Lucas luculenter fatetur, cum in Prologo Evangelii scribat « sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis (καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου 1,2). Quibus verbis docet se non fuisse inter illos, qui ab initio viderunt.

Traditio vero, quae Lucae Pauli discipulo Ev adscribit, iam tempore *Origenis* adeo indubitata erat, ut verba 2 C 8, 18 ad Lucam et eius Ev referri Origenes asserat, et postea *Hieronymus* dicat: « quidam suspicantur, quotiescunque in epistulis suis Paulus dicit iuxta Ev meum, de Lucae significare volumine », de vir. ill. 7. Quod sustineri non posse iam diximus, sed haec interpretatio saltem argumentum traditionis est.

Qua autem ratione Lucae Ev ad Paulum reduci possit, ex ipso Ev discendum est, cum determinata traditio non habeatur, qualis de Marco et Petro legitur. Neque censendum est Lucam materiam principalem sui Evangelii eadem ratione ex Paulo et eius praedicatione repetiisse, ut Marcus a Petro. Quod ipsis Lucae verbis 1,1ss videtur excludi, cum se et suos antecessores in enarrandis rebus Christi ab immediatis testibus, qui ab initio viderint et ministri fuerint, dependere dicat. Quod de S. Paulo pleno sensu asseri non potest, prout de S. Petro et Matthaeo sine restrictione valet. Praeterea Lucae liber in permultis a secundo Evangelio dependet.

Nihilominus nostrum Ev multiplicem influxum S. Pauli manifestat, ut vero quodam sensu dici possit Ev Paulinum. *a*) Ipsa enim *lingua* in utro-

que Lucae libro quam proxime ad modum loquendi Pauli accedit, non ita quidem, ut L non habeat suum genus dicendi, sed nullus scriptor NT[1] adeo voces et locutiones Paulinas adhibet ut Lucas. Praeter verba singula possunt conferri L 4, 22 et E 4, 29 aut C 4, 6 ; L 4, 32 et 1 C 2, 4 ; L 6, 37 et R 2, 1 ; L 6, 39 et R 2, 19 ; L 8, 15 et C 1, 10s ; L 10, 7s et 1 T 5, 18 et 1 C 9, 14 ; 10, 27 ; L 10, 20 et Ph 4, 3 ; L 11, 41 et Tit 1, 15 ; L 12, 42 et 1 C 4, 1, et alia.

b) *Ideae* autem *Paulinae* in Luca frequentius tanguntur quam in aliis Evv. Appellatio Christi ut *Domini* Lucae est maxime usitata, nam ipse Evangelista in sua narratione Iesum hoc nomine appellat, non solum alios ita alloquentes facit (cf L 7, 13. 31 ; 10, 1 ; 11, 39 ; 12, 42 ; 13, 15 ; 17, 5s ; 18, 6 ; 19, 8 ; 22, 31. 61 ; 24, 3. 34). Salutis universalitas a Luca eodem modo ut apud Paulum docetur, et eandem esse Iudaeorum et Gentium condicionem, cf R 2, 1-16. 25-29 et L saepius, qui magnopere internam dispositionem effert, et hanc dispositionem maxime apud peccatores et miseros adesse supponit et docet.

Iudaei quamquam etiam apud Lucam ut apud Matthaeum et Ioannem describuntur increduli et pertinaces, tamen iterum atque iterum a Domino benigno ad paenitentiam et salutem invitantur, quod magnopere ad modum cogitandi et agendi S. Pauli accedit, cf R 2, 9-11. Fides praecipue eadem prorsus ratione proponitur ut apud S. Paulum, item redemptio.

c) Maxime nota est similitudo inter Paulum et Lucam in referendis verbis Domini in institutione S. Eucharistiae, L 22, 19s et 1 C 11, 23ss. Quae similitudo tum quoque manet, si quis putaret — quod non admittimus — textum Lucae postea ad Pauli verba esse accommodatum. Praeterea L 10, 7 et 1 C 9, 14 et 1T 5, 18 ; L 24, 25ss. 44 et 1 C 15, 3 ; L 24, 34 et 1 C 15, 5. Notari potest 1 C 7, 25. 40 de virginibus et consilio Apostoli, ubi non allegat effatum Domini apud Mt 19, 11ss, quod Lucas quoque praetermittit. Tandem afferenda videtur convenientia inter L 8, 12 πιστεύσαντες σωθῶσιν et 1 C 1, 21 σῶσαι τοὺς πιστεύοντας.

355. Lucas a Paulo dicitur « medicus carissimus », C 4, 14. Et revera ex utroque ipsius opere sufficienter comprobatur auctorem esse medicum. Nam in sanationibus narrandis pluries a Luca adiuncta notantur, quae ab aliis non commemorantur, et ideo ostendunt auctorem aut esse medicum aut linguae medicorum peritum.

L 4, 35 addit μηδὲν βλάψαν αὐτόν ; 4, 38 συνεχομένη πυρετῷ μεγάλῳ, a medicis *Galeno*, *Aretaeo*, *Celso* distinguitur πυρετὸς μέγας et μικρός (cf *JSchuster*, BZ 13 [1915] 338-343). 4, 39 ἐπιστὰς ἐπάνω. Quae Mr 5, 26 de medicis dicit, a Luca 8, 43 aut omnino omittuntur (B D sa syr-sin) aut certe mitigantur. 8, 44 ἔστη ἡ ῥύσις τοῦ αἵματος αὐτῆς, cf 9, 38s. L 5, 18. 24 adhibet terminum παραλελυμένος, non παραλυτικός ut alii. Medici priorem imne terminum ut technicum admittunt, non alterum. 13, 11ss

in mulieris infirmae descriptione plures termini medici leguntur, ἀνακύπτειν, ἀπολύειν, ἀνορθοῦν. 10, 30-35 in parabola Samaritani agnoscitur lingua medicorum, quod ex comparatione cum *Galeno* patet (+ c. 200, de morb. differ. 5). Opponit quidem *Wellhausen* vulnera non curari infusione vini, sed ex *Hippocrate* et aliis omnino certum est oleum et vinum vulneribus curandis adhibita esse.

Similia occurrunt in *Actis*. 3, 7 s sanatio claudi fuse describitur, σφυδρόν vox graeca rara, in lexicis graecis saepe omittitur, cf *Galen*. 10. A 9, 18 ἀπέπεσαν ὡς λεπίδες, cf *Hippocr.*, *Galen*. A 13, 11 ἀχλύς secundum *Galenum* determinatus morbus oculorum. A 14, 8 claudus dicitur ἀδύνατος τοῖς ποσίν, terminus technicus. A 5, 5. 10 ἐκψυχεῖν, cf A 12, 23 videtur fere unice a medicis adhiberi. A 5, 6 συστέλλειν apud medicos frequenter de vulneribus alligandis adhibetur, Vg *amoverunt*, in NT praeter hunc locum solum 1 C 7,29 ὁ καιρὸς συνεσταλμένος ἐστίν. Ex Actis idem animadvertitur in locis illis, in quibus auctor prima persona loquitur. A 16, 16 πνεῦμα πύθων. 20, 9 καταφερόμενος ὕπνῳ βαθεῖ, κατενεχθεὶς ἀπὸ τοῦ ὕπνου; καταφέρεσθαι, καταφορά saepe a medicis adhibitum, ut vox ὕπνος non necessario addenda sit. Ἐπιμέλεια A 27, 3, ὑποζωννύναι 27,17 terminus technicus, *succingere*, βοηθείαις ἐχρῶντο apud medicos βοήθεια usitatissimum. 28, 3-6 καθῆψεν τῆς χειρὸς αὐτοῦ, Vg *invasit manuum eius*, potius vertendum *momordit*, quod etiam contextus postulat. 28, 3-5 ἔχιδνα, θηρίον apud medicos fere synonyma. θέρμα 28, 3 apud medicos pro θερμότης. 28, 6 πίμπρασθαι terminus technicus, *in tumorem converti*. Lucas duplicem effectum notat, qui exspectandus erat : aut intumescere aut subito mortuum concidere. Medicus utramque possibilitatem notat. 28, 6 μηδὲν ἄτοπον apud medicos frequenter usitatum. 28, 8 πυρετοῖς καὶ δυσεντερίῳ συνεχόμενος, tota locutio apud solos scriptores medicos occurrit.

Ex exemplis allatis luculenter demonstratur auctorem Evangelii et Actuum novisse linguam medicorum, eum cum attentione et diligentia observasse morbos et eorum sanationes. Quare dubium esse potest, quin traditio de Luca medico veritate nitatur et ipsa librorum indole roboretur. Cf *Hobart*, The medical Language of St. Luke, 1882. *ThZahn*, Einleitung II³, 433s. 442s. *Harnack*, Lukas der Arzt 122-137, Lp. 1906.

§ 20. De lingua et lectoribus Evangelii secundum Lucam

356. 1. *S.Lucas* secundum Apostolum (C 4, 14) est ex ethnicis, Graecus, saltem sensu latiore. Si autem partes quaedam Evangelii considerantur aut Actuum pars prior, lingua adeo est hebraizans, ut auctor potius dicendus esse videatur Iudaeus. At ab initio Evangelii in prologo manifestatur auctor, qui lingua graeca perfecte utitur. Idem ostenditur terminis graecis, quibus magistratus, res militares aut iudaicae institutiones designantur.

Ανθύπατος A 13, 7s. 12; 18, 12; 19, 38; ἡγεμών, ἡγεμονεύειν, ἡγεμονία, L 2, 2; 3, 1. στρατηγός 22, 4. 52; A 4, 1; 5, 24. 26; 16, 20-38; γερουσία A 5, 21; νομικός L 7, 30; 10,25; 11, 45. 46. 52; 14, 3 (Mt 22, 35; Tit 3, 9. 13 tantum). Νομοδιδάσκαλος L 5, 17; A 5, 34. Non adhibet κῆνσος, κεντυρίων, κοδράντης. Λεγεών L 8, 30 legitur ex ore daemonum, quod saepe apud Lucam observatur, ut non ipse vocem adhibeat, sed eam ab aliis usurpatam in eorum sermonibus admittat, cf εὐαγγέλιον A 15, 7; 20, 24. Solet voces graecas vulgares repudiare et eas praeferre, quae a grammaticis commendantur, κράβαττος, cf Mr 2; L 5 κλίνη, κλινίδιον (Mt 9), sed A 5, 15; 9, 33. παραχρῆμα L decies, A septies (tantum Mt 21, 19s). Λίμνη L 5, 1s; 8, 22s. 33, non θάλασσα pro lacu Genesareth, quam vocem adhibent Mt Mr J.

Voces aramaicas Lucas saepe omittit, *Amen* legitur apud Lucam 7 locis, in A numquam, apud Mt 31, apud Mr 14, apud J 25 locis. Lucas non scribit *rabbi*, sed διδάσκαλος, aut ἐπιστάτης L 5, 5; 8, 24. 45; 9, 33. 49; 17, 13. Ζηλωτής, non Κανάναιος, L 6, 15; A 1, 13.

Elocutio deinde si comparatur cum aliis Evangelistis, qui eadem referunt, magis ad indolem graecam redacta est, at non eo usque, ut Lucas semiticum colorem penitus deterserit. Cf L 3, 17s et Mt 3, 12; L 3, 21s et Mr 1, 9ss, Mt 3, 16s; L 4, 42s et Mr 1, 35-38; L 5, 24s et Mr 2, 11s; L 8, 4-8 cf Mr 4, 1-9; L 8, 25 cf Mr 4, 41; L 8, 40ss et Mr 5, 21-24; L 9. 7ss cf Mr 6, 14ss; L 9, 21s cf Mr 8, 30s; L 9, 24s cf Mr 8, 35s; L 9, 28-36 cf Mr 9, 2-8; L 18, 35-43 cf Mr 10, 46-52.

In sermonibus Christi saepius color *semiticus* et *parallelismus*, qui se tantopere apud Mt prodit, deletus est, quia indoli auctoris graeci minus convenire videbatur, cf L 6, 47-49. Iam 6, 48 in fine L aliquomodo mutavit textum et magis graecum reddidit, sed multo magis 6, 49 sententiam apud Mt 7, 26s plane congruam cum 7, 24s contraxit et neglexit parallelismum perfectum, qui potius semiticus quam graecus est.

2. Lucas scribit *Graecis*. Nam similiter ac Mr ex sermonibus Christi permulta omittit, quae ethnicis minus apta esse videbantur.

Non tradit Mt 5, 17ss de lege implenda et observanda. Omittit illas oppositiones Mt 5, 21-48, quamquam eas videtur novisse, quia aliqua ex eis assumit 16, 17, cf Mt 5, 18. Habet praeterea Mt 5, 39. 40. 42. 44-47, non eadem quidem forma, neque affirmamus ea ex Mt desumpta esse. Lucas brevissime tangit quaestionem de Iudaeorum purificationibus et iis quae Dominus de hac re disputavit Mt 15, 1-20 et Mr 7, 1-23. Non legimus apud Lucam narrationem de muliere chananaea, Mr 7, 24-30; Mt 15, 21-28. Ex sermone Christi contra scribas plura quidem tradit quam Mr, sed multa omisit quae apud Mt 23 leguntur, cf L 11, 39-52; 20, 45ss. Non legimus Mt 10, 5s.

Lucam autem studiose ea referre, quae ethnicis prae Iudaeis laudi sunt, notum est, cf L 7, 1-10, ubi a Mt etiam in iis differt quae de centurione

dicuntur. L 10, 28-37 in quaestione de magno mandato et proximo Samaritani caritatem laudat, item in narranda sanatione decem leprosorum 17, 11-19.

Eadem observantur in *Actis*. Neminem enim fugit, quanto cum studio A 10 *Cornelii* pietas describatur. Similiter milites romani Paulum eripientes et saepe ipsi faventes exhibentur, cf A 21, 31; 22, 25-29; 23, 17-24; 27, 3. 30s. 43; 28, 16. Magistratus quoque romani et civitatum praesides describuntur ita ut Paulo et religioni christianae sint amici, aut saltem non infensi, cf A 13, 7-12; 16, 30-34; 17, 6-9; 18, 12-17; 19, 31; 24, 22-25; 25, 16; 26, 28-32; 28, 30s.

Ethnici aliter ac Iudaei cupido animo fidem amplectuntur, A 8, 5-25; 10, 24ss; 11, 21-24; 13, 46-49; 14, 11-18; 18, 5-8. 10; 28, 23-28.

§ 21. De Evangelii secundum Lucam compositione et fine

357. 1. Auctor Evangelii ab initio rationem operis sui reddit et *finem*, ob quem scripserit exponit, 1, 1-4. Se non primum esse, qui tale opus susceperit scribendum manifestat, multos ante ipsum conatos esse narrationem ordinare rerum inter Christianos gestarum (πολλοὶ ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων) 1, 1. Haec verba ostendunt, quantum studium iam ante Lucam fuerit instituendi narrationes scriptas Evangelii. Obiectum vero horum librorum fuit ordinatio, narratio ordinata rerum, quae inter Christianos completae erant. Alii, sed minus bene, intellegunt narrationem rerum, quarum *firma persuasio* facta erat, cf R 4, 21; Hb 6, 11; 10,22; 1 Th 1, 5; (R 14, 5).

Non videtur urgenda locutio περί, quae Lucae valde familiaris est, cf 1,4; 2,18; 7, 3. 18; 22, 37; A 1, 1; 18, 25; 22, 10; 23, 11; 28, 23. 31. Fortasse non casu factum est, ut Actuum liber 28, 23. 31 concludatur simili locutione, qua Ev initium sumit τὰ περὶ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. Hoc videtur etiam obiectum fuisse librorum, qui ante Lucam conscripti erant.

Ex verbis prologi sequitur multos illos, qui libros composuerunt, fuisse praecipue ex eis, qui non ipsi testes immediati rerum fuerant, sed qui eas a testibus primariis audierant. Lucas his verbis non videtur praedecessores suos vituperare, immo eis concedit illos secundum veritatem narrasse, cum asserat eos conatos esse ordinare narrationes, καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου 1, 2. Nihilominus concedendum est Lucam aut Theophilum, cui liber destinatus est, aliquid in libris illis desiderasse, quod L opere suo praestare intendit. Quid autem sit, aliquomodo ex prologo et ex opere ipso discendum est, et verba illa πᾶσιν ἀκριβῶς καθεξῆς videntur illud enuntiare, quod Lucas

fortasse praeter ea, quae ab aliis scripta sunt, in opere suo prae oculis habet. Sunt quidem plura in prologo minus perspicua et satis disputata. Sed aliqua certa haberi possunt.

a) Primo enim solent quaestionem movere, num Lucas in prologo suo Ev secundum Mt commemoret. Quod sine dubio negandum est. Aperte enim de iis agit, qui scripserint, quin ipsi omnia viderint et ab initio ministri fuerint. Ergo illi non in alia condicione fuerunt quam ipse Lucas. Ex hoc autem intellegitur, cur Lucas sibi facultatem vindicet librum evangelicum conscribendi, quamvis ipse rebus non interfuerit. Alii hoc conati sunt, unde ipsi quoque idem licebit facere, maxime cum omnia assecutus sit. Ex his vero verbis sequitur Lucam non potuisse in hoc contextu mentionem facere alicuius libri, qui ab *apostolo* compositus erat. Quare nihil affirmatur, nihil negatur, ita ut de Evangelio secundum Mt ex nostro prologo nihil omnino concludi possit et quaestio illa difficilior, utrum Lucas Ev secundum Mt noverit necne, aliunde solutionem accipere oporteat.

b) Lucas si asserit se omnia *diligenter* assecutum esse (παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς 1, 3), non affirmare intendit se rebus gestis ipsis interfuisse, cum illud ab initio neget ; proinde potius dicendum est auctorem enuntiare, se investigatione res prosecutum esse, postquam gestae sunt. Sunt quidem, qui propter usum vocis graecae apud auctores profanos verba Lucae de ipsius praesentia in rebus gestis concipiant, sed hoc cum prioribus componi non potest et traditioni contradicit. Neque apte dici potest haec verba ad librum Actuum referri posse, cum Lucas multis non interfuerit, quae in Actis narrantur. Nullo modo enim recte affirmaret se omnia assecutum esse, omnibus interfuisse, cum neque vitae Christi neque initii Ecclesiae testis immediatus sit.

Quare dicimus Lucam eatenus omnia assecutum esse, quod investigatione omnia attingere conatus est, atque id ἄνωθεν *ab initio* fecit, cum historiam ad prima initia Evangelii sequatur ; nisi quis vocem de ipsis investigationibus interpretetur, quae *iam diu* susceptae et absolutae sunt. At haec interpretatio minus obvia et apta est. Multo minus eorum opinio approbanda est, qui censent Lucam ἄνωθεν id est *denuo* omnia investigasse. Explicite autem addit se diligenter ἀκριβῶς omnia investigasse, ut possit fideliter et veraciter narrationem suam ordinare.

c) Tandem promittit se ex ordine καθεξῆς scripturum esse. De qua voce multum disputatum est, sed cum agatur de opere indolis historicae, etsi non unice historicae, considerato usu vocis apud historicos (cf *Thucyd.* 5,20.26 ; L 7,11 ; 9, 37 ; A 21, 1 ; 25, 17 ; 27, 18 ; cf L 8,1 ; A 3, 24 ; 11, 4 ; 18, 23), auctores recentiores tum catholici tum acatholici plerique recte ordinem aliquomodo historicum cogitant. At hoc non ita sumendum est, ut *omnia* secundum decursum rerum gestarum narrata et ordinata esse censeamus, cum evidens sit Lucam non semper ordinem chronologicum tenere. In Christi infantia narranda studium chronologiae manifestum est, et in aliis quoque notae historicae traduntur, cf 3, 1s ; 6, 1.6 ; 7, 18 ; 8, 1,

et alia. Sed non semper haec leguntur neque semper habentur, ubi Mt et Mr facta arctius inter se coniungunt.

Porro Lucas non semel ordinem historicum invertit aut more historicorum seriem rerum ad finem usque perducit, etiamsi cursum rerum gestarum praevenit, cuius rei exempla habentur L 1,80 et in iis, quae de Ioannis Baptistae captivitate dicuntur, 3, 19s. Alio modo ordine historico omisso initio praedicationis Christi post summariam narrationem ministerii in Galilaea suscepti (4, 14s) proponitur pericope Nazarethana, quae ex ipsa narratione non eo loco describenda erat (4, 23), si ratio chronologiae habebatur. Intentio auctoris videtur ea fuisse, ut in hoc exemplo demonstraretur, qua animi dispositione Nazarethani et Israelitae nuntium Messianicum suscepturi essent.

2. *Finis* autem, quem Evangelista sibi assequendum proposuit, est ἀσφάλεια, *veritas*, certitudo procuranda doctrinae, qua Theophilus eruditus est, 1, 4. Lucas proinde non primam institutionem tradit, sed ei qui iam edoctus est, certitudinem rerum demonstrare intendit, non ut dubitantem roboret, sed ut per facta historica recte ordinata Theophilo omnimodam certitudinem fidei communicet.

Quam certitudinem Lucas suo libro melius praeberi posse supponit, quam aliis illis, qui antea scripti sunt, quia hi fortasse non secundum ordinem compositi sunt, neque prima initia tradunt, et propterea non cum illa diligentia compositi sunt, quam Theophilus desiderat.

Theophilus, cui Lucas librum inscripsit, quis fuerit, ignoramus. Eum autem hominem alicuius auctoritatis fuisse, ex eo iam concluditur, quod Lucas ei librum dedicat et eum appellat κράτιστε 1, 3. Quae appellatio in NT apud solum Lucam occurrit et tribuitur Felici procuratori et Festo, A 23, 26 ; 24, 3 ; 26, 25. Alibi autem sensu latiore adhibetur neque necesario restringitur ad designandum virum in officio publico constitutum (cf *ThZahn*, Lucas 41, 56s). Cum Lucas Theophilum non appellet fratrem, sunt qui putent (*Zahn*, alii), eum nondum fuisse Christianum, cum Ev scriberetur, postea autem iam fratrem christianum esse, quia A 1, 1 haec appellatio non legatur. Sed rationes non evincunt hanc interpretationem, neque eam ex vocibus κατηχεῖσθαι, κατήχησις confirmari manifestum est, cf R 2, 18 ; 1 C 14, 19 ; G 6, 6 (A 18, 25 ; 21, 21. 24). Quare rectius censemus Theophilum fuisse Christianum, librum autem ita ei esse dedicatum, ut simul publico usui destinatus sit, quod in antiquitate saepe factum est.

358. 1. Si in ipsam *compositionem* Evangelii inquirimus, apparet illud simili ratione ordinatum esse ac priora, et si accuratius comparationem instituimus, cernimus magnam inter Mr et L

affinitatem materiae et ordinis. Unde de dependentia Lucae a Marco hodie inter omnes fere convenit, et Mr unus ex multis illis est, qui ante Lucam scripserunt et quem secutus est in libro scribendo. Ex iis autem, quae antea de Luca et Marco diximus, patet eos eodem tempore cum S. Paulo fuisse, ut amicitia inter se coniuncti fuisse videantur. Eo vero probabilius est Lucae librum Marci fuisse cognitum.

a) Summa vero convenientia inter Mr et L facile deprehenditur. Quae enim a Mr 1, 21-3-19, leguntur apud L 4, 31-6, 19 fere eodem ordine recurrunt ; L 5, 1-11 narrat Petri piscationem, 6, 12-16. 17-18 electionem et nomina Apostolorum, deinde concursum populi, quod Mr ordine inverso tradidit, 3, 7-12. 13-19. Ratio autem, cur L alium ordinem sequatur, manifesta est, inserit enim 6,20 sermonem montanum, quem Mr omnino praetermittit. Postea Mr 4,1-6,44 in L habetur 8,4-9,17 ; pauca vero omissa, Mr 4, 26-34 ; 6, 1-7a. 17-29, aut alio loco posita sunt, parabola de grano sinapis L 13, 18s ; Iesus in Nazareth L 4, 16-30, quam narrationem L ex alio fonte hausit. Deinde recurrit Mr 7,29-9,40 apud L 9,18-50 Mr 10, 13-34 apud L 18, 15-34 ; Mr 11, 27-12, 27 apud L 20, 1-20 ; Mr 12, 35-13, 31 apud L 20, 41-21, 33 (omittitur Mr 13, 21ss) ; Mr 14, 10-16 apud L 22, 3-13.

Plura quidem ex his apud Mt quoque leguntur, ut quaeri possit, num L ea potius ex Mt quam ex Mr hauserit. Sed ordo Lucae multo magis ad Mr accedit quam ad Mt, et si modus narrandi consideratur, multo maior similitudo inter Mr et L est quam inter Mt et L. Si vero L in ordinandis gestis a Mr recedit, vix unquam ordinem Matthaei amplectitur.

b) Quaestio autem, cur L supposita dependentia a Mr longiorem huius Evangelii partem, Mr 6,45-8,26 omiserit, obscurior est, quam ut omni ex parte solvi possit. Sed aliqua saltem ratio probabilis in eo cerni potest, quod L materias similes non bis tractare solet. Unam narrat multiplicationem panum, unctionem in Bethania factam praeteriisse videtur, quia 7,36-50 simile factum descripsit. At inde non sequitur Lucam haec facta identica habuisse. Quod eo minus affirmari potest, quia Lucas in libris suis scribendis aliquo modo secutus esse videtur praecepta litteraria sui temporis. Neque incredibile est auctorem noluisse excedere volumen operis, quale eo tempore usitatum erat et cui eius libri fere respondent. In codice BEv secundum Mr habet (sine 16, 9-20) 78 columnas, J 97, Mt 127, A 130, L 137. Cod. Sin. Mr 85, I 108, Mt 139, L 150, A 146.

2. Difficilior est quaestio de relatione inter Mt et L. In plurimis omnino consentiunt : Praeterea habent historiam infantiae Christi ; sed ipsa haec similitudo potius dubia et quaestiones sollicitat quam solvit. Lucas enim non solum aliam materiam tradit, sed suam ita ordinat, ut ordinem Matthaei minime respiciat.

In sermonibus vero saepe tanta inter utrumque Ev affinitas adest, ut ipsa verba et ordo sententiarum perfecte conveniant, cf Mt 3, 7-12 et L 3, 7-9. 17; Mt 5-7 et L 6, 17-49; Mt 8, 5-13 et L 7, 1-10; et alia permulta.

At in iis quae Mt cum L communia habet, L saepius alium fontem secutus est, cf L 3, 23-38; 6, 17-20a. 22s. 37s. 41s. 46. 47ss; 7, 1-10; 10, 5-9; 11, 29-32. 39-51; 12, 2-9. 33s. 51ss; 13, 23s; 14, 16-24. 26s. 34s; 15, 3-7; 17, 34s; 19, 12-27. Ex his quaestio oritur, unde L haec hauserit, et num omnino a Mt pendeat aut eum noverit, praesertim cum hoc supposito asserendum sit Mt eo tempore iam in linguam graecam translatum esse. Sed de his postea fusius agendum erit.

3. Quae vero Lucae sunt *propria*, per totum librum sparguntur.

L 1-2 initia; 3, 1s introductio historica; 3, 10-14 Ioannis sermo ad populum, publicanos, milites; 3, 19s Baptistae captivitas, 3, 23-38 genealogia. 5, 1-10 Petri piscatio; 6, 24ss Vae triplex; 7, 11-17 iuvenis resuscitatus; 7, 36-8, 3 peccatrix et mulieres; 9, 51-56 a Samaritanis repulsus; 9, 61s aptus regno Dei; 10, 1-16 missio discipulorum; 10, 29-37 Samaritani parabola; 10, 38-42 Maria et Martha; 11, 5-8 amicus importunus; 11, 27s matris beatificatio; 12, 13-21 parabola divitis; 12, 35-40 servi vigilantes; 12, 47-50 retributio, ignis, baptismus; 13, 1-17 paenitentia, ficus; 13, 31ss Herodes; 14, 1-14 Dominus invitatus; 14, 28-33 turris, bellum; 15, 1s Pharisaei murmurantes; 15, 8-32 drachma, filius prodigus; 16, 1-15 villicus iniquus, Pharisaei; 16, 19-31 Lazarus et dives; 17, 7-21 servi inutiles, leprosi; 18, 1-14 iudex iniquus; Pharisaeus et publicanus; 19, 1-27 Zacchaeus, parabola mnarum; 19, 41-44 Dominus flevit; 22, 31-38 Simon, monitio; 22, 43s agonia, angelus; 22, 66-71 concilium contra Christum; 23, 2-15 Pilatus, Herodes; 23, 27-31 filiae Ierusalem; 23, 34a. 39-43. 46 Christi verba; 24, 9-53 apparitiones.

Cum haec partem non exiguam Evangelii constituant, quaeri solet, unde Lucas eorum notitiam habeat, sintne derivanda ex fonte scripto, fortasse unico aliquo, an ex pluribus an ex traditione orali. Quoniam S. Lucas nihil affirmat, solutio ex internis indiciis quaerenda est, L 1-2 probabilius ex fonte scripto dependent. Unde vero haec tandem fluxerint, Evangelista ipse satis clare innuit 2, 19. 51, si notat Christi matrem omnia verba conservasse. De aliis non adeo certo statui potest, at sermones et parabolae Lucae propriae aliquam inter se similitudinem prae se ferunt et eiusdem indolis sunt. Sed hoc nondum videtur sufficere fonti proprio circumscribendo. Sunt in his, maxime autem in factis a Luca traditis, plura, quae prope ad rationem quarti Evangelii accedunt et eundem fontem indicant, cf L (7, 36-50), 10, 38-42 Maria et Martha; 11, 27s.

22, 24-27 contentio apostolorum; 23, 38 inscriptio crucis (?); 24, 12. 24 Petrus ad monumentum; 24, 36ss apparitio, et alia. Num Lucas Ioannem

ipse viderit ignoratur, sed certum est eum cum Paulo post tertium iter in Palaestinam profectum esse (A 21,8.15), et cum post duos annos una cum Apostolo iter romanum suscipiat, recte supponimus Lucam per biennium illud aut saltem aliquo tempore in Palaestina conversatum esse, ubi facile investigationes in vitam Christi et initia religionis Christianae instituere potuit, cum eo tempore plures ex Apostolis et permulti ex primis fidelibus supervixerint. Ipsum quoque S. Ioannem tum in Palaestina fuisse satis probabile est.

4. De *ordine* quem L in Evangelio conscribendo secutus est, haec fere statui possunt.

Initio c. 1-2 videtur sequi ordinem fontis sui ; narratio est in se conclusa et historico cursu ordinata. In aliis vero sequitur fere Marcum, inserens ut vidimus quaedam, alia omittens aut pauca invertens. Ab hoc ordine autem recedit a 9, 51-18, 14 describens iter hierosolymitanum. In hac sectione materiam ipsi propriam magna ex parte disposuit. Ex sermonibus qui apud Mt leguntur, non pauca hic recurrunt. Sed quod ordinem historicum huius itineris attinet, quaedam sunt obscura et videtur dicendum esse Lucam alia quoque hic posuisse, quae aliis occasionibus acciderunt.

Ex pluribus enim quae in hac parte narrantur, elucet Christum ante passionem suam Ierusalem adiisse, cf L 10, 30ss ; 10, 38-42 et J 11, 1 ; L 13, 1ss ; 13, 34s ; 18,9ss. Sub hoc quoque respectu Lucas magis quam alii Synoptici accedit ad Ioannem.

5. De compositione *sermonum* tertii Evangelii quaestio oritur ex eo, quod saepe eadem materia apud Mt, sed alio ordine occurrit.

In primo enim Evangelio leguntur longiores illi sermones, qui non raro manifesta vestigia compositionis artificialis prae se ferunt. Apud Lucam vero eadem materia invenitur in partes minores per Ev distributa, ut quaeratur, secundum quae principia haec a Luca ordinata sint. Fuerunt qui censerent Lucam ante oculos habuisse Mt et longiores hos sermones dissecuisse et locis qui ipsi apti viderentur inseruisse. At haec sententia ob varias rationes sustineri non potest. Cum enim Lucas non teneat ordinem artificiose redactum ut Matthaeus difficilius cum veritate narrationis coniungi potest talis distributio, quae speciem ordinis chronologici prae se fert et eum tamen neglegit. Magis autem id obstare videtur, quod Lucas in eiusmodi sermonibus referendis pluries introductionem aliquam historicam tradit, quae adiunctis omnino respondet, ita ut eam ex fonte suo hausisse dicendus sit, v. g. L 12, 58s cf Mt 5, 25s ; L 13, 22ss de porta angusta cf Mt 7, 13s ; L 14, 25ss. 33 cf Mt 10, 37s ; L 14, 34s cf Mt 5, 13 ; L 15, 3-7 et Mt 18, 12ss ; L 10, 13ss et Mt 11, 20-24 ; L 10, 21s et Mt 11, 25ss.

Non affirmamus ubique agi de eadem occasione et de eodem dicto Christi; sed certum est ex his exemplis Lucam non posse a solo Mt dependere, si omnino ab eo dependet, quod non est certum, et eum saltem praeter Mt habuisse alios fontes.

359. Evangelii *dispositio* hac fere ratione concipi potest :

Introductio continet prooemium 1, 1-4, infantiam Ioannis Baptistae et Domini, quae ita describitur, ut doceatur fidelitas et bonitas Dei et Christi vocatio (rex, salvator, lumen gentium, in ruinam et resurrectionem) 1, 5-2, 52; Ioannis Baptistae missionem, Christi baptismum et genealogiam et tentationes 3, 1-4, 13.

I. Prior pars ex mente Evangelistae distinguitur ab initio praedicationis in Galilaea usque ad iter hierosolymitanum 4, 14-9, 50.

1. Praemissa generali descriptione praedicationis sequitur manifestatio in Nazareth, quae est impletio prophetiae Isaiae, ostenditur Nazarethanorum incredulitas et indicatur fides gentium 4, 14-30.
2. Praedicatio et miracula in Capharnaum 4, 31-5, 16, miracula, vocatio Levi, infestationes 5, 17-6, 11.
3. Vocatio apostolorum et sermo montanus 6, 12-49.
4. Miracula et misericordia erga peccatores, Iudaeorum et Pharisaeorum mens (7, 9. 22s. 29ss. 39) 7, 1-8, 3.
5. Parabolae et miracula quae sequuntur (procella, Gerasenus, filia Iairi) 8, 4-56.
6. Apostolorum missio (Herodes) et reditus, miraculum panum, Petri confessio et passionis praedictio, sequela Christi, transfiguratio et sanatio pueri, altera passionis praedictio et institutio apostolorum 9, 1-50.

II. Ministerii nova pars, ex mente Evangelistae ita concipienda, ut *assumptio Christi* ob oculos versetur 9, 51-19, 27, cf 9, 51.

Apostolorum institutio et doctrina de regno Dei et eius praeparatione.

1. Samaritani, condiciones sequelae, missio discipulorum, reditus, Christi confessio, magnum mandatum, unum necessarium 9, 51-10, 42.
2. Institutio de oratione, 11, 1-13, perversa mens Iudaeorum, blasphemia, signi petitio et Christi doctrina (animi recta intentio, puritas, fermentum Pharisaeorum, periculum divitiarum, fiducia providentiae, vigilantia) 11, 14- ~, 59.
3. Admonitio paenitentiae, mulier sanata, parabolae sinapis et fermenti, porta angusta, Ierusalem impaenitens 13, 1-35; homo hydropicus, humilitas, cena magna, condicio discipulorum 14, 1-35; Domini erga paenitentes misericordia 15, 1-32; vera prudentia, duo domini et legis perfectio, Lazarus et dives, scandalum et remissio, fides, servus inutilis, leprosi 16, 1-17, 19.
4. Regnum Dei et dies filii hominis, fides violenta, falsa fiducia 17, 20-18, 14; infantes, eorum regnum Dei, vita aeterna et thesaurus in

caelo 18, 15-30; tertia passionis praedictio, caecus et Zacchaeus, parabola mnarum (rex accipit sibi regnum) 18, 31-19, 27.

III. Christi manifestatio in Ierusalem.
1. Sollemnis ingressus et potestas Domini, urbis futura sors 19, 28-20, 8.
2. Parabola vineae et confutatio adversariorum 20, 9-21, 4.
3. Consummatio et redemptio 21, 5-38.

IV. Passio et glorificatio 22, 1-24, 53.
1. Principes sacerdotum et proditor 22, 1-6.
2. Cena, eucharistia, admonitiones 22, 7-38.
3. Gesta in monte olivarum 22, 39-53.
4. Christus ante synedrium et Petrus 22, 54-71.
5. Christus ante Pilatum et Herodem 23, 1-25.
6. Mors et sepultura Domini 23, 26-56.
7. Resurrectionis annuntiatio 24, 1-12.
8. Christus et duo discipuli 24, 13-35.
9. Christus coram apostolis, missio, assumptio 24, 36-53.

§ 22. De Evangelii secundum Lucam integritate

360. 1. Quaestio integritatis textus in nostro Evangelio iam antiquitus est agitata.

a) A *Marcione* enim initium Evangelii amputatum esse constat, quem sequitur *Wellhausen* cum aliis recentioribus, *Tatianus* quoque aliqua reiecit, genealogias potissimum. *Conybeare* recenter asserebat, *S. Ephraem* (286) supponere textum qui a praedicatione Ioannis tandem initium sumit (cf ZNW 3 [1902] 192-197. Sed textum falso ita intellegi patet ex Commentario in Actus (*Merk*, ZkTh 47 [1923] 322-25).

Genuinitas autem horum capitum omni ex parte in tuto posita est. *Externa* testimonia enim tanta cum evidentia ea tuentur, ut vix ulla pars NT[1] sit, quae tam constantibus et antiquis testimoniis roboretur. Codices et versiones omnes concordant, exeunte s. 2 *Irenaeus*, Canon *Muratorianus*, *Tatianus*, *Alexandrini* suffragium suum pro textu edunt, *Iustinus* permulta ex his capitibus allegat, *Proto-Ev Iacobi* ea supponit, *Epistula Apostolorum* consonat. *Interna* criteria idem confirmant, cum et lingua et modus loquendi et concipiendi sit idem ac in reliquo Evangelio et A. Non paucae voces sive cum Ev sive cum A communes sunt, quae alibi non adhibentur. Quare recte negamus solidas rationes afferri posse contra genuinitatem L 1-2, cf n. 576, Decret. d. 26 Iunii 1912 n. III.

b) Singularis aliqua quaestio ex his capitibus movetur de Cantico *Magnificat* L 1, 46ss, quod secundum aliquos testes antiquos non Mariae sed Elisabeth adscribitur, a b l *Iren.* (IV 7, 1; aliter III 10, 1), *Nicetas* Remes., *Origenes* in L sec. interpretationem *Hieronymi*, qui testatur secundum alios codices haec quoque verba Elisabeth vaticinari. Sed verba

videntur esse Hieronymi, qui ad traditionem veterem latinam alludit, non Origenis.

Ergo pauci testes et omnes occidentales, quorum auctoritas sola apud criticos recte minoris auctoritatis habetur. Ex contextu autem et rationibus aliis internis lectio communis longe praestat, cf Decret. n. IV.

c) L 9, 55s a quibusdam testibus (ΘDKMU et affinibus, lat. pler. sy^{cph} arm bo Tat Ambr Did Hier) additur textus « dicens : Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare » (omittitur a BSACW al. sy^{s} sa). Hic difficilius dicitur, sitne textus approbandus necne. A plerisque criticis solet omitti propter auctoritatem codicum. Textus autem in se consideratus congruit cum indole Evangelii nec derivari potest ex alio Evangelio, cum nullum similem textum habeat.

d) Textus maxime disputatus est L 22, 43s. Hi versus in codicibus BARTW et aliis paucis, sy^{s} sa bo arm plerique f omittuntur, non commemorantur ab *Origene*, *Clemente Alex.*, *Athanasio*, *Cyrillo H.*, *Cyrillo A.*, *Gregorio Naz.*, *Ambrosio*. In codicibus EV al. tamquam critice dubii notantur.

Legitur vero textus a *Iustino*, *Tatiano*, *Ephraem*, *Irenaeo*, *Hippolyto*, *Dionysio Al.*, *Chrysostomo*, *Theodoreto*, *Augustino*, notus erat *Porphyrio*. Invenitur in cod. S C D O al. sy^{cph1} vet. lat. Vg bo arm cod. poster. et notus erat antiquitus Armenis. Secundum *Hilarium* et *Hieronymum* in multis codicibus desiderabatur. *Epiphanius* (Ancoratus 31, 4 cf *Holzmeister*, ZkTh 47 [1923] 309) vero asserit textum haberi in codicibus non correctis, orthodoxos autem verba abstulisse, quia Ariani eis abutebantur. Quod ex disputationibus Armenorum quoque elucet.

Quia autem haec ratio sufficienter, saltem pro saeculo quarto, omissionem explicat, et testes qui omissioni favent, sint potissimum Aegyptii, factum omissionis facile intellegitur. Probabilis vero ratio afferri non potest, cur eiusmodi textus fingeretur ; cf Decret. n. III.

e) Dubia praeterea moventur circa L 23, 34 : « Iesus autem dicebat : Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt ». Quae verba non leguntur in B D W Θ al. paucis, a b sy^{s} sa bo. Sed testimonium aliorum codicum habent, quibus accedunt *Hegesippus*, *Irenaeus*, *Tatianus*, *Ephraem*, *Hippolytus*, *Origenes*, *Eusebius*, alii. Ratio quidem cur haec verba omissa sint, non facile intellegitur. Sed cum testes tam antiqui et tot sint, alii illi pauci non sunt considerandi.

Praeterea alii quidam textus dubii habentur, cf 23, 38 de inscriptione crucis ; 24, 12 de Petro ; 24, 42s. 51ss aliqua verba.

2. Magis autem quaestio movetur de forma textus totius Evangelii, prout legitur in codice D et affinibus. Multo magis enim quam in aliis Evv hic codex a forma communi in Luca recedit, habet additiones permultas, neque tantum tales quae facile ex aliis Evv derivari possunt, sed quaedam omnino ex alia traditione proveniunt aut studiose removent difficultates textus. In genealogia Christi nomina secundum Mt posita sunt. L 3, 22 adduntur verba ex Ps 2 ; L 5, 10 additur explicita vocatio Iacobi et Ioan-

nis. Alia leguntur L 5, 14. Notissimum est dictum Domini ad hominem operantem sabbato L 6, 4, cf 11, 53 ; 23, 12. 42s ; 24, 1.

Alia vero in D omittuntur. Praecipue quaeritur de omissione L 22, 19s, ubi desiderantur verba ultima consecrationis panis et tota consecratio calicis. Quam omissionem aliqui ex criticis recentioribus sequendam esse censuerunt. Sed agitur de omissione textus, qui primitus Evangelio proprius erat.

Textuum varietatem ita alii explicaverunt, ut formam D dicerent ortam esse per additiones et alterationes, alii recensionem stricti nominis admittunt, alii tandem putant ipsum Lucam opus suum duplici recensione edidisse. Quam sententiam *FrBlass* statuit, at nullos fere in hac re asseclas invenit. Quia autem in altero Lucae opere eadem quaestio redit, eam postea tractabimus.

§ 23. De praecipuis Commentariis et subsidiis

361. *Graeci* Ev sec. L saepius sunt interpretati. Primus est *Origenes* cuius homilias *S.Hieronymus* ex parte vertit, 32 de L 1-2 ; aliae septem de locis selectis, MG 13, 1801-1902. *Eusebius* Caesar. secutus est, pauca supersunt fragmenta, MG 24, 529-605, pauca ex interpretatione S. *Athanasii* (MG 27, 1392-1404).

Plura reliquit *Cyrillus* Alex., MG 72, 475-949. Alia traduntur in *Catenis.* cf Cramer II. *BCorderius*, Catena sexaginta quinque Patrum graecorum in L, Antw. 1628. *Mai*, Nova PP. Bibl. II 115-444. Versio Syriaca ed. PSmith, 1858, angl. Oxf. 1859. *ARücker*, Die Lk-Homil. des hl. Cyr. v. Al., Br. 1911.

Ex Graecis posterioribus *Theophylactus* (MG 123, 684-1125) et *Euthymius* (129, 857-1101) Ev interpretati sunt.

Latinorum interpretum primus est *S.Ambrosius* (ML 15, 1527-1850), qui potissimum Origenem sequitur. *S.Augustinus* plura tractat in Libris Quaestionum evangelicarum (ML 35, 1333-64) et in Opere de consensu Evangelistarum. Eiusdem fere temporis sunt homiliae auctoris *Ariani* in L 1-6, ineuntis s. 5 (*AMai*, Script. Veter. Nova Collectio III 2, 191-207). Alia a *Gregorio* Magno, a *Petro* Chrysologo exponuntur. Commentarium scripsit *S.Beda*, ML 92, 394-636.

Scriptores syri : S.Ephraem, Evangelii concordantis expositio, *Isodad*, episcopus Nestorianus s. 9 comment. in 4 Evv, ed. *MDGibson*, syriace et anglice, Ca. 1911ss (Horae Semiticae 5-7. 10).

Scriptores medii aevi et posterioris eidem fere nominandi sunt, qui Evv sec. Mt et Mr interpretati sunt, *B.Albertus* M., *S.Bonaventura*, *S. Thomas*, *Faber Stap.*, *Dionysius* Carth., *Caietanus*, *Cornelius Iansenius*, *Maldonatus*, *Cornelius a Lapide* alii, praeterea *Toletus* priorem partem exposuit (P. 1600), *Lucas* Brugensis (praeter Comment. in 4 Evv, Commentarii supplementum in S. L et S. J, Antw. 1612-16).

Recentiore tempore : PSchegg 1-3, M. 1861-65. *ABisping*², Mst. 1868. *PSchanz*, Fr. 1883. *Fillion*, P. 1889. *FECeulemans*, Mechliniae 1899. *RRiezler*, Brixen 1900. *PGirodon*, P. 1903. *VRose*, P. 1904. *Knabenbauer*², P. 1905. *FrGutjahr*, Graz 1904. *FrXPölzl-ThInnitzer*², Graz 1912. *PDausch* Bonn 1918. *Lagrange*, P. 1921. *AValensin*, P. 1927.

Acatholici : HJHoltzmann, Die Synoptiker³, HK, Tb. 1901. *BWeiss*⁸, KEC, Gtt. 1901. *GLHahn* 1-2, *Br.* 1892-94. *APlummer*⁴, ICC, Edb. 1901. *ThZahn*³/⁴, Lp. 1920. *JWellhausen*, B. 1904. *EKlostermann*, HB, Tb. 1911. *AMaclaren*, Ld. 1908s. *JWeiss*³, Gtt. 1917. *Strack-Billerbeck* II, 1924.

FrBlass, Ev sec. L. Secundum formam quae videtur Romanam, Lp. 1897. *ThVogel*, Zur Charakteristik des L nach Sprache u. Stil², Lp. 1899.

PFeine, Eine vorkanonische Quelle des L, Gotha 1891. *BWeiss*, Die Quellen des L-Ev, Stuttg. 1907.

§ 24. De auctore libri Actuum Apostolorum

362. 1. Liber qui dicitur *Actus Apostolorum* (Πράξεις τῶν ἁγίων ἀποστόλων) suo ipsius testimonio altera pars est prioris operis, et scriptus est eidem Theophilo, cui dedicatum est Ev secundum Lucam, A 1, 1. Praeterea finis Evangelii et initium Actuum ita inter se conveniunt, ut dicendus sit auctor utrumque librum hac ratione voluisse coniungere. Ea vero, quae L 24, 47ss narrantur vel praedicuntur a Christo, iam praeparant alterum librum, qui descripturus est, quomodo verba Christi impleta sint. Proinde probabile est auctorem cum finem Evangelii scriberet, animo iam concepisse alteram operis sui partem.

Ex his certo ostenditur eundem esse auctorem utriusque libri. Sed idem confirmatur ipsa *indole* Evangelii et Actuum. *Genus dicendi* enim Actuum cum Ev prorsus convenit, eadem quae Lucae in Evangelio propria sunt et quibus ab aliis NT¹ scriptoribus distinguitur, in Actis inveniuntur. Auctorem fuisse *medicum* non minus ex A demonstratur quam ex Ev, cf n. 355. Eum fuisse *Pauli discipulum* vel ex eo solo ostenditur, quod de Pauli apostolatu tam multa et tam fuse loquitur, ut maior fere pars libri de Paulo solo agat. Neque aliter ac in Ev doctrinae quaedam a Paulo inter primarias habitae et praedicatae exponuntur et vindicantur, de Christo redemptore, de eius resurrectione, de fide et gratia, de lege Mosaica, de vocatione Iudaeorum et Gentium, cf R 9-11 ; 1 C 9, 19s ; 10, 32 alia. Maxime vero ex illis partibus Actuum, in quibus auctor *primam personam* adhibet, probatur eum fuisse Pauli comitem et multis interfuisse, quae narrat.

Partes in quibus auctor in prima persona loquitur, sunt 16, 10-17 profectio in Macedoniam ; 20, 5-15 ; 21, 1-18, ultimum iter Hierosoly-

mitanum; 27,1-28,16, iter Romanum. Praeterea in aliis codicibus alia quaedam adduntur ; secundum cod. D p w Aug (A 11, 28) auctor fuit ex ecclesia Antiochena. *Irenaeus* supponit, Lucam 16, 8 adhibere primam per sonam (*descendimus*, non descenderunt). *Ephraem* in suo commentario in A 20, 13 habet textum : « ego Lucas et qui mecum ascendimus navim ». Recentiores quidem complures censent has partes desumptas esse ex fonte scripto, et auctorem Actuum haec excerpsisse aut neglegenter non corrigendo aliquibus locis personam primam, aliis eam delendo, aut consulto his locis primam personam adhiberi, ut operi maior fides conciliaretur. Hanc alteram suppositionem, quae fictionem ex parte auctoris statuit, nulla dignam esse refutatione patet. Prior autem, cum per se non sit impossibilis et a multis defendatur *(FChBaur, Hilgenfeld, Zeller, Schürer, Pfleiderer, Spitta, Jülicher, Norden, Wendt, Wendland)*, paucis consideranda est. Admittunt plerique ex his multo plura fonti huic primitivo adscribenda esse, quam hodie in libro A continentur sub prima persona. Haec vero scripta esse a comite Pauli concedunt. Alia autem non posse ipsius esse, cum aut talia miracula a Pauli comite non potuerint esse scripta aut Ecclesiae evolutio et status, prout in A describuntur, veritati historicae repugnent. Prius nititur praeiudiciis rationalisticis et refutatur ipsius S. Pauli testimonio 2 C 12, 11ss ; R 15, 18s. Alterum supponit falsam doctrinam de evolutione mere naturali Ecclesiae et oppositione inter Pauli et Ecclesiae primitivae Evangelium. Eundem autem esse auctorem *totius* libri constat ex lingua, modo narrandi, ideis, quae in omnibus partibus operis inter se perfecte conveniunt. Auctorem esse *medicum* ex omnibus partibus probari potest. Verba, locutiones Lucae propriae etiam in sectionibus primae personae leguntur. Proinde qui negaret Lucam totius operis esse auctorem, cogeretur affirmare redactorem libri partes illas (primae personae) aliis adeo conformasse, ut in omnibus colorem primitivum obduceret et solum primam personam retineret. Quam opinionem omni probabilitate destitutam esse patet ; cf n. 579, Decr. 12 Iun. 1913 n. I-III.

2. Iam si constat eundem esse auctorem Actuum et Evangelii, eo ipso certum est Actus esse S. Lucae. Quod testimonio traditionis explicito comprobatur.

a) Canon *Murator.* haec de libro habet : « Acta autem omnium Apostolorum sub uno libro scripta sunt. Lucas optimo Theophilo comprendit, quae sub praesentia eius singula gerebantur », 34-39.

Tertullianus saepe commemorat instrumentum Actorum (adv. Marc. 5, 2), apostolicum instrumentum (de Pudic. 12), plura ex libro allegat. adv. Marc. 5, 1, de Praescript, haer. 22s. Auctorem nominat (de ieiunio 2, 10) loquens de Petro ascendente in templum hora nona, « porro cum in eodem commentario Lucae et tertia hora orationis demonstretur », A 2, 15 ; 3,1.

S. Irenaeus data opera ex Apostolis, qui non Ev scriptum tradiderunt,

sententiam eorum de Deo exquirit (III 11, 9), incipiens a Petro, A 1, 16. « Quoniam autem is Lucas inseparabilis fuit a Paulo et cooperarius eius in Evangelio, ipse facit manifestum. Separatis enim, inquit, a Paulo et Barnaba et Iohanne... nos venimus in Troadem... et deinceps reliquum omnem ipsorum usque ad Philippos adventum diligenter significat... et reliqua omnia ex ordine cum Paulo refert, omni diligentia demonstrans et loca et civitates et quantitatem dierum, quoadusque Hierosolymam ascenderent, et quae illic contigerint Paulo, quemadmodum vinctus Romam missus est, et nomen centurionis... et parasema navium, et quemadmodum naufragium fecerunt, et in qua liberati sunt insula, et quemadmodum humanitatem ibi perceperunt. Paulo curante principem ipsius insulae, et quemadmodum inde Puteolos navigaverunt et inde Romam venerunt, et quanto tempore Romae commorati sunt. Omnibus his cum adesset Lucas diligenter conscripsit ea... Quoniam non solum prosecutor, sed et cooperarius fuerit Apostolorum, maxime autem Pauli, et ipse Paulus manifestavit in epistolis dicens : ...Lucas est mecum solus (2 T 4, 11). Unde ostendit, quod semper iunctus ei et inseparabilis fuerit ab eo » (III 12. 14, 1s).

Allegationes S. Irenaei ex A adeo copiosae sunt, ut ex illis magna libri pars restitui possit et forma textus, quam ipse secutus est, certo cognoscatur.

Paulo ante Irenaeum epistula ecclesiarum *Viennensis* et *Lugdunensis* (178) plures allusiones ex A continet et S. Stephani verba A 7, 60 tradit, *Euseb.* HE V 2, 5. Eiusdem fere temporis est *Epistula Apostolorum*, quae praeter alia captivitatem et liberationem S. Petri, conversionem Pauli commemorat, c. 15. 41ss.

Alexandrinorum testimonia : *Clemens* (Strom. V 12, 82, VI 13, 105 ; 15, 124 ; 18, 165), qui non adeo multa allegat, plura habet *Origenes* (c. Cels. 6, 11 ; in J t. 1, 23 ; 2, 34), raro autem auctoris nomine librum allegat, quod ostendit, de auctore nullam fuisse dubitationem. Quare *Eusebius* librum sine haesitatione homologumenis accenset.

b) Scriptores medii saeculi secundi et anteriores A explicite quidem non allegant, at certum est omnes fere librum legisse et ex eo testimonia proferre. De *S. Iustino* dubium non est, cf Apol. 50, 12 et A 1, 9s (L 24, 44s. 51) ; Apol. 49, 5 et A 13, 27. 48 ; Dial. 80, 3 et A 5, 29 ; Dial. 20, 3 et A 10, 14 ; Dial. 118, 1 et A 10, 42. *Aristides* in Apologia 15, 5 manifestam allusionem ad decretum Apostolorum A 15, 25. 29 habet (c. a. 140). *Polycarpus* in epistula sua 1, 2 alludit ad A 2, 24, non ad locos similes VT[1] ; praeterea cf 2, 1 et A 10, 42, non 2 T 4, 1 aut 1 P 4, 5 ; 12, 2 et A 8, 21, sed fortasse ex C 1, 12. *Ignatius* ad Smyrn. 3, 2 videtur alludere ad A 10, 41 ; ad Magnes. 9, 1 ad A 1, 25. *Clemens R.* 18, 1 allegat Ps 88, 21 simili forma ut A 13, 22, utroque loco legitur eadem additio ad Ps graecum, quod casu explicari non potest. 2, 1 Corinthios laudat, quod libentius dederint quam acceperint, cf A 20, 35 ; fortasse 5, 4. 7 alluditur ad A 1, 25.

Secundum *Epiphanium* (haer. 54,5) *Theodotus* Valentinianus ex A haeresim suam confirmare conatus est. Testamentum *Beniamin* (s. 2 ?) c. 11 plura de Paulo ex A testatur.

Proinde certum est libro nostro undique testimonium accedere et eius genuinitatem esse omni ex parte inconcussam.

§ 25. De fine et compositione Actuum

363. 1. Libri *finis* videtur enuntiari verbis Christi : « eritis mihi testes in Ierusalem et in omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae », A 1, 8. Atque revera S. Lucas narrat, quomodo Apostoli in virtute Spiritus S. a Ierusalem usque ad Romam testimonium Christo reddiderint. Apostoli enim ipsi profitentur se vocatos esse ad *testimonium* perhibendum. A 1, 22 ; 2, 32 ; 3, 15 ; 4, 33 ; 5, 32 ; 10, 39.41 ; 13,31. S. Paulus vocatur, ut testis fiat 9, 15s ; 22, 15 ; 26, 16. 22. Dominus monet : « Sicut testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet et Romae testificari, 23, 11, cf 27, 24 ; 28,23. 31.

Quare saepe sermo infertur de testimonio Iesu Christi, de eius Messianitate, resurrectione, 1,22 ; 2, 32 ; 3, 15 ; 4, 20.33 ; 5, 20. 32 ; 10, 39. 41. 43 ; 13, 31 ; 20, 21. 24. 26 ; 22, 15 ; 23, 11 ; 26, 16. 22 ; 28, 23. 31. De Christo salvatore et salute A 5, 31 ; 13, 23 (L 1, 47 ; 2, 11) ; 4, 12 ; 7, 25 ; 13, 26. 47 ; 16, 17 ; 27, 14. Σωτήριον A 28, 28 (L 2, 30 ; 3,6). De gratia 11, 23 ; 13, 43 ; 14, 3.26 ; 15, 11 ; 20, 24. 32. De fide 3, 16 ; 6, 5 ; 11, 24 ; 14, 22. 27 ; 15, 9 ; 16, 5 ; 20, 21 ; 24, 24 ; 26, 18 ; verbum πιστεύειν 40 locis adhibetur. Vox ἐπαγγελία Paulo tam familiaris in solo Lucae Evangelio occurrit 24, 49 et in A 1, 4 ; 2, 33. 39 ; 7, 17 ; 13, 23. 32 ; 23, 21 ; 26, 6.

S. Spiritus efficacia et gratia per totum librum identidem describitur, A 1, 2. 5. 8 (16) ; 2, 4. 33. 38. 48 ; 4, 8. 25. 31 ; 5, 3. 32 ; 6, 3 ; 7, 51 ; 8, 14-19. 29 ; 9, 17. 31 ; 10, 20. 38. 44. 47 ; 11, 12. 23. 28 ; 13, 2. 4. 52 ; 15, 8. 28 ; 16, 6s ; 18, 25 ; 19, 2. 6. 21 ; 20, 22s. 28 ; 21, 4. 10 ; 28, 25.

Ex his elucet Lucam verba Domini initio libri proposita per totum opus prae oculis habuisse et eorum veritatem descripsisse.

Sunt qui praeter finem primarium alium *secundarium* statuant, apologeticum scilicet, sive ut commendaretur Pauli innocentia, quippe qui a magistratibus romanis numquam reus habitus sit, sive ut religio christiana ab omni suspicione liberaretur, cum magistratus et milites describantur amice cum Paulo agentes et ipsam religionem contra Iudaeos defendentes, cf A 10, 1ss ; 13, 7ss ; 16, 27ss. 36ss ; 18, 12ss ; 19, 31. 35ss ; 22, 25ss ; 23, 10. 16ss ; 24, 22ss ; 25, 14ss. 24ss ; 26, 24. 30ss ; 27, 3. 31. 42s ; 28, 16. 30s.

2. Libri vero *compositio* ea est, ut religionis christianae progressus et propagatio describatur secundum nexum internum, quo singula inter se iunguntur et progressus praeparatur. Qua ratione singulae partes arcte inter se cohaerent.

In ipso autem *modo* narrandi auctor magis versatur in exhibendis factis singularibus, quae attentionem lectoris excitant, quam in depingendis quaestionibus theologicis et statu interno ecclesiarum accuratius delineando. Quae non omnino quidem omittit, at permulta, quae ex epistulis S. Pauli discimus, a Luca silentio praetermittuntur. Quaestiones in ecclesia Corinthiaca agitatae, quae apostolo tantas molestias creaverant, a Luca ne verbo quidem tanguntur, cf 1 C 1-4 ; 15, 32 ; 2 C 2-7 ; 11, 23-27 ; R 16, 4. 17-20 ; Ph 3, 2-19, alia permulta. Inter quae non pauca sunt, quae externam quoque Pauli vitam spectant. Unde dicendum est, Lucam noluisse *historiam* S. Pauli aut ecclesiarum singularum tradere, sed ex factis historicis ea, quae ad eius finem spectabant, seligere.

Cum hoc fine autem optime componi possunt *sermones* longiores, qui per totum librum distribuuntur, 2, 14-42 ; 3, 12-26 ; 4, 8-12 ; 7, 2-53 ; 10, 28-43 ; 11, 4-17 ; 13, 15-41 ; 14, 15-18 ; 15, 7-11. 14-21 ; 17, 22-31 ; 20, 18-35 ; 21, 20-25 ; 22, 1-21 ; 24, 10-21 ; 26, 1-29 ; 28, 17-20. 25-28.

364. *De Actuum dispositione et ordine.* Actuum ordo est chronologicus, sed ita ut auctor aliquando quaedam anticipet, cf 8, 40 ; 11, 28ss. De aliis dubium est, quo tempore gesta sint, et quomodo inter se sequntur, de gestis Philippi, conversione Pauli, Petri gestis, A 8-10, alia pauca.

Plerique librum in *duas* dividunt partes, Petrinam priorem, Paulinam alteram, 1-12 ; 13-28, aut Ecclesiae origo et propagatio in Iudaea et Samaria, 1-9, et propagatio inter gentes 10-28. Neutra autem divisio videtur esse adaequata, cum et de Paulo in priore parte et de Petro in altera agatur. Quare aliis divisio in *tres* partes placet, in quibus describitur Ecclesia apud Iudaeos 1,1-8, 3 ; Ecclesia transiens ad Gentes, 8, 4-12, 25 ; Ecclesia apud Gentes, 13, 1-28, 31 *(Hetzenauer)*. At haec quoque divisio suis laborat defectibus. S. Lucas enim librum suum ita ordinavit, ut facta inter se conectantur et nova evolutio a primis initiis praeparetur. Multitudine enim fidelium crescente Apostoli adiutores sibi eligunt, ex quorum zelo exoritur prima persecutio et propagatio Evangelii per regiones Iudaeae et Samariae et in Syriam, 6-8 ; 11, 19. Simul introducitur persecutor et apostolus gentium, 7, 58 ; 8, 1.3 ; 9, 1ss. Tandem in conversione Cornelii et Petri apologia paratur via ad gentes in Ecclesiam recipiendas, 10, 1-11, 18. In concilio autem Apostolorum libertas a lege sollemniter agnoscitur, 15, 1-29. Simili ratione alia quoque inter se iunguntur. Proinde minus aptum esse videtur partes ita distinguere, ut ea quae ab auctore arcto nexu iunguntur, separentur. Nihilominus iuvat sectionas aliquas distinguere.

Ordo hac fere ratione describi potest :

I. *Origo Ecclesiae et gesta Hierosolymitana* 1,1-8,1.

1. *Exordium*, 1, 1s. Domini ultima mandata, promissio Spiritus, ascensio, 1, 3-11 ; Apostolorum collegium et primi fideles, Petri sermo primus, Mathiae electio, 1, 12-26.
2. *S.Spiritus missio*, Petri sermo alter, Ecclesiae origo et vita, 2, 1-47.
3. *Sanatio claudi*, Petri sermo tertius ad populum, multi conversi, prima persecutio, Petri sermo quartus (coram synedrio), fidelium precatio, 3, 1-4, 31.
4. *Ecclesiae concordia*, Barnabas, Ananiae et Saphirae correptio, miracula, nova persecutio, Apostolorum constantia, 4, 32-5, 42.
5. *Ecclesiae incrementa*, Hellenistae, adiutores Apostolorum, *Stephanus*, primus martyr, 6, 1-7, 60 (*Saulus* 7, 58 ; 8, 1).

II. *Evangelium transiens ad gentes* 8, 1-12, 25.

1. *Persecutio et dispersio*, Philippus, Samaria, Aethiops eunuchus (Caesarea), 8, 1-40.
2. *Pauli conversio* et praeparatio ad apostolicum munus, 9, 1-30.
3. *Petri gesta* et conversio Cornelii, 9, 31-11, 18.
4. *Ecclesiae Antiochenae* origo, Barnabas et Saulus, 11, 19-30.
5. *Ecclesiae persecutio*, Iacobi martyrium, Petri liberatio, 12, 1-25 (Barnabas, Saulus, Ioannes Marcus).

III. *Evangelii praedicatio per orbem romanum* 13-21, 14.

1. *Primum iter apostolicum S. Pauli*, 13, 1-14, 28.
   Missio, Cyprus, Sergius Paulus (Ioannes Marcus). Antiochia Pisidiae, Pauli sermo (*ecce convertimur ad gentes* 13, 46), Iconium Lystra, Derbe.
2. *Concilium Apostolorum*, libertas a lege agnoscitur et impedimentum conversionis gentium removetur, 15, 1-35.
3. *Alterum iter Pauli*, 15, 36-18, 22.
   Paulus et Barnabas, Silas, Timotheus, Evangelii praedicatio in Macedonia, Achaia ; Philippi, Thessalonice, Beroea, Athenae, Corinthus.
4. *Tertium iter*, 18, 23-21, 14.
   Paulus in Asia, Apollos, Demetrius, Paulus in Achaia et Macedonia. Reditus in Palaestinam, Troas, Miletus, Caesarea (Pauli studium 19, 21 ; futurae sortis praemonitio 20, 22ss, 21, 11ss).

IV. *Pauli testimonium pro Christo*, 21, 15-28, 31.

1. *Captivitas hierosolymitana et testimonium* coram synedrio, 21, 15-23, 10.
2. *Captivitas in Caesarea et testimonium* coram Felice et Festo et Agrippa II rege (appellatio ad Caesarem 25, 11 ; 26, 32), 23, 11-26, 32.
3. *Iter romanum* et praedicatio romana, 27-28.
   Itineris pericula et promissio salutis impleta (27, 19. 21-26. 33s), naufragium, Melita, Roma. *Testimonium* coram Iudaeis reiectum, a gentibus admittendum, praedicatio cum omni fiducia et sine prohibitione.

365. Quod *chronologiam* Actuum attinet, S. Lucas numquam absolutam adscribit, quod fecit in Evangelio 3, 1, ut annum imperatoris romani aut annum procuratoris designet.

Quaedam facta dicuntur quidem accidisse tempore Claudii Caesaris 11, 28; alia regnante Agrippa I; 12, 1ss, eius mors commemoratur, quae fuit anno 44 tempore aestivo (*Iosephus*, Antiq. XIX 8, 2, *Dio Cassius* 60, 23). Narratur Paulum Corinthi fuisse *Gallione* proconsule Achaiae, 18, 12, et Corinthum venisse paulo postquam Aquila et Priscilla per decretum Claudii Roma expulsi Corinthum venerunt, 18, 1s. Captivitas hierosolymitana Apostoli fuit Felice procuratore et per biennium duraverat, cum Porcius Festus Felici succederet, 24,27. Sed ex his omnibus factis nullum cum certitudine ita definiri potest, ut de anno omnino constet; non de fame, quae sub Claudio dicitur facta esse, cum ipso imperante pluries annona arctior fuerit ob assiduas sterilitates, cf *Sueton.* Claudius 18. Iacobi martyrium et Petri liberatio regnante Agrippa fuerunt (41-44), et cum Agrippa anno 41 ineunte Romae degeret et iter ad regnum novum capessendum lentius institueret, persecutio non ante 42 incidisse videtur. Quoniam autem immediate post Petri liberationem mors regis narratur, permulti censent persecutionem anno ultimo Agrippae fuisse. At propter modum scribendi Lucae argumentum non omnimodam certitudinem gignit.

Quando Iudaei a Claudio Roma expulsi sint (A 18,2), ab *Orosio* quidem traditur, qui narrat anno nono imperatoris hoc factum esse secundum Iosephum (hist. VII 6, 14), anno igitur 49. Sed ex Iosepho res non potest comprobari, attamen eo fere tempore Iudaei Roma excedere coacti sunt, quod ex sequentibus confirmatur. Hodie enim satis certo constat, quando *Gallio* proconsul Achaiae fuerit.

Cum antea multis computationibus et coniecturis aliquomodo determinare conati sint docti, quo fere anno Gallio Corinthi degerit, post inventam inscriptionem Delphicam, quae prima a *AemBourguet* edita est (De rebus Delphicis imperatoriae aetatis capita duo, Montepessulano 1905). Cum ex inscriptione satis certum sit Gallionem tum fuisse actu proconsulem, et acclamatio imperatoria 26 Claudii commemoretur, acclamatio autem 27 die 1 Augusti anni 52 iam in alia inscriptione notetur, sequitur Gallionem ante mensem Augustum 52 in Achaia fuisse. Sed cum non constet de anno tribuniciae potestatis, sitne undecimus an duodecimus, dubium manet, num epistula scripta sit ante 25 ianuarii 52 an postea. Neque acclamationes 26 et 25 notae sunt, 24 vero ante diem 25 ianuarii anni 52 fuit. Quare dubium manet, fueritne Gallio proconsul ab anno 51-52, an 52-53. Eum enim diutius munere functum esse, nullo modo probabile est. Certo res definiri non potest. Unde auctores non sunt eiusdem sententiae. Alii computant annum proconsulatus a 51-52 (*ADeissmann*, Paulus, 159-177, 1911. ed. 2, 1925, 203-225; *FPrat*, RSR 3 [1912] 372-392; *ABrassac*, RB NS 10 [1913] 36-53. 297-317; *ThSchlatter*, NkZ 36 [1925] 500s, alii). Alii potius annum computant a 52-53 (*JOfford*, Pal. Expl. Fund, Quart. Stat.

[1908] 163; *WMRamsay*, Exp. 7. S 7 [1909] 467-469; *EDubowy*, BZ 10 [1912] 143-154; *CWohlenberg*, NkZ 23 [1912] 380-396; *ThZahn*, Apostelgesch. 653-656; *WLarfeld*, NkZ 34 [1923] 638-647, alii). Quoniam non determinari potest, quo mense proconsules in provinciam venerint, ex hac quoque parte manet dubium. Quo tardior enim adventus in provincia fuit, eo certius est Gallionem anno 51 proconsulatum egisse, quia ea quae in inscriptione commemorantur, non brevi videntur acta esse. Neque ostendi potest Gallionem iam mense Aprili in provinciam advenisse, quod Zahn supponit, neque eum demum mense Iunio aut Iulio ineunte magistratum suscepisse. Probabiliorem autem censemus sententiam eorum qui annum 51-52 admittunt.

Praeterea quaestio agitur, quomodo commoratio Apostoli corinthiaca computanda sit. Cum enim S. Lucas dicat Paulum annum et sex menses Corinthi sedisse, A 18, 11, et postea addat eum mansisse ἡμέρας ἱκανάς, 18, 18, quaeritur, sitne *tota* commoratio annus et dimidius, an *praeterea* dies multi addendi sint et gesta ante Gallionem acciderint post annum et dimidium, an intra hoc tempus, ita ut non liceat accuratius circumscribere, quando id factum sit. Considerato vero modo narrandi Lucae ponimus, Paulum *ante* Gallionis adventum iam annum et dimidium sedisse in civitate et proconsule novo adveniente Iudaeos causam ad Gallionem detulisse. Unde sequitur Paulum saltem anno 51 ineunte vel 50 exeunte (aut iam anno antea) Corinthum venisse.

Ultimum Apostoli iter hierosolymitanum et eius captivitas aliquomodo determinantur procuratorum *Felicis* et Porcii *Festi* magistratibus. Paulus enim biennio Caesareae vinctus erat, cum Felix acciperet successorem Festum, A 24, 27. At hic quoque solum pluribus computationibus cum probabilitate statuere licet, quo anno haec evenerint. Ex iis, quae ab historicis Iosepho, Tacito, Eusebio tradita sunt, videtur consequi Felicem fuisse procuratorem ab anno fere 52-58 aut 60, Festum usque 62. Quia Paulus in sermone suo coram Felice (A 24, 10) dicit ex *multis* annis eum iam esse iudicem gentis, haec autem oratio initio captivitatis habita est, plerique censent Felicem tum sex vel saltem quinque annis munus suum gessisse. Sed cum verba Apostoli tamquam captatio benevolentiae accipienda sint (cf 24, 2s), non adeo strictae interpretationis esse videntur, ut non anno 56 dicta esse possint (*Prat*, l. c. 379-383, *Schürer*, Gesch. III 577ss). Concedimus tamen annum 60 accessioni Festi et proinde annum 58 captivitati Apostoli probabilius assignari.

Alia vero ratione permulti conati sunt eundem annum computatione definire. Ex eo enim quod S. Lucas in ultimo Pauli itinere describendo (A 20,5-21,14) persaepe dies accurate enumerat, censent initium quoque itineris certo assignari, ita ut verba *post dies azymorum* 20, 6, de die *immediate* post octavam paschae sumenda sint, cf 20, 6 « venimus Troadem in diebus quinque ». Cum autem mox dicatur Paulum mansisse *diebus septem* Troade et die primo hebdomadae profectum esse, computatione diem hebdomadae definiunt, quo Paulus Philippis profectus sit, et consequenter diem paschae illius anni fuisse feriam quartam et diem profectionis 22 mensis Nisan anni 58.

Ita computant *Anger*, *Wieseler*, *Ramsay*, *ThZahn*, recentissime *Kugler* (Von Moses bis Paulus, 429-451), qui totam seriem gestorum in itinere et captivitate secundum singulos dies describit. Nihilominus suppositio totius computationis aliquomodo incerta esse videtur, cum S. Lucas minime omnia in itinere gesta accurate secundum temporis rationem et ordinem exhibeat, sed in quibusdam nihil determinet. Quamdiu enim Paulus Mileti manserit non dicitur, neque constat quando Patara solverit, quot dies navigatio inde usque Tyrum postulaverit, quamdiu Caesareae constiterint (ἡμέρας πλείους 21, 10).

Quare quamvis hae computationes probabilitatem satis magnam gignant, certitudinem absolutam efficere non possunt. Ultimum igitur iter Pauli hierosolymitanum fuit anno fere 58, eius captivitas Caesariensis duravit usque ad autumnum anni 60, Romam advenit anno 61, liber Actuum vitam Apostoli perducit usque ad annum 63.

Ex eis quae disputavimus de Petri captivitate, de Pauli commoratione corinthiaca, de ultimo itinere, alia possunt cum probabilitate deduci, quae postea agentes de S. Pauli vita tractabimus.

§ 26. De fontibus Actuum Apostolorum

366. 1. Cum S. Lucas permultis, quae narrat in libro suo, ipse interfuerit, non est cur quaestionem de his agitemus, neque quaerendum est, unde ea hauserit, quibus fortasse non interfuerit, quia non constat, num cum Paulo Corinthum venerit, eum Ephesum secutus sit. Cum enim postea denuo comes Apostoli fuerit, de omnibus potuit ab ipso edoceri aut ea ab aliis discipulis discere.

Magis vero movetur quaestio de parte priori operis maxime de iis, quae originem Ecclesiae et prima eius tempora spectant. Quoniam in his narrationibus hebraismi vel semiticae locutiones frequentius occurrunt, ab aliquibus supponitur fons aramaicus scriptus quo Lucas usus sit. Suppositio per se non est impossibilis, at positive non suadetur, neque probatur rationibus allatis. Quae A 1-12 narrantur, non eiusdem rationis sunt. Sane conversio Pauli Lucae non repetenda erat ex alio fonte quam ab ipso Apostolo. Electio septem diaconorum sive a Paulo sive a Philippo facile disci poterat, cum Lucas non solum plures dies apud Philippum commoratus sit (A 21, 8ss), sed postea sine dubio saltem aliquo tempore Caesareae cum magistro captivo degerit. Illa autem quae initia ecclesiae Antiochenae spectant, si Lucas ipse Antiochenus fuit, non erat necesse ab alio exquirere, si autem demum Troade comes Paulo se adiunxit, sive ab ipso sive a Sila aut postea a Marco doceri potuit. Omnia tandem, quae prima Ecclesiae initia tangunt, Lucae ipsi Hierosolymis explorare facili negotio licuit. Id vero eo facilius admittendum est, quod Lucas in exordio Evangelii explicite profitetur se diligenter omnia esse assecutum.

2. Quoniam ad nos pervenerunt epistulae plures S. Pauli, in quibus ad easdem ecclesias sermo est, quarum originem Lucas descripsit, quaeritur, num auctor iis ut fontibus usus sit, antiquioribus saltem. Fuerunt quidem qui hoc affirmarent. At nullum argumentum positivum afferunt, quo opinionem suam corroborent. Modus narrandi, quem Lucas sequitur, dependentiam videtur potius excludere. Manifestum est quidem ea quae de praedicatione Evangelii in Macedonia et Achaia traduntur, optime cohaerere et convenire cum epistulis Apostoli ad Philippenses, Thessalonicenses, Corinthios, at positivae allusiones ad epistulas ipsas minime deteguntur. Atque revera exspectandum fuisset, Lucam quaedam saltem ex his epistulis traditurum fuisse, si eas in conscribendo libro suo ante oculos habuisset. Praeterea alia fortasse alio modo narrasset. Ut unum afferamus, Lucas commemorat verba Apostoli, quibus enuntiat intentionem suam proficiscendi Romam : « postquam fuero ibi (Ierusalem), oportet me et Romam videre » A 19,21. Ex quibus verbis concludere liceret Paulum tum demum serio cogitasse iter romanum. Dicta sunt autem haec in fine praedicationis Ephesinae non longe antequam epistula ad Romanos scripta est. In qua epistula Apostolus ipse de suo itinere romano plura et alia tradit, dicens se saepius iam proposuisse hoc iter et precibus a Deo petere, ut tandem aliquando prosperum iter habeat, R 1, 19-23. Denuo asserit in fine epistulae se ex multis annis desiderium nutriisse veniendi Romam, 15, 22s. Atque quod plus est, ibidem asserit se Roma in Hispaniam esse profecturum 15, 24. 28, cuius intentionis Lucas nullam omnino facit mentionem. Porro Lucas si epistulas secutus esset, plura sine dubio traderet de statu ecclesiae Corinthiacae, de missione Timothei, Titi, cuius ne nomen quidem refert.

3. Alia quaestio maioris momenti est dependentia libri a *Iosepho*. Postquam *IBOtt* (Spicilegium, Lugd. Bat. 1741) in rem inquisivit, alii secuti sunt et recentiore tempore *Overbeck*, *Keim*, *HJHoltzmann*, maxime *MKrenkel* (ZwTh 16 [1873] 441-444; Iosephus und Lukas, Lp. 1894) operam dederunt demonstrandae dependentiae Lucae a Iosepho. Eos secuti sunt *Clemen*, *Schmiedel*, *Wendt*, alii.

Sed pleraque, quae a Krenkel et aliis congesta sunt, adeo inter se differunt, ut in nostra quaestione prorsus omittenda sint. Alia vero, quae utrique auctori communia sunt, ut commemoratio sepulcri David in Ierusalem A 2, 29 et *Ios.* Ant. VII 15, 3 ; XIII 8, 4 portae speciosae templi, A 3,2, Bell. iud. V 5,3 ; famis magnae, quae facta est sub Claudio, 11, 28 et Ant. XX 5, 2 ; de porticu Salomonis, A 3, 11 ; 5, 12, et Ant. XX 9,7 ; de Aegyptio, A 21, 38 et Ant. XX 8, 6, Bell. iud. II 13, 5, nullam insinuant dependentiam, et facillime intelleguntur supposito fonte hierosolymitano Actuum, cum in omnibus his agatur de rebus notissimis. Praeterea nulla apparet ratio, cur Lucas ex notitia fortuita Iosephi adductus sit, ut sanationem claudi apud hanc portam accidisse diceret. Principale vero argumentum, quo dependentia Lucae nititur, est oratio Gamalielis coram synedrio, A 5,36s. In ea enim mentio fit Theudae et

Iudae Galilaei, atque ita quidem, ut Theudas supponatur fuisse ante Iudam, qui « in diebus professionis » populum avertit. Quoniam vero Iosephus eadem nomina in eodem ordine tradit (Ant. XX 5, 1s) concludunt Lucam legisse Iosephum et quae minus accurate retinuisset, omnino falso reddidisse. Iosephus enim loquitur de filiis Iudae Galilaei a Tiberio Alexandro procuratore cruci affixis et hac occasione commemorat patrem eorum et censum Quirinii. Theudas cum secundum Iosephum procurante Cuspio Fado interierit (c. 44), non potuit a Gamaliele in sermone nominari decem saltem annis antea habito. Errore igitur Lucae demonstrari eius dependentiam a Iosepho. Sed falso supponitur Theudam esse eundem apud Lucam et Iosephum, et summa statuenda esset neglegentia ex parte Lucae et maxima licentia. Gamalieli enim adscriberet sermonem, quem numquam habuit vel saltem ita habere potuit, cf *AWikenhauser*, Die Apostelgeschichte u. ihr Geschichtswert, 316-321.

§ 27. De tempore compositionis Evangelii et Actuum

367. 1. *De tempore*, quo Lucas scripserit, ab antiquis nihil certi traditum est, nisi quod Ev tertio loco post Marcum scriptum esse contendant. Quod plenam confirmationem habet ex probata dependentia Lucae a Marco. Ex Ev ipso quaestio nostra solvi non potest.

Fuerunt quidem qui ex L 21, 20.24 comparatis locis parallelis Mt 24, 15-22 et Mr 13, 14-20 censerent, Lucam non ante inceptam obsidionem Ierusalem vel post urbem captam scripsisse. At argumentum non habet vim probandi, nisi quis possibilitatem omnis verae praedictionis negat. Alii propter testimonium Irenaei Ev censent scriptum esse post annum 70, vel postea c. 80. Irenaei enim verba de Ev Marci ita interpretantur, ut illum post mortem Petri scripsisse dicant; consequenter tertium Ev et A tempori posteriori attribuunt. Sic *Feine*, *Zahn*, *Holtzmann*, alii, qui fere ad finem saeculi primi accedunt. Qui cum *Krenkel*, *Wendt* dependentiam a Iosepho statuunt, Actus non ante ultimos annos saeculi compositos esse necessario contendunt, quia Antiquitates Iosephi ex ipsius testimonio anno 13 Domitiani conscriptae sunt (c. 94).

2. Sed in antiquitate iam fuerunt, qui tempus compositionis ex ipsis Actis deducerent. Cum enim Pauli historia et praedicatio usque ad biennium completum commorationis romanae narretur, constat de termino, ante quem liber scriptus esse non potest, id est ante a. fere 63, fortasse 61. Simul autem permulti ex conclusione libri, qui nihil iam de ulteriore Pauli vita et apostolatu narrat, tempus compositionis determinant, ut mox post finitum biennium captivitatis opus absolutum esse affirment.

Quod primus videtur fecisse *S.Hieron.* (de vir. ill. 7) scribens : « Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo Apostolicarum πράξεων praenotatur, cuius historia usque ad biennium Romae commorantis Pauli pervenit, id est usque ad quartum Neronis annum. Ex quo intellegimus, in eadem urbe librum esse compositum ». *Hieron.* non explicite quidem asserit librum eo anno scriptum esse, quo Actus concluduntur, sed eius modus loquendi hoc aperte includit. Notandum vero est eum non provocare ad traditionem, sed conclusionem deducere. Conclusio autem sine dubio legitima est, cum revera nulla probabilis ratio afferri possit, cur historia Apostoli tam abrupte finiatur. Si enim, quod non paucis recentioribus placet, Paulus finito biennio martyrium subiisset, nullo modo intellegitur, cur Lucas de morte tam gloriosa silentium teneat. Nulla enim re magis Paulum tamquam *testem* Christi nobis proponere potuisset quam martyrio narrando, praesertim cum ultima libri pars tantopere ideam testimonii pro Christo exhibeat, cum Paulus Ierusalem proficiscens profiteatur se paratum esse non solum alligari, sed et mori, 21, 13.

Accedit quod antea diximus, Lucam in libro conscribendo non usum esse epistulis Paulinis. Quod eo difficilius explicatur, quo longius a tempore et aetate ipsius Pauli recedimus in determinanda compositione Actuum.

ThZahn has rationes eo refellere conatur, quod dicit Lucam cogitasse de tertio volumine scribendo, quo ulteriora Pauli et Ecclesiae fata describerentur. Argumentum principale, quo hanc sententiam evincere conatur, desumit ex A 1, 1 urgens verbum τὸν μὲν πρῶτον λόγον (A, 1, 1) a Luca usurpatum, non πρότερον (NkZ 28 [1917] 373-395. Die Apostelgesch. des L. 16s). Praecessit *ChrKJBunsen* (Analecta Antenicaena I 14s, Ld. 1854). At argumentatio est inefficax, cum Lucas numquam adhibeat πρότερον et in lingua hellenistica πρῶτος generatim loco πρότερος usurpari soleat. Praeterea nihil in libro suadet auctorem tertium volumen intendisse. Neque considerata indole Actuum probabile est Lucam novum librum animo concepisse. Auctor enim non tam historiam Ecclesiae primitivae scripsit, quam testimonium Apostolorum a Ierusalem usque ad ultimum terrae, et ultima Actuum capita explicite Paulum depingunt tamquam testem Christi. Unde non apparet, quid novi tertius ille liber addere potuisset huic fini, nisi forte iter hispanicum Apostoli aut eius martyrium. Haec autem non videntur sufficere integro libro conscribendo. Quare non censemus hanc opinionem vera cum probabilitate sustineri posse. Cf Decret. 12 Iunii 1913, IV.

§ 28. De ratione textus Evangelii tertii et Actuum

368. 1. Supra agentes de Evangelii sec. L integritate (n. 360) tetigimus quaestionem textus, quae relate ad utrumque S. Lucae librum difficilior est quam in omnibus aliis libris NT. Inveniuntur

enim in aliquibus testibus antiquissimis Actuum lectiones satis discrepantes a textu codicum illorum, quos critici recentiores et *S. Hieronymus* sequi solent, praecipue vero occurrunt additiones non paucae, quibus alia traduntur, eaque saepe videntur hausta ex traditione optima.

Testes huius textus maxime sunt cod. D (s. 6) cum versione latina (d), accedit E (Laudianus), item graecolatinus, s. 6 ; 137, Ambrosianus, s. 13 (Soden *a* 364, Gregory 614) ; 58 (Soden *a* 353, Gregory 383), Oxon. s. 13, apud *APoll*, Der abendl. Text der Apostelgesch. u. die Wirquelle, Lp. 1900 ; 1739 (Soden *a* 78, Zahn *al*), Athous, s. 10. Michigan Pap. 1571 s. 3/4 A 18, 27-19, 6 ; 19, 12-16 ; *HASanders*, The Harvard Theol. R. 20 [1927] 1-19. Ex scriptoribus nominandus est potissimum *S. Irenaeus*. Aliqua leguntur apud *Clementem* et *Origenem*.

Ex *latinis* primo loco allegamus codices d et e, cod. gig. s. 13 (editus a *Belsheim*, Christiania 1879), g^2, fragmenta lectionarii Ambrosiani (A 6, 8-7,1 et 7, 51-8,4), s. 10/11 ; h, Palimpsestus Floriac. Paris. s. 6/7 (*Blass* f) ; m, speculum, s. 8/9, Sessorianus, Rom. ; p, perpinianus, Paris. s. 13 ; s^2, bobiensis, Vindob. s. 5/6 ; x, Oxoniens. s. 7/8 ; t, liber comicus, toletanus, s. 7/8 (cf *Morin*, Anecd. Mareds. I, 1893). His codicibus affines sunt codices aliqui versionum posteriorum, prov(incialis), s. 13, et tepl (ensis), cuius textus germanicus ex provinciali factus esse videtur ; w, wernigerodensis, textus latinus cum versione interlineari bohemica, s. 15. *Scriptores* latini eandem fere textus recensionem exhibent. Inter eos eminet *S. Augustinus*, alia leguntur apud *Cyprianum*, *Luciferum* Calaritanum, in opere *Prophetiae* ex omnibus libris collectae (fortasse ineuntis s. 4). Textum latinum primitivum conatus est restituere *ThZahn*, Die Urausgabe der Apostelgesch. des L, Lp. 1916, 11-202.

Syrorum autem versiones duae considerandae sunt, altera antiquissima, prout in allegationbus *S.Ephraem* et eius commentario in A continentur, qui nuper a *NAkinian* e codice erutus et editus est (Vindob. 1921). Commentarius ut alii S. Ephraem in NT (Diatessaron et epistulas Paulinas) in versione armeniaca ad nos pervenit, neque totus commentarius conservatus est. Nihilominus de forma textus omnino constat. Lectiones collectae sunt ab *AMerk* (ZkTh 48 [1924] 226-246, cf 460-464), postquam *Conybeare* ex catena armeniaca complures lectiones (The Americ. Journ. of Philology 17 [1896] 135-171) edidit, cf *Rendel Harris*, Four Lectures on the western text of the NT, Ld. 1894. Pešitto facta est secundum versionem antiquiorem, sed plurimas lectiones antiquiores delevit. Posterior vero versio, quae instituta est a Philoxeno et retractata Alexandriae a Thoma Harclensi (616), permultas lectiones potissimum in margine adnotavit, quae cum vetere syriaca conveniunt, quamvis linguae affinitas nulla sit.

Testibus huius recensionis adnumeranda est tandem versio *sahidica*, quae tamen additiones maiores non recepit (ed. *Horner*, Oxf. 1922).

2. Qui testes exhibent quidem lectiones multas, in quibus conveniunt, at ne duo quidem ex illis adeo similes sunt, ut simpliciter congruant, ita ut ad constituendam recensionem hanc magna cura et attentione opus sit et vix possibile esse videatur illius textum primigenium in omnibus cum certitudine restituere.

Iam si lectiones singulae, quibus haec forma a communi distinguitur, examinantur, in varias classes dividuntur. Differentiae enim sunt linguisticae et stilisticae, quibus in forma *occidentali*, quam vocant, difficultates, constructiones duriores removentur. Huc pertinent lectiones harmonisticae. Quas omnes censemus esse secundarias, nisi rationes speciales afferri possunt, quae lectionem aliquam commendent et primitivam demonstrent. Exempla sunt 1, 4.14 ; 2, 12.42; 3, 1. 3 ; 4, 1. 14. 25 ; 5, 10. 12. 31 ; 6, 10. 15 ; 7, 21. 24. Aliis in locis textus occidentalis exhibet narrationem fusam, vividam, quae indolem magis primitivam prae se fert. Patet eiusmodi lectiones facilius posse diiudicari tamquam originarias, e. g. A 1, 2 ; 2, 37. 41 ; 3, 11 ; 4, 18. 31 ; 5, 16. 18. 21s. 39 ; 6, 10 ; 8, 1. 24. 37. 39 ; 10, 25 ; 11, 2. 25s ; 12, 3. 20. 23 ; 13, 8. 28s. 33. 43s ; 14, 2. 7. 19 ; 15, 1. 5. 12; 16, 4. 10. 35. 38ss ; 17, 15. 19 ; 18, 4. 8. 12. 21. 27 ; 19, 1s. 14. 28 ; 20, 4. 18 ; 21, 17. 24 ; 22, 29 ; 23, 24 ; 24, 6. 27 ; 26, 14 ; 27, 1. 5. 15 ; 28, 16. 19. 28. Non pauca in numero harum lectionum occurrunt, quae facile agnoscuntur esse secundaria, sed alia sunt, quae videntur arguere traditionem bonam, neque facile dicitur, quomodo haec a posteriore excogitata esse possint. A 12, 10 post ἐξελθόντες + κατέβησαν τοὺς ἑπτὰ βαθμοὺς καί. 19,9 Τυράννου + ἀπὸ ὥρας πέμπτης ἕως δεκάτης. 20,15 εἰς Σάμον + καὶ μείναντες ἐν Τρωγυλίῳ τῇ ἐρχομένῃ. 28,16 εἰς Ρώμην + ὁ ἑκατόνταρχος παρέδωκεν τοὺς δεσμίους τῷ στρατοπεδάρχῳ, τῷ δὲ Παύλῳ. Quaedam autem, quamvis per sé ab auctore posita esse possint, non apto loco leguntur, ut suspicari liceat agi de glossis ; cf 22, 29s.

Aliquibus locis testes occidentales conveniunt in manifestis mendis librariorum, quibus ostenditur menda illa esse antiquissima. A 5, 31 plures ex testibus occidentalibus tradunt δόξᾳ, non δεξιᾷ, D (d *caritate*, apertum mendum pro *claritate*), gig p sa Iren Aug (de peccat. merit. et rem. I 52) A 13, 48 ἐδέξαντο non ἐδόξαζον, D gig Aug (ep. ad cathol.).

Multum agitata est quaestio genuinitatis textus amplioris 11,27s, ubi post Ἀντιόχειαν additur ἦν δὲ πολλὴ ἀγαλλίασις. 28 συνεστραμμένων δὲ ἡμῶν ἀναστάς D p w proph. Aug (sermo Dom. in monte 2,57). Textus alicuius momenti est, cum eo recepto tamquam genuino sequatur Lucam fuisse Antiochenum vel saltem ex ecclesia Antiochena. Summi momenti porro est textus A 15, 20. 29 ; 21, 25, in quo habetur alia illa recensio decreti Apostolorum, quod in testibus occidentalibus per omissionem vocis πνικτοῦ et additionem regulae aureae καὶ ὅσα μὴ θέλετε ἑαυτοῖς γίνεσθαι ἑτέρῳ μὴ ποιεῖν, D 137 sa vet. lat. Aristid. Iren. Cyprian. Ephraem sy^{h}. Evidens est hac forma decreti sensum mutari ita, ut aut forma communis aut occidentalis recipienda sit.

3. Iam si quaeritur, quid de textu occidentali dicendum sit, interpretes non eiusdem sunt sententiae. Plerique quidem cum antiquioribus criticis lectiones has tamquam secundarias reiciunt.

Quod facile intellegitur in eis, qui cum *Westcott-Hort* sequi solent codices ABS. Alii vero hunc textum, qui a testibus tam vetustis traditur (*S.Polycarpus*, *ep. Barnabae*, *Aristides*, *Irenaeus* certum huius forma testimonium reddunt), non putant repudiari posse. Sed dum aliqui lectiones plures aut pauciores ut primitivas seligunt et textui communi inserunt, alii censent totam recensionem occidentalem — omissis lectionibus harmonisticis et apertis erroribus — esse genuinam et ab ipso auctore libri profectam. Primus statuit hanc sententiam *FrABornemann* (Acta Apostol. S. Lucae ad Codicis Cantabr. fidem rec., Grossenhainae 1848). Similem sententiam propugnavit *AHilgenfeld* (Acta Apost. sec. antiquissimos testes, B. 1899). Alia vero ratione *FrBlass* textum diiudicavit asserens utramque recensionem esse genuinam, Lucam opus suum bis edidisse ; primo minus polita lingua et modo narrandi, quam formam appellat romanam, cum eam putet ortam Romae tempore captivitatis Apostoli. Alteram autem formam magis correctam et succinctam Theophilo esse dedicatam (Acta Apost. editio philologica, Gtt. 1895, editio minor : Acta Apost. sec. formam quae videtur romanam, Lp. 1896). Alteram formam vocat *antiochenam*. Cui sententiae accesserunt *Eb Nestle*, *JBelser*, *Haussleiter*, *Salmon*, *Conybeare*, alii. *ThZahn* quoque eam sequitur et textum primitivum adhibitis omnibus testibus conatus est restituere, tum textum veteris versionis latinae, tum graecum (Die Urausgabe der Apostelgeschichte des Lucas, Forschungen zur Gesch. d. neut. Kanons 9, Lp. 1916). Textum hac ratione inventum, qui in multis a recensione Blass et Hilgenfeld differt, in commentario in A aliquibus locis correxit. Recensio a Zahn facta multas continet lectiones antea vix notatas et ostendit, quam late textus occidentalis propagatus sit, sed etiam supposita hypothesi duplicis editionis libri ab auctore institutae labor criticus vix certam textus formam exhibere poterit, cum testes inter se tantopere differant neque ullus ex eis prae aliis simpliciter excellat. Praeterea plures testes minime totum textum tradunt, aut eosdem textus alia forma aliis in locis exhibent. Ex quibus consequitur eiusmodi editionem non posse fieri nisi secundum electionem quoad singulas lectiones faciendam, et totam recensionem praebere textum in plurimis incertum.

Hypothesim duplicis editionis reiciunt *EvonDobschütz*, *PCorssen*, *Bousset*, *Clemen*, *Chase*, *Harnack*, *Jülicher*, *Preuschen*, *Rendel Harris*, *Ramsay*, *Jacquier*, *Knabenbauer*, *Herm. von Soden*, *Vogels*, *Coppieters*, *BWeiss*, *Loisy*, recentissime *EEisenlraut* (Studien zur Apostelgesch., Würzb. 1924), quibus accedimus, cum plurimi textus sint sine dubio secundarii, et forma duplex decreti Apostolorum non possit ab eodem auctore derivari. Forma autem occidentalis huius decreti tot testibus comprobatur, ut dicenda sit recensionis occidentalis propria esse, quamvis Zahn hoc prop-

ter suam suppositionem neget. Difficile autem est diiudicare, num aliqui fortasse textus formae primitivae attribuendi sint. Cum enim sint qui accuratam notitiam rerum prodant, nullum manifestent studium textus accommodandi, non videtur ratio esse hos textus reprobandi. Quare aliqui critici paucas lectiones receperunt, *von Soden*, *Vogels*, cf A 2, 30. 43s ; 20, 15 ; 21, 22 ; 28, 16. 28. At fatemur distinctionem hòrum textuum esse incertam.

4. Quomodo et quando recensio occidentalis orta sit, nos non minus latet, quam ipsa eius forma. Recte quidem videntur illi sentire, qui lectiones principales huius formae ab uno auctore profectas esse censent. Eandem enim fere indolem prae se ferunt. Atque certum est textum non esse ortum casu. Testes enim tam multi non possunt in lectionibus gravioribus inter se convenire, nisi textus aliquis antiquissimus has lectiones iam continebat. Sed hic textus decursu temporis mutationibus novis subiectus erat, ut aperta et pessima corruptione deformaretur. Si vero ab his corruptionibus abstrahimus, quaeritur, quis primitivae recensionis occidentalis auctor habendus sit. *Tatianum* eum fuisse censet *vonSoden* (Die Schriften des NT I 1834ss), cuius sententiae alii accesserunt (*Vogels*, *Plooij*). Sed cum plures lectiones certo antiquiores sint Tatiano, sententia haec sustineri non potest. Nobis enim constare videtur mox ab initio saeculi secundi formam occidentalem exstitisse. Num originem habeat in ecclesia occidentali, quod aliquibus placet, incertum est, cum probabile sit iam *Polycarpum* in sua epistula lectionem occidentalem afferre (ad Phil. 1, 2, cf A 2, 24). De *Aristide* iam diximus. *HCoppieters* censet recensionem ortam esse c. a. 100-140 in Asia, quod non est incredibile. Crediderim eam potius c. a. 100 quam postea factam. Auctor ignotus est, sed fortasse fuit ex discipulis Apostolorum aut aliquis, qui tum Asiam novit tum traditiones ecclesiae palaestinensis accepit.

Ex his quae de duplici recensione textus Actuum diximus sequitur eandem hypothesim de Evangelio excogitatam multo magis esse reiciendam, cum argumenta multo minus efficacia sint, cf n. 360,2.

§ 29. De praecipuis commentariis et subsidiis in Actus

369. 1. Veteres librum nostrum raro commentariis instruxerunt. Ex Graecis tempore et auctoritate primo loco nominandus est *S. Ioannes Chrysostomus* (55 hom. MG 60, 13-384). Quibus addi possunt 8 hom. (MG 51, 65-156). Chrysostomum sequuntur *Oecumenius* (MG 118, 29-308) et *Theophylactus* (MG 125, 496-1132), cui tres expositiones adscribuntur.

Multorum expositiones graecorum collectae sunt in catenis, ed. *Cramer*, Ox. 1844, III, ubi multa scholia ex commentario *Ammonii* presbyteri. *Theodori Mopsuesteni* commentarius interiit ; *EvonDobschütz* putat prologum ad nos pervenisse (The Americ. Journal of Theol. 2 [1898] 353-387).

Inter *latinos* interpretes secundum Cassiodorum commemorandus est *Tychonius* Donatista. *Cassiodorus* scripsit Complexiones Actuum Apostolorum (ML 70, 1381-1406). Eodem tempore *Arator* subdiaconus paraphrasim poeticam Actuum composuit (ML 68, 81-252). *S. Beda* scripsit librum Retractationis in A (l. c. 995-1032), commentarius ipsius nomine traditus non est genuinus (ML 92, 939-996). *Wal. Strabo* (Glossa ordin.) a Beda potissimum dependet.

Ex *Syris S. Ephraem* nominandus est, cuius commentarius brevissimus ne integer quidem conservatus est (*NAkinian*, W. 1921, cf ZkTh 48 [1924] 37-58. 226-260. 460-465). *Dionysius bar-Salibi* in Ap A ed. *JSedlacek*, P. 1909. *MDGibson*, The Commentaries of *Ish'odad* of Merw, IV, Acts, Ca. 1913, Horae semiticae X.

Media aetate operam dederunt Actis exponendis Card. *Hugo*, *Nic. Lyranus*, *Dionysius Carth.*, *Laur. Valla* scholia in A scripsit, P. 1505.

A saec. 16 plures diligentius A tractaverunt. *Erasmus*, Adnotationes, Ba. 1516 ; *Vatablus*, Adnotat. P. 1545 ; *IGagnaeus*, Scholia, P. 1552 ; *Arias Montanus*, Elucidationes in Ev A, Antw. 1575 ; *Lucas Brug.*, Notationes, Antw. 1583 ; *ILorinus* S. I., Lugd. 1605 ; *ISanctius* S. I., Lugd. 1616 ; *BPetrus Lovan.*, Duaci 1622 ; *IODonelly* O. P., Lovan. 1709 ; *FdeLigny* S. I., P. 1824 ; alii.

Nostra aetate : *IHKistemaker*, Mst. 1826 ; *FrFinetti*, R. 1842 ; *ITh-Beelen*[2], Lov. 1870 ; *ABisping*[2], Mst. 1871 ; *Patrizi* S. I., R. 1867 ; *Ivan-Steenkiste*, Brugis 1873 ; *HICrelier*, P. 1883 ; *IFelten*, Fr. 1892 ; *JKnabenbauer* S. I., P. 1899, CSS ; *IBelser*, W. 1905 ; *VRose*, P. 1907 ; *ACamelynck*, Brug. 1910 ; *ASteinmann*, B. 1913 ; *EJacquier*, P. 1926.

Acatholici : Post Calvinum, Bezam, Grotium scripserunt *EdZeller*, die Apostelgesch., Stutt. 1854 ; *HOlshausen-Ebrard*[4], Königsbg. 1862 ; *MBaumgarten*[2], Braunschw. 1859 ; *IPGloag*, Edb. 1870 ; *CFNösgen*, Lp. 1882 ; *HJHoltzmann*[3], Fr. 1901 ; *EPreuschen*, Tb. 1912 ; *HHWendt*[9], Gtt. 1913, KEC ; *ALoisy*, P. 1920. *ThZahn*[3], Lp. 1922-27. *IHaslings*, 2 vol. Edinb. 1927s. *Strack-Billerbeck* II, 1924.

2. *MSchneckenburger*, Ueber den Zweck der Apostelgesch., Bern 1841 ; *AKlostermann*, Vindiciae Lucanae, Gott. 1866 ; *AKönig*, Die Echtheit der Ap., Br. 1867 ; *FrSpitta*, Die Apg, ihre Quellen u. deren geschichtl. Wert, Halle 1891 ; *IJüngst*, Die Quellen der Ap., Gotha 1895 ; *IBelser*, Beiträge zur Erklärung der Ap. auf Grund der Lesarten des Cod. D u. seiner Genossen, Fr. 1897 ; *FHChase*, The Credibility of the book of the Acts, Ld. 1902 ; *AvonHarnack*, Beiträge zur Einleitung in das NT, I III IV, Lp. 1906. 08. 11 ; *AWikenhauser*, Die Apostelgesch. u. ihr Geschichtswert, NTAbh 8, 3-5, Mst. 1921.

KPieper, Die Simon-Magus-Perikope, NTAbh 3, 5, Mst. 1911 ; *RSchumacher*, Der Diakon Stephanus, NTAbh 3, 4, 1910. Der Alexandriner Apollos, Kempten 1916 ; *HDieckmann S. I.*, Antiochien, ein Missionsmittelpunkt, Aachen 1920 ; *AResch*, Das Aposteldekret nach seiner ausserkan. Textgestalt, TuU 28, 3, Lp. 1905 ; *KSix* S. I., Das Aposteldekret, Innsbr. 1912 ; *ENorden*, Agnostos Theos, Lp. 1913 ; *AHarnack*, Ist die Rede des Paulus ein ursprüngl. Bestandteil der Ap. TuU 39, 1. 1913 ; *JSmith*, The voyage and shipwreck of

S. Paul[4], Ld. 1880; *ABreusing*, Die Nautik der Alten, Bremen 1886; *HBalmer*, Die Romfahrt des Ap. Paulus, Bern 1905.

PBatiffol, L'église naissante et le catholicisme[8], P. 1909; *Le Camus*, L'œuvre des Apôtres, P. 1905; *IFelten*, Neutestamentl. Zeitgeschichte 1-2[2], Regensb. 1925; *HBruders S. I.*, Die Verfassung der Kirche von den ersten Jahrzehnten, Mainz 1904; *AHausrath*, Neutestamentl. Zeitgesch. 1-4[2/3], Heidelbg 1873-79; *OPfleiderer*, Das Urchristentum[2], B. 1902; *CWeizsäcker*, Das apostol. Zeitalter[3], Fr. 1902; *CFGHeinrici*, Das Urchristentum, Gtt. 1902; *HAchelis*, Das Christentum in den ersten drei Jahrhunderten, 1-2, Lp. 1912; *JWeiss*, Das Urchristentum, opus posthumum ed. et completum a *RKnopf*, Gtt. 1917;

WMRamsay, The Church in the Roman Empire before A. D. 170[3], Ld. 1894; *ACMcGiffert*, A History of Christianity in the Apostolic Age, Edb. 1897; *JHRopes*, The Apostolic Age, N. Y. 1906; *FJackson-KLake*, The Beginnings of the Christianity I 1-2, Ld. 1920-22; 3. The Text of the Acts by *JHRopes*, 1926; *EvonDobschütz*, Die urchristl. Gemeinden, Lp. 1902; Probleme des apostol. Zeitalters, Lp. 1904; cf *Holzmeister*, ZkTh 49 [1925] 87-99.

CAPUT V

DE EVANGELIORUM SYNOPTICORUM INTER SE RELATIONIBUS QUAESTIO SYNOPTICA

§ 30. De Evangeliorum synopticorum affinitate

370. Evv tria sec. Mt Mr L maximam prae se ferunt inter se similitudinem, quae sub multiplici respectu observatur. Tanta enim cernitur conformitas materiae, ordinis, ipsius locutionis, ut facile componi et uno quasi conspectu describi possint. Unde nomen *synopsis* invectum est *(JJ Griesbach* 1774), et Evv ipsa appellari solent synoptica. Evangeliorum autem similitudo eo magis attentionem movet, si quartum Ev cum eis comparatur, quod tum materia tum ordine tantopere a prioribus discrepat. Ex eo enim elucet vitam Christi alia ratione enarrari posse. Quare exorta est inquisitio in mutuam horum Evv relationem ad eorum similitudines magis elucidandas et eorum relationes mutuas detegendas. Quae investigatio maxime saeculo praecedente et nostro animos occupavit, et plures solutiones tentatae sunt. Antequam autem quae nobis probabiliora esse videntur exponimus, prius de ipsis factis statuendum est.

1. Evv nostra eandem fere materiam tradere diximus. Re enim vera, si omittimus historiam infantiae Christi, a praedicatione Ioannis Baptistae usque ad resurrectionem Domini facta fere eadem leguntur, iisdem in regionibus, civitatibus geruntur, maxime in Galilaea et ad mare Galilaeae, concluduntur itinere a Iericho in Ierusalem, iisdem fere gestis in urbe et opere passionis et resurrectionis.

Quae ex vita publica Christi usque ad primam multiplicationem panum traduntur, exceptis maioribus sermonibus, fere omnibus tribus Evv communia sunt. Denuo plures sectiones a Petri confessione usque ad apostolorum contentionem, et a parvulorum oblatione usque ad resurrectionem. Plus quam 80 sectiones communes numerantur, e quibus 70 fere a praedicatione Ioannis Baptistae usque initium passionis (profectio in montem oliva-

rum) computantur. His autem 70 synopticorum sectionibus tantum octo apud Ioannem respondent. Alia permulta saltem duobus Evangelistis communia sunt, inter Mt et L cernitur enim magna affinitas in sermonibus Christi. Partes Lucae et Matthaeo communes (42 fere sectiones), quae apud Mr desiderantur, constituunt sextam partem Lucae, duodecimam Matthaei. Mt et Mr conveniunt 13 sectionibus, quae in L desiderantur, Mr et L 5 sectionibus. Tandem Mt 16 sectiones proprias habet, Mr duas, L vero 37.

2. Praeterea materiam magna ex parte eundem in *ordinem* redigunt Synoptici. Persona et praedicatio Ioannis Baptistae simili ratione proponitur, Mt 3, 1-12. Sanatio paralytici, vocatio Matthaei, disputatio de ieiunio, Mt 9, 1-17 eodem ordine exhibentur. Mt 12, 1-16 sequuntur narratio de apostolis spicas vellentibus, de manu arida, de concursu populi, quae apud Mr et L quoque se excipiunt, nisi quod L 6, 12-16 narrat vocationem apostolorum. Quae Mt 16, 13-18, 5 leguntur, fere omnia eodem quoque ordine apud Mr et L habentur. Alia Mt 19, 13-20, 34 ; 20, 1-24, 36 ; 26, 1-29. 36-75 ; 27, 11-61. Si in his sectionibus aliqua ab aliis omittuntur aut adduntur aut alio modo narrantur, tamen idem ordo facile agnoscitur, et comparatione cum quarto Evangelio instituta intellegitur, hanc seriem gestorum non necessario ita ordinatam esse.

3. Convenientia autem eo usque procedit, ut in ipsis sermonibus Christi referendis saepe eadem omnino *verba* adhibeantur graeca, quod non eo explicari potest, quia Evangelistae Christi sermones accurate tradere conati sunt. Dominus enim aramaice docuit, et alibi auctores sacri in iisdem verbis allegandis non leviter differunt. Accedit quod in factis quoque exponendis summa aliquando convenientia observatur, ita ut eluceat compositionem singularum narrationum esse prorsus eandem et tandem ab uno et eodem auctore profectam esse. Nam Mt quamvis saepissime in gestis Christi describendis succinctior sit reliquis, eandem rationem tenere solet plerumque. Ex sermonibus notamus Mt 3, 7-10 et L 3, 7-9 ; Mt 7, 7-11 et L 11, 9-13 ; Mt 11, 4-6 et L 7, 22-23 ; Mt 12, 43-45 et L 11, 24-26 ; Mt 13, 3-9 ; Mr 4, 3-9 ; L 8, 5-8 ; Mt 21, 23-27 ; Mr 11, 27-33 ; L 20, 1-8 ; Mt 24, 4-7 ; Mr 13, 5-8 ; L 21, 8-11. Praeterea alia afferri possunt. Saepe integri versus in singulis vocibus congruunt, at saepius una alterave voce differunt.

Idem observatur in narrationibus, quamquam in his differentiae maiores esse solent. Nihilominus compositio et ipsa verba non raro ostendunt unitatem traditionis. In sanatione leprosi Mt 8, 3 legimus ἐκτείνας τὴν χεῖρα ἥψατο αὐτοῦ λέγων · θέλω, καθαρίσθητι. Ita fere ad verbum Mr 1,41 ; L 5, 13. Magis etiam in paralytici curatione, quae varia quidem ratione ab aliis traditur, omnes in eo conveniunt, quod eodem modo verbis Christi addunt in media sententia historicam relationem, ἵνα δὲ εἰδῆτε, ὅτι ἐξουσίαν ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι ἁμαρτίας (τότε) λέγει (εἶπεν) τῷ παραλυτικῷ, Mt 9, 6 : Mr 2, 10 s : L 5, 24. Similia alibi notantur.

Neque praetereundum est, quod quaedam locutiones graecae apud plures occurrunt, quae inusitatae aut in graecis auctoribus omnino ignotae sunt, Mt 9, 24 ; Mr 5, 40 ; L 8, 53 κατεγέλων αὐτοῦ ; Mt 15, 17 ; Mr 7, 19 ἀφεδρών, apud nullum alium auctorem graecum ; Mt 26, 11 ; Mr 14, 7 bis πάντοτε in loco parallelo, quae vox apud utrumque Evangelistam solum in hoc contextu legitur. In historia passionis forma ἀπεκρίνατο apud omnes Synopticos semel (sed non in eodem contextu) legitur, Mt 27, 12 coram Pilato ; Mr 14, 61 coram synedrio ; L 23, 9 coram Herode ; forma media apud Mt et Mr semel tantum habetur, apud L praeterea 3, 16, A 3, 12. Omnibus Synopticis commune est verbum ἀπαρθῇ Mt 9, 15 ; Mr 2, 20 ; L 5, 35, quod solum his locis in NT legitur. Similiter ἐπίβλημα Mt 9, 16 ; Mr 2, 21 ; L 5, 36 ; σπόριμος Mt 12, 1 ; Mr 2, 23 ; L 6, 1 et τίλλειν ; εὐκοπώτερον, Mt 9, 5 ; Mr 2, 9 ; L 5, 32, et Mt 19, 24 ; Mr 10, 25 ; L 18, 25 ; υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος Mt 9, 15 ; Mr 2, 19 ; L 5, 34 ; οὐ μὴ γεύσωνται θανάτου Mt 16, 28 ; Mr 9, 1 ; L 9, 27, cf *Hawkins*, Horae synopticae[2] 57s, *Camerlynck*, Synopsis[3] XXII.

371. Haec facta, similitudo maxima in rebus minimis, ubi non est exspectanda, differentiae in narrationibus et ipsis verbis Domini referendis attentionem interpretum iam in antiquitate excitaverunt. Et sane consideratione digna sunt. Quam maxime enim ostendunt, qua ratione Evv nostra inter se conectantur. Simul ex differentiis aliquomodo cognosci potest indoles singulorum Evangelistarum. Nam ex accurata comparatione omnium rerum facilius ea, quae singulis sunt propria, perspiciuntur. Quare labor in has investigationes impensus non est inutilis.

Recentiores quidem non pauci quaestioni synopticae eo maxime animo incumbunt solvendae, ut abstrahendo ab omni traditione in originem Evangeliorum inquirant et de auctoribus, de ordine et mutuis relationibus pro libitu statuant. Praeterea ita procedere aliquando solent, ut veritatem et auctoritatem historicam Evangeliorum ab his inquisitionibus pendere affirment, ita ut pro varietate opinionum alium gradum veritatis et alios auctores librorum evangelicorum statuant.

Nobis quaestio synoptica non est tanti momenti, ut ex ea omnia pendere censeamus. Quamvis enim concedamus ea soluta lucem non exiguam diffundi in ipsa Evv et historiam primitivam, tamen pro certo habemus etiam abstrahendo a tota quaestione credibilitatem Evangeliorum posse probari, idque eo magis tenemus, quo certius est interim nullam opinionem excogitatam esse, quae gaudeat certitudine vere scientifica et omnia elucidet. Unde eorum quoque catholicorum sententiam reicimus, qui censent quaestionem synopticam prae aliis esse solvendam, ut sustineri possit traditio nostra ; cf ThR 17 [1919] 444.

§ 31. De historia quaestionis et sententiis propositis

372. 1. Veteres in hancquaestionem operam vix contulerunt. Qui enim studiis synopticis se dederunt, finem magis practicum secuti sunt, ut Ammonius Alexandrinus, Eusebius. Solus *S. Augustinus* quaestionem aliquomodo attingit in opere *De consensu Evangelistarum*, in quo asserit : Marcum a Matthaeo pendere et tamquam pedissequum et breviatorem eius subsecutum esse eum, 1, 4 ; cf 3, 2. 5. 11, alia. « Quamvis singuli suum quendam narrandi ordinem tenuisse videantur, non tamen unusquisque eorum velut alterius praecedentis ignarus voluisse scribere reperitur ».

S. Augustinus ergo aliquam dependentiam litterariam Evangelistarum admittit, vidit quae ratio affinitatis inter singulos auctores intercedat (1, 4), sed maxime dependentiam Marci a Matthaeo urgere solet. Libertatem vero magnam in ordinandis factis agnoscit. In quo consentit auctor 17 Quaestionum in Mt c. 15 (ML 35, 1373s), qui haec habet : « Nonnumquam sane alius Evangelista contexuit, quod alius diversis temporibus dictum indicat. Non enim omnimodo secundum rerum gestarum ordinem, sed secundum suae quisque recordationis facultatem narrationem quam exorsus est, ordinavit ». Haec verba omnino mentem S. Augustini referunt, etiamsi opus forte non eius est. Sententiam hanc fere secuti sunt, qui postea de nostra quaestione egerunt, e. g. *HGrotius*.

A saeculo tandem 18 accuratius in Evangeliorum synopticorum rationem inquirere coeperunt et varias paulatim sententias statuerunt.

2. Hae autem fere sunt hypotheses quae exeunte s. 18 et ineunte sequenti excogitatae sunt.

a) Prima hypothesis proposita est a *GELessing*, qui censet exstitisse librum aliquem apostolicum hebraice conscriptum, ab *Hieronymo* apud Nazaraeos iterum inventum, hypothesis *Evangelii primitivi*. Nostra autem Evv esse versiones et excerpta, Ev nostrum sec. Mt ab Apostolo ex primitivo graece excerptum esse (Neue Hypothese über die Evangelisten als bloss menschliche Geschichtsschreiber betrachtet 45-72, 1784, iam scriptum 1778). Paulo postea (1794) *IGEichhorn* statuit Ev primitivum aramaicum c. a. 35 scriptum, deinde vario modo retractatum, amplificatum, abbreviatum, ex quo Evv canonica orta esse putat, Matthaeum composuisse suum Ev ex pluribus fontibus aramaice, versionem graecam nova multa addidisse, e. g. c. 1-2.

b) Aliam viam iniit *GPaulus*, qui non Ev aliquod primitivum, sed commentarios supponit, qui variis in locis conscripti postea a Mt et L adhibita sint in Evangeliis componendis.

Similem sententiam emisit *Schleiermacher* (1817), deinde autem novam suam interpretationem Papiae de Evangeliis sec. Mt et Mr proposuit, asserens Papiam Matthaeo solam illam collectionem sermonum Domini, *Logia*,

tribuere, et Marci Ev ipsi notum non esse nostrum, sed Ev magis primitivum. A Schleiermacher proinde primo illa hypothesis *Proto-Matthaei* et *Proto-Marci* excogitata est (1832).

c) *JJ Griesbach* Matthaeum habet auctorem primi Evangelii, sed graece conscripti. Censet eum scripsisse ex scientia rerum immediata neque dependere ab aliis. Lucam vero secutum esse Matthaeum et praeterea traditiones orales assumpsisse. Tandem Marcum Ev suum ex utroque excerpsisse, addendo pauca quaedam, quae Hierosolymis ipsi innotuerint (1783. 1789s). *JLHug* eatenus sequitur Griesbach, quod negat Mt hebraice scriptum esse, sed ordinem singulorum Evangeliorum a traditione transmissum retinet. Litterariam vero dependentiam Mr a Mt, L a Mt et Mr, J ab omnibus tribus admittit. Matthaeum dicta et sermones Christi collegisse, quibus postea in doctrina exponenda et in Evangelio conscribendo usus sit (1808). Quae sententia de graeca primi Evangelii origine postea a permultis recepta est.

d) Alio modo *GHerder* quaestionem solvere conatus est. Omnia repetit ex traditione orali, quae Evangelium aliquod (aramaicum) creaverit secundum materiam et formam determinatum. Hoc Ev a Marco esse litteris mandatum et Romae denuo editum. Postea autem in Palaestina Ev primitivum magis completum prodiisse lingua aramaica, quod post a. 70 graece redditum sit, sed non sine mutationibus. Lucas secundum Herder praeter Ev primitivum et Ev aramaicum copiosius primos discipulos Christi secutus est. Paulo ante Herder *GChrStorr* (1786. 1794) sententiam de Marco Evangelista primo emiserat, sed Ev primitivum non admittit, Mt censet dependere a Mr, Lucam quoque secutum esse Marcum, opus autem Matthaei Lucae fuisse ignotum. Conveniunt cum Storr et Herder in agnoscendo ordine Mr Mt L, aut Mr L Mt *ChrGWilke*, *BrBauer*, alii.

e) Sententiam de Evangelio primitivo non scripto assumpsit *JCLGieseler* (Histor.-krit. Versuch über die Entstehung u. die frühesten Schicksale der schriftl. Evangelien, Lp. 1818), qui censet paulatim *orali* traditione ortum esse typum aliquem Evangelii, initio aramaice, postea graece propagati. Matthaeum hanc traditionem secutum esse, alio modo Marcum inter Romanos, Lucam quoque suum Ev Paulinum secundum idem Ev scripsisse. Quae hypothesis a permultis alia ratione acceptata et propagata est, inter catholicos interpretes plurimos per aliquod tempus nancta asseclas.

373. Hypotheses supra expositae ab aliis receptae sunt, ab aliis modificatae, ita ut paulatim quaedam elementa communiter a recentioribus agnoscerentur. Omissis Evangeliis primitivis Evangelio Marci primum locum tribuerunt *ChrGWilke* (Der Urevangelist, Lp. 1838), *ChrHWeisse* (Die evangel. Geschichte kritisch u. philosophisch bearbeitet, Lp. 1838). Quos secuti sunt plerique acatholici, *ARitschl*, *HJHoltzmann* (Die synopt. Evv, ihr Ursprung u. ihr geschichtl. Charakter, Lp. 1863), *CWeizsäcker* (Untersuchungen über die evangel. Gesch., ihre Quellen u. den Gang ihrer Entwicklung, Tb. 1864), *BWeiss* (Theol. Stud. u. Krit. 34 [1861] 29-100

et alia). Convenit inter hos auctores Marcum alios Evangelistas scribendo praecessisse. Sed differunt inter se, cum Holtzmann et alii Marcum primitivum statuant, qui secundum aliquos *(von Soden, Weizsäcker)* non leviter a nostro Mr differat, alii vero hanc hypothesim Proto-Marci reiciant. Praeter Mr supponitur a Holtzmann collectio sermonum Domini (Logia), quam tamen alio modo circumscribit quam Schleiermacher. Non enim ei tribuit sermonem montanum, nihil ex praedicatione hierosolymitana. Haec potius a Proto-Marco conscripta esse et a nostro Marco omissa. Evv secundum Mt et L orta esse ex Proto-Marco et Logiis, quibus accesserint traditiones aliquae orales aut narrationes sermonesve ab auctoribus conficti.

Quae sententia a posterioribus magnopere modificata est. Plerique enim Logia multo copiosiora fuisse censent quam Holtzmann. *BWeiss* putat opus aramaice compositum sed mox in linguam graecam translatum esse. Marcum hausisse ex hoc libro graeco et ex traditione Petri. Auctorem Ev sec. Mt secutum esse Marcum et Logia. Lucam tandem praeter Marcum adhibuisse Logia et alium fontem deperditum scriptum, minime vero Matthaeum.

Hodie plerique ex numero acatholicorum similem sententiam proponunt, ita ut ex duobus potissimum fontibus Evv nostra canonica exorta esse dicant. Primo enim loco habent Ev aliquod primitivum, cui secundum varias considerationes maiorem vel minorem partem Evangelii secundum Mr tribuunt. Quod Ev aramaice compositum esse putant, post a. 40 ortum, c. 70 in formam graecam redactum (Mr). Alter fons derivatur ex comparatione Evv secundum Mt et L, id est ex communi eorum materia, quae maxime in sermonibus Domini continetur et ex eis eruitur. Hunc quoque fontem ab initio aramaice scriptum et postea in linguam graecam translatum esse censent. Sed eius compositio neque ex Mt neque ex L cognosci potest, cum neuter primitivum ordinem sequatur. Uterque vero supponit textum graecum. Mr quoque non est omnino independens ab hoc fonte. Hoc opus, quod potissimum sermones Christi complectebatur, nomen *Logia* sortitum est *(Redequelle*, Logian Document). In singulis factis diiudicandis defensores huius hypothesis magnopere inter se dissentiunt, at plurimi eam tamquam scientifice maxime probabilem aut certam habent. Proponi autem solet appellatione Hypothesis duorum fontium *(Zweiquellentheorie*, Hypothèse des deux documents).

Ex suppositione duorum fontium explicant ex parte factum, quod quaedam dicta Christi bis narrentur aut aliqua facta ex utroque fonte excerpta sint. Alia cf n. 339, 3.

BWeiss, Das Mr-Ev u. seine synopt. Parallelen, B. 1872; Das Mt-Ev u. seine L-Parallelen, Halle 1876; Die Quellen der synopt. Ueberlieferung, TuU 32, 3, Lp. 1908; *AHarnack*, Sprüche u. Reden Jesu, Lp. 1907; *FSpitta*, Die synopt. Grundschrift in ihrer Ueberlieferung durch das L-Ev, Lp. 1912; *JWeiss*, Das älteste Ev, Gtt. 1903; *JWellhausen*, Einleitung in die drei ersten Evv², B. 1911; *PWernle*, Die synopt. Frage, Fr. 1899.

JCHawkins, Horae Synopticae², Oxf. 1909; *WSanday*, Studies in the Synoptic Problem, Oxf. 1911; *WHaupt*, Worte Jesu u. Gemeindeüberlieferung, Eine Untersuchung zur Quellengesch. der Synopse, Lp. 1913; *HGrosch*, Der Umfang des vom Apostel Mt verfassten Ev oder des aramäischen Ev, Lp. 1914; *CSPatton*, Sources of the Synoptic Gospels, N. Y. 1915; *RBultmann*, Die Gesch. der synopt. Tradition, Gtt. 1921.

§ 32. Solutio probabilis

374. Antequam solutionem quaestionis proponimus, quae nobis videtur esse probabilis, principia aliqua praemittimus, secundum quae tota quaestio diiudicanda et tractanda est.

Primo enim in re tractanda procedendum est ex iis, quae aliunde ut certa probata sunt ex testimoniis et documentis historicis. Quare supponimus ea quae antea exposuimus et demonstravimus de auctoribus et origine Evangeliorum nostrorum. Retinemus Matthaeum primo loco scripsisse, et eius Ev aramaicum quoad substantiam convenire cum nostro Mt graeco, et Ev esse unius auctoris. Neque traditionem de ordine Evangeliorum synopticorum inter se relinquendam esse arbitramur, nisi certis argumentis demonstretur traditionem non posse sustineri. Hoc autem demonstratum esse negamus.

2. Praeterea notamus condiciones et praesupposita nostrae quaestionis non esse prorsus eadem ac in similibus quaestionibus esse solent. Constat enim nobis non solum nostra Evv esse consideranda, sed tum traditionem oralem tum alia Evv scripta, quae verbis explicitis S. Lucae commemorantur et ante ipsius Ev scripta sunt. Proinde hypotheses omnes, quae in solis nostris Evv fundantur, ac si illa sola exstiterint, facile insufficientes esse possunt vel positive falsae.

3. Tandem notandum est argumenta et rationes, quae ex solis internis criteriis procedunt, saepe indolis esse subiectivae et incertae et revera ab aliis aliter diiudicari atque saepe ab iisdem auctoribus postea modificari aut relinqui. Quod autem hypothesim duorum fontium attinet et ea, quae de Evangelio primitivo et collectione sermonum excogitata sunt, magna ex parte definiuntur et circumscribuntur secundum principia mere naturalis evolutionis et fundantur in negatione auctoritatis historicae Evangeliorum. Proinde patet ex his argumentis fere necessario falsas quoque sententias consequi.

375. Probabilis autem solutio fortasse ex omnibus sententiis, quae propositae sunt, aliqua sibi assumet. Generatim enim dicendum esse videtur, omnes quidem suis defectibus laborare, at in omnibus aliquid contineri, quod ad solutionem conferre possit.

1. *Traditio oralis* in Ev propagando sine dubio magnam habuit partem,

neque fieri non potuit, quin per repetitam et iteratam narrationem earundem rerum paulatim aliqua traditio stabilis oriretur. Quae traditio tum materiam ipsam videtur attigisse tum eius ordinem. Hoc vero potissimum de dictis et sermonibus Christi statuendum erit, ut similes materiae mox secundum quosdam respectus comprehenderentur. Atque cum in ratione docendi apud Iudaeos traditio oralis multum valeret, certus modus narrandi eo facilius oriri potuit, idque eo facilius, quo maioris auctoritatis erat ille, qui rem tradere solitus erat.

2. Traditio autem haec erat *aramaica* sicut praedicatio ipsa. At cum in urbe Ierusalem ut in aliis civitatibus palaestinensibus lingua graeca a multis adhiberetur (cf A 6, 1ss. 9 ; 22, 2), Ev ab initio in hac quoque lingua proponendum erat. Quod confirmatur eo, quod septem illi diaconi omnes graeci nominis erant, ergo probabiliter ipsi Hellenistae erant et graecae linguae gnari, maxime cum constet eos postea in Cypro et Antiochiae praedicasse. Ipse populus hierosolymitanus videtur magna ex parte novisse linguam graecam, A 22,2. Quare credendum est mox simul cum traditione aramaica graecam quoque exortam esse, eamque non minus quam alteram in multis stabilem evasisse. Si vero haec admittuntur tamquam probabilia, non pauca facilem habent solutionem.

3. Quando autem traditio oralis *litteris* consignata sit, non constat. Sed censemus hoc mox factum et ab aliis alia conscripta esse, tum graece tum aramaice. Hac vero ratione ipsa traditio magis stabilita est quoad materiam et quoad formam.

4. Iam quod Evv synoptica attinet, haec ultimatim a primitiva praedicatione hierosolymitana pendere videntur. Materia enim primaria in ipsis contenta optime necessitatibus Ecclesiae nascentis respondet. Verba Domini ad populum, praecepta, miracula quaedam, disputationes cum pharisaeis, discipulorum institutio, similia quam maxime apta erant, quae fidelibus primis erudiendis inservirent. Attamen non omnia quae in Evv synopticis leguntur, huic primitivae doctrinae adscribi possunt, neque tanta similitudo hac ratione convenienter explicatur, nisi quis statuat Ev primitivum, quod secundum materiam et ordinem et formam ad Mt aut Mr fere perfecte accedat. Quod si recte reicimus, praeter traditionem oralem *dependentia* quoque *litteraria* Evangelistarum inter se aut a fontibus communibus statuenda est. Nihil autem contra hanc dependentiam sive ex traditione sive ex alia ratione opponi poterit. Nam sicut monuimus, *S.Augustinus* hoc aperte profitetur et *S. Chrysostomus* idem supponit (in Mt hom. 4, 1 MG 57, 39s).

Deinde si auctores librorum Samuel, Regum, Paralipomenon, 2 Machabaeorum manifestant se fontibus usos esse eosque magna ex parte enumerant, ne in NT° quidem idem modus auctore sacro indignus est.

Positive vero demonstratur aliqua dependentia litteraria ex communi materia, ordine, copia locutionum et ipsorum verborum. Sed qualem relationem mutuam statuere oporteat vel liceat, ulterius comparando singula Evv investigandum est.

376. *De Marco et Luca.* 1. Facilior videtur esse quaestio de relatione *inter Mr et L*, hodie enim ab plerisque dependentia Lucae a Marco agnoscitur. Lucas ordinem tenet cum Marco eo usque communem, ut hic ordo non possit ortus esse casu. Neque obici potest Lucam saepius ab ordine Marci recedere. Nam id rarius accidit et plerumque ex ipso modo scribendi S. Lucae ratio ordinis mutati agnoscitur. Deinde Lucas quotiescumque recedit a Marco, toties ad eam redit. Quod ex tabulis synopticis facile perspicitur. Haec autem relatio ad Mr magis etiam manifestatur, si L cum Mt comparatur. Nunquam enim fere in materiis communibus L sequitur *ordinem* Mt contra Mr, sed Mr contra Mt.

Idem plerumque valet in *materia* communi, praecipue in factis narrandis, in quibus L multo magis ad Mr accedit quam ad Mt. Ergo comparatione instituta elucet Lucam non necessario eum ordinem secutum esse, quem tenet, neque necessario ea ratione narrasse, qua narrat. Unde si tam prope ad Mr accedit, non ad Mt, eo magis probatur dependentia. Ex eo autem quod L 9,17 post miraculum primum multiplicationis panum omnia usque ad Petri confessionem (Mr 6,30-8,26) omittit, non sequitur eum non habuisse integrum Mr sed illum Proto-Marcum. Si enim supponimus Ev aliquod, in quo omittenda essent ea quae L non cum Mr communia habet, esset Ev secundum Mr excepta narratione de morte Ioannis Baptistae Mr 6, 12-29 ; interrogatione de Elia venturo Mr, 9, 9-13 ; paucis versibus de scandalo Mr 9, 43-48 ; de matrimonii indissolubilitate Mr 10, 1-12 ; de filiis Zebedaei Mr 10, 35-45 ; de ficu et fide Mr 11, 12ss. 20-26 ; et tribus versibus in sermone eschatologico Mr 13, 21-23. Nemo vero dixerit propter has omissiones admittendum esse Ev secundum Mr, quod his particulis caruerit, neque recentiores illi critici, qui Marcum primitivum statuunt, librum his sectionibus imminutum agnoscerent tamquam Ev primitivum. Quare pro certo habemus Lucam prae manibus habuisse Ev secundum Mr. Hoc eo confirmatur, quod constat eum cum Marco consuetudinem habuisse.

377. 1. Iam si relationes inter Mt et Mr examinamus, recentiorum sententia dependentiae Matthaei a Marco perpendenda est. Argumenta ab ipsis proferri solita sine dubio aliquam speciem probabilitatis prae se ferunt. Quare ea attentius consideranda sunt. Rationes autem hae fere afferuntur.

a) Ordinem Marci esse magis primitivum quam Matthaei, et quod antea de Luca dictum est, de Matthaeo quoque valere censent, eum relinquere quidem saepius ordinem a Marco exhibitum, sed semper in eundem devenire. Sermones a Mt iis locis insertos esse, ubi Mr aliquam longiorem institutionem insinuet, v. g. Mr 3, 12 et Mt 5-7. — *b*) Narrandi vero modum apud Mt esse magis concinnum, particularia illa, quae apud Mr tanto cum gustu legimus, a Matthaeo omissa esse, nihilominus narrationes eandem compositionem habere et proinde ex eodem fonte derivari. — *c*) Lingua Matthaei est purior,

elegantior, ergo posterior. — *d*) Tota deinde indoles Evangelii sec. Mt manifestat aetatem posteriorem, cum finis sit theologicus, non historicus ut apud Mr. Pluries Mt videtur dicta Christi aut aliorum mutasse, ne lectores offenderentur. Ita Christus dicitur apud Mr 6,3 *faber*, apud Mt 13,55 *fabri filius*. Mr 10, 18 Dominus iuveni interroganti « Magister bone, quid faciam », respondet « Quid me dicis bonum ». Apud Mt 19, 16s iuvenis alloquitur Christum : « Magister, quid boni faciam », et Iesus respondet : « Quid me interrogas de bono ? » Sed notamus, plurimos testes eosque antiquissimos cum Mr legere « Magister bone ». Mr 13, 32 legimus : « de die illo nemo scit... neque Filius nisi Pater », Mt 24, 36 verba « nisi Filius » a plerisque testibus omittuntur. Praterea alia quaedam in eundem sensum afferuntur. — *e*) Denique ex dictis vel factis bis traditis et ex allegationibus VT[1] dependentia Matthaei a pluribus fontibus demonstrari contendunt.

2. Antequam in ipsam hanc quaestionem intramus, pauca praemittere iuvabit. Si abstrahimus a traditione et aliis, quae cum nostra disputatione non necessario coniuncta sunt, non multum referre videtur, uter ex Evangelistis prius scripserit. Immo ne id quidem nos movere debet, si quis asserit Matthaeum in Ev conscribendo secutum esse aliquo modo Marcum. Posset enim in aliquibus, maxime in ordine, sequi alium, quamvis ipse fuerit multarum rerum testis immediatus. Traditio vero, quae Matthaeum habet ut Evangelistam primum, hoc factum non exhibere solet tamquam theologicam doctrinam, a qua necessario dependeat historica auctoritas et credibilitas Evangelii ipsius. Attamen traditio haec adeo constans est, ut non nisi ex gravissimis rationibus relinqui possit. Porro recentiores suam hypothesim ita adstruunt, ut ea acceptata corruat traditio de Matthaeo auctore et ipsa Evangelii auctoritas. Quare intellegimus ab auctoribus catholicis hanc hypothesim fere unanimiter reici neque eam ab auctoritate ecclesiastica tolerari.

Argumenta vero in confirmationem excogitata hypothesim non sufficienter comprobant.

a) *Ordo* et compositio primi Evangelii facile intellegitur ex ipso Evangelii fine neque alia explicatione indiget. Marci autem compositio nullo modo est magis primitiva, si a singulis quibusdam sectionibus abstrahimus. Si vero considerato cursu vitæ publicae Christi patet, ordinem Synopticorum esse artificiosum, sine dubio facilius et rectius Matthaeo quam Marco eius inventionem adscribimus. Exemplis autem non ostenditur Marcum revera esse priorem. Si enim Mt dicitur sermonem montanum eo loco inseruisse, qui per Mr insinuabatur, non minus recte contrarium adstruimus, Mr scl. sermonem omisisse. Praeterea inveniuntur vestigia quae suadent, Mt esse priorem. Mt 4, 23 enim legimus Dominum in *tota* Galilaea Ev praedicasse, quod cum antecedentibus et sequentibus plane congruit. Mr idem narrat (1,39) in alio contextu, cum quo non tam bene convenit, cum Christus immediate antea tantum dicat se in *proximos* vicos et civitates profecturum esse. — Mr 1, 2 legitur duplex verbum propheticum sub unius Isaiae nomine (secundum meliorem textum) ; sed

prior pars Malachiae est. Quod facile intellegitur supposita dependentia a Mt, 3,3, qui solum Isaiam allegat. Mr autem addit locum ex Malachia non corrigens verba introductoria. — Mr 1, 14 loquitur de angelis Domino ministrantibus. Ex Mr ipso non elucet, cur hoc factum sit. Mt 4, 2ss. 6 rationem affert. — Mr 12, 1 parabolam agricolarum tradit verbis « Et coepit illis in parabolis loqui ». Sed una sola parabola narratur. Mt vero loco parallelo plures habet, praemittit parabolam de duobus filiis et addit tertiam de invitatis ad nuptias. 21, 28-22, 14, et introducit mediam verbis : « Aliam parabolam audite », 21, 33. Mr videtur hunc vel similem contextum novisse, cum de pluribus parabolis loquatur. — Porro si Mt 26, 1-5 cum Mr 14, 1s comparamus, nullo negotio perspicimus Marcum non esse fontem Matthaei, sed eius brevem relationem perfecte solum intellegi praesupposita narratione Matthaei de verbis Christi et concilio sacerdotum. — Idem suadetur in sequenti narratione unctionis in Bethania. Quod enim Mt hanc unctionem cum Iudae proditione coniungit, quamvis unctio ante concilium facta sit, ex indole Evangelii Matthaei explicatur, non adeo ex compositione Marci. Quare ex ordine utriusque Evangelii nihil concludi potest contra traditionem de prioritate Matthaei, sed haec potius confirmatur.

b) Quod deinde *materiam communem* attinet, concedimus eam postulare aut dependentiam litterariam duorum Evangelistarum aut communem fontem aut utrumque. Ex materia communi nondum sequitur Matthaeum post Mr scripsisse.

Maiorem probabilitatem videtur argumentum ex *indole* narrationum creare. Manifestum est enim Marcum plerumque prae Matthaeo uberiorem esse in rebus narrandis, afferendo res minutas ex immediata observatione haustas, quae ex Matthaeo descendere non possunt. Proinde concedimus *modum narrandi* in secundo Evangelio esse magis primitivum quam in primo ; sub *hoc respectu* Mr non potest dependere a Mt. At hoc non probat eum ante Matthaeum scripsisse. Ex traditione autem de origine secundi Evangelii elucet, Marcum potuisse sub aliquo respectu a Mt dependere et nihilominus in re narranda testem immediatum Petrum sequi. Si quis autem opponit indolem Matthaei necessario supponere, haec facta iam aliquo tempore antequam a Matthaeo conscriberentur, fuisse simili ratione tradita et in multis formam ostendere stabilem et receptam, omnino assentimur. Neque asserimus formam hanc in omnibus a Matthaeo derivari ; sed concedimus eam fuisse aliquomodo communem, Mt vero ea supposita narrationes suo fini adaptasse, dum Mr eas in suum Ev recepit, prout eas memoria retinuit.

Attamen praetereundum non est Matthaeum saepius in ipsis narrationibus plura habere quam Mr. Exempla sunt fere haec Mt 3, 14s (Ioannes Baptista) ; 9, 13 (misericordia) ; 9, 36ss (populus vexatus) ; 12,5ss. 11s (sabbatum) ; 14, 28-31 (Petrus ambulans in mari) ; 15,22ss (mulier Syrophoenissa) ; 17, 6s. 12s (transfiguratio, Elias) ; 19, 4-8.10ss (de

matrimonio et virginitate) ; 20, 20 ; 21, 14ss ; 22, 46 ; 26, 2s. 52ss. 72 ; 27, 3-10.24s.

Qui autem ex recentioribus propter modum concinnum narrandi concludunt Matthaeum ignorasse narrationes primitivas, quae apud Marcum habentur, sibi contradicunt. Statuentes enim dependentiam a Marco eo ipsi conveniunt Mt saltem ex Mr novisse has narrationes primitivas, quod iam antea monuimus (n. 341, 2).

Ceterum non excluditur Matthaeum in Ev componendo ex traditione iam litteris consignata quaedam in suum Ev recepisse, etiamsi id positive demonstrari non potest. Qui autem censent Mt graecum in levioribus quibusdam rebus ad Mr esse adaptatum, non videntur contradicere traditioni neque iis quae a decreto Commissionis biblicae statuta sunt, cum in eo sermo sit de *substantiali* identitate textus graeci cum originali primitivo, Decr. 26. Iunii 1912, n. 1. Sed cum modus scribendi et compositio Evangelii maximopere inter se conveniant, non videtur multum tali mutationi tribui posse, quin ipsa substantia Evangelii tangatur.

c) Multum solent urgere indolem *theologicam* Matthaei, cum putent Evangelistam duci studio evitandi ea, quae cum statu Ecclesiae posterioris conciliari non posse viderentur. Sed quam primum exempla allata in contextu examinantur, apparet eiusmodi studium a Matthaeo fuisse alienum. Provocant quidem ad Mt 3, 17, ubi volunt Evangelistam studiose verba Marci de voce caelesti Christi mutasse, ne verba solum ad Christum dicta esse apparerent : *hic est filius meus*, non *tu es filius*. At si Mt verba ex hac causa mutavit, cur non idem fecit referens visionem Christi ? Aliis quoque locis elucet Mt non curare eiusmodi studia, quae in eo supponuntur. — Post paralytici sanationem Evangelista addit populum glorificavisse Deum, « qui dedit potestatem talem hominibus » 9, 8. Quae verba a nullo alio Evangelista exhibentur. — Mr 3, 5 loquitur de ira et tristitia Domini, quod a Mt 12, 12 omittitur ; at Mt saepissime talia, quae depingunt res narrandas, omittit. Si Mt 13, 13 de fine parabolarum dicens adhibet particulam ὅτι, non ἵνα sicut Mr 4, 12, ex contextu certum est nullam rationem subtiliorem esse quaerendam. — Quid autem intersit inter locutionem « faber » et « fabri filius » (Mt 13, 55) nemo dixerit.

Neque alia maiorem vim probandi habent. Mt 14, 33 dicitur quidem apostolos adorasse Christum ut Filium Dei, dum Mr 6, 51s refert eorum stuporem et caecitatem. Haec autem non contradicunt Matthaeo, Mr enim his verbis insinuat, si apostoli miraculum panum perspexissent, non fuisset, cur de novo miraculo tantopere stuperent. Mt 17, 9 ; 18, 1 nihil tradit de discipulorum quaestione et disputatione (Mr 9, 10. 34). At haec certo non omittuntur, quia Mt parcit imperfectioni discipulorum, sed quia saepe haec studio brevitatis ductus silentio praeterit. Mt 19, 16s secundum meliores codices Christus non appellatur *Magister bone*, sed iuvenis introducitur interrogans de bono. At si Mt his verbis quidquam insinuare vellet, profecto non referret Christi responsum : « Unus est bonus Deus ». Praeterea notantur differentiae inter Mt 16, 24 et Mr 8, 34 ; Mt

16, 28 et Mr 9, 1 et alia pauca, quibus non maior vis probandi inest quam iis, quae proposuimus.

Si vero accurate in Mt inquirimus, plura inveniuntur, quae potius contrarium suadent. Mt 24,20 commemorat sabbatum, quod Mr omittit (13,18); quamvis fere eadem verba alleget; verbis Mt 24,26 nihil apud Mr respondet. Mt 26,8 loquitur de *discipulis* simpliciter, qui murmuraverint, Mr 14, 4 solum *quosdam* indigne ferentes notat. Atque alia non pauca obervantur apud Mt, quibus ostenditur Evangelistam nullo modo anxium fuisse, ne fortasse apostolis sua narratione nota imperfectionis inureretur.

d) Magnopere agitatur quaestio de narrationibus aut dictis *bis* relatis in Mt. Hoc enim esse unum ex argumentis maxime efficacibus fontium plurium contendunt.

Alii aliter numerant haec facta et dicta duplicia. *Wernle* (Die synopt. Frage 112s) enumerat 21, *Hawkins* (Horae Synopt. 80-99) 22. Wernle censet Mt 11 dicta bis in suum Ev assumpsisse, tum ex Mr tum ex Q. Identica habet haec :

10, 21 et 10, 35	16, 24 et 10, 38	19, 9 et 5, 32
12, 31 et 12, 32	16, 25 et 10, 39	21, 21 et 17, 20
13, 12 et 25, 29	18, 8s et 5, 29s	21, 22 et 7, 8
16, 4 et 12, 39	18, 5 et 10, 40	24, 23 et 24, 26

Ex Mr solo dicitur bis assumpsisse 10,22 et 24,9. 13; 11, 14 et 17,11; 19, 30 et 20, 16. Ex Q 7, 17 et 12, 33. Aliunde 9, 13 et 12, 7. Etiam 24, 5. 11. 24 esse idem verbum Christi, ter aliis modis traditum. Pluries verba Ioannis Baptistae ipsi Christo attributa esse putant. Mt 3, 7 et 12, 34 ; 23, 33 ; 3, 10 et 7, 19 ; 3, 12 et 13, 30. *Hawkins* addit Mt 4, 23 et 9, 35 ; 9, 27-31 et 20, 29-34 ; 3, 2 et 4, 17 ; 16, 19 et 18, 18. Alii denique adiungunt duplicem multiplicationem panum, ita *Jülicher*, alii.

Ex his quaedam referunt facta, non verba, Mt 4, 23 (9, 35) concursum magnum populi, 9, 27ss (20, 29ss) sanationem caecorum. Cur haec eadem facta esse censeamus, nulla ratio probabilis suadet. Quod panum miraculum attinet, non solum ipse Mr utrumque miraculum narrat, sed utrumque verbis explicitis Christi testimonium habet, Mt 16, 9s ; Mr 8, 19s. Baptistae verba de regno Dei, de iudicio futuro, de arbore mala, contra pharisaeos facile intelleguntur pluries dicta, praesertim cum quaedam ex his sint dicta obvia, alia autem solum remotam habeant similitudinem. In aliis sensus quidem est fere idem, sed verba non leviter differunt, v. g. 10, 21 et 10, 35, in quo ultimo loco habetur allegatio ex Mich 7, 6. Quomodo hoc in numero duplicium dictorum poni possit, non apparet. Mt 19,30 et 20, 16 « Multi erunt primi novissimi et novissimi primi » est idem quidem dictum, sed legitur initio et in fine eiusdem parabolae et inepte inter duplicia computatur.

Ceterum est omnino probabile Dominum occasione data simile dictum repetiisse. Quod S. Paulus in suis epistulis fecit, quod alii permulti faciunt, Christus quoque facere potuit. Neque id mirum, si legimus inimicos

Domini eum pluries blasphemasse, cf Mt 9, 34 et 12, 24, aut bis signum petiisse et Dominum simili modo respondisse, 12, 38s et 16, 1. 4, cf 1 C 1, 22. Deinde secundum Wernle et alios Mt ipse pluries verba Christi repetiit, quin a duobus fontibus dependeat. Hoc autem admisso reduplicatio sola nondum probat dependentiam ex variis fontibus.

Denique supposita repetitione eiusdem dicti nondum probatur Matthaeum non esse auctorem Evangelii vel Ev compilatum esse ex pluribus aliis scriptis. Cum enim constet Matthaeum sermones Christi aliquomodo *composuisse* neque semper tenere ordinem chronologicum, non est cur non potuerit idem effatum Christi apto loco repetere. Neque quidquam habetur incommodi in suppositione Matthaeum, qui viginti fere annis post Domini mortem scripsit, ex traditione orali sive scripta quaedam in suum Ev recepisse, in quibus fortasse eadem dicta sub diverso respectu collecta et ordinata erant, dummodo recte tradita erant.

e) *Linguae* rationem et indolem si respicimus, constat inter utrumque Ev satis magnam affinitatem intercedere et Matthaeum plerumque elocutionem planiorem, magis graecam habere quam Marcum. Sed omnibus perpensis minime verum est Matthaeum in omnibus praecellere prae Marco, et suppositio dependentiae a Marco haud satisfacit omni ex parte factis, cf *WCAllen*, Mt XIX-XL, *Hawkins*, 3-10. 26-53, *Lagrange* in Mt Mt LXXVIII-XCVII, *Knabenbauer* in Mt^3 46-49. Notamus autem hanc quaestionem non immediate tangere Ev primitus a Matthaeo conscriptum, sed versionem eius graecam ; et si qua retractatio textus admitti potest, quoad *linguam* primario admittenda erit. Atque non pauci ex catholicis interpretibus statuunt dependentiam Matthaei graeci a Marco, quae nullo modo ut improbabilis reprobanda est. Matthaei quidem interpres utpote linguae graecae gnarus non egebat tali subsidio, neque propter defectum notitiae linguae graecae supponitur id fecisse, sed quia Marci liber eo tempore iam vulgatum erat. Omnes autem qui omnimodam dependentiam litterariam Matthaei a Marco propugnant, eo ipso influxum linguae quoque statuunt. Ergo non est, cur hanc hypothesim quoad interpretationem reiciant. Ex recentioribus huic sententiae accedunt *ThZahn*, *Belser*, *Cladder*, alii.

f) Tandem fuerunt qui comparata *copiosa* materia primi Evangelii cum *exigua* secundi affirmarent, incredibile esse Marcum similem Lazaro pauperi micas paucas collegisse, quae ex mensa ditissimi Matthaei ceciderint. At hoc argumentum speciosius est quam verius. Evangelistae enim nostri comparandi sunt rectius artificibus, qui suum quisque opus pro suo consilio et fine concipiunt et perficiunt. Alter quidem ideam grandem et sublimem excogitat, quam studiose opere exsequitur, ad maiora et copiosa potius attendens quam ad minuta et singula, cum semper finem prae oculis habeat. Alter alium finem prosequitur, quem alii ipsi proposuerunt, quorum voluntati se accommodat. Huic fini respondent delineamenta magis modesta, domum potius exstructurus est, non magnum palatium. Sed perpulchre eam erigit, magno cum amore et studio singula curat et exornat. Atque in his sine dubio superat prae-

decessorem suum et delectat magis, similis pictoribus illis medii aevi, qui minutissima quaeque summa cum cura et amore exsequuntur atque perficiunt.

378. *De relatione inter Mt et L.* Quid sentiendum sit de relatione inter Mt et L quam maxime disputatur, neque inter doctos sententia aliqua proposita est, quae communior dici possit. Ab aliis enim omnis dependentia litteraria negatur, ab aliis non minus fortiter affirmatur, ab aliis fons communis statuitur, ab aliis Mt aramaicus, ab aliis graecus, ab aliis uterque tamquam fons Lucae admittitur. Hypothesis duorum fontium negat immediatam dependentiam Lucae a Matthaeo, sed statuit communem illum fontem Q.

1. Ad ostendendam relationem *immediatam* haec argumenta proferuntur. Summa convenientia in plurimis sermonibus utriusque Evangelii, v. g. in praedicatione Ioannis Baptistae, in testimonio Christi de Ioanne, in aliis permultis dictis Domini, quae apud Mt et L perfecte consonant. Accedunt materiae quaedam Lucae et Matthaeo propriae, e. g. centurio Mt 8, 5-13 ; L 7, 1-10. *Ordo* quoque in aliquibus idem est, sermo montanus eodem fere loco traditur. Ex his plures statuerunt immediatam relationem dependentiae Lucae a Mt, atque propter linguae et verborum affinitatem inter Lucam et Mt graecum, *Dausch*, *Harll*, *Cladder*, alii.

Hae rationes sane pondere non carent. At manent non pauca, quae in sententiam oppositam afferri possunt. Nam difficilius supponitur versio graeca Matthaei adeo mature facta, ut L ea uti potuerit in suo Evangelio scribendo. Vix enim credibile est graecam versionem c. a. 60 iam factam esse, maxime si modus loquendi apud Papiam attenditur.

2. Si vero ad singula accedimus, gravissima difficultas sita est in duobus primis capitibus utriusque Evangelii, quae adeo tum materia tum forma inter se differunt, ut vix intellegi possit, cur L non aliqua saltem ratione cum Matthaeo conveniat, cur narrationem de magis, quae ad eius finem optime facit, non receperit, cur ordinem Matthaei nullo modo secutus sit. Putant quidem qui dependentiam tenent, Lucam suam materiam ex fonte aliquo hausisse et integram eodem ordine transcripsisse nec quidquam mutasse aut addidisse. Sed si admittimus Lucam secutum Marcum, quod plerique adstruunt, manifestum est eum hoc fonte non ita usum esse, ut non ordinem identidem mutaret, alia omitteret, alia insereret. Quare hic maior difficultas et obscuritas latere videtur.

3. Praeterea certum est Lucam in materiis cum Matthaeo communibus habuisse alios fontes. e. g. in praedicatione Baptistae, de centurione, in aliis, nisi quis velit contendere Evangelistam multa proprio marte addidisse. Quare si alius fons admittendus est, qui similes materias praebuit, non est cur Matthaeum ipsum necessario inter fontes Lucae computemus.

4. Si vero Lucam cum Matthaeo et Marco componimus, in partibus, quae omnibus communes sunt, fere semper Marcus et secundum ordinem et secundum materiam Lucae dux est, non Matthaeus. Eadem ratione in iis,

quae Matthaeus praeter Marcum habet, Lucas fere numquam Matthaeum sequitur, sed breviorem Marci textum, e. g. Mt 3, 14s ; 12, 33s ; 14, 28ss ; 23, 3. 5. 8-12. 15-22 ; 26, 52ss. Proinde cum L tam presse Mr sequi soleat, quaeritur, quae fuerit causa, cur opus Matthaei, quod supponitur prae manibus habuisse et tamquam Ev apostoli novisse, non eadem ratione secutus sit.

5. *Compositio* tandem et ordo sermonum si perpenduntur, videntur dependentiam a Matthaeo excludere. Facile quidem intellegimus Lucam plura ex sermonibus Matthaei omisisse, sive quod magis Iudaeochristianis apta erant, sive quod sermones adeo prolixos noluit recipere. At multo difficilius statuitur Lucam sermones, quos apud Mt optime compositos invenit, saepius adeo discerpsisse, ut paucos quosdam versus hic illic posuerit in alio omnino contextu, cum alia introductione, cum determinatis adiunctis historicis. Proinde nobis videtur dicendum esse Lucam saltem easdem materias, quas cum Mathaeo habet, saepe ex alio fonte hausisse, et consequenter dependentiam litterariam a primo Evangelio non necessario postulari eamque solam esse imparem factis explicandis.

6. Ex his intellegitur, cur permulti devenerint ad fontem illum communem statuendum, quo et Mt et L usi sint. Sed quam primum talem librum, ex supposito graece scriptum, consideramus, maxima dubia oriuntur. Cur enim de exsistentia eius nihil nobis innotuit, cum non fuerit liber quicumque, sed collectio copiosa summae antiquitatis et auctoritatis, cum exstiterit lingua graeca, omnibus igitur pervia, et superstes eo tempore, quo secundum auctores recentes Evv secundum Mt et L scripta sunt, id est c. a. 80. Hunc autem librum fere immediate postea ita oblivioni traditum esse, ut nullum vestigium apud scriptores exeuntis saeculi primi aut ineuntis secundi remanserit, non est credibile. Ac proinde tota hypothesis magna interna improbabilitate laborat.

Deinde si ipsum opus accuratius definire conamur, dubia oriuntur, quid ipsi tribuamus, num omnia quae Mt et L praeter Mr tradunt, aut saltem ea quae utrique communia sunt. Quam primum autem discrepantiae inter Mt et L in eadem materia referenda perpendimus, aut dicendum est Evangelistas, Lucam potissimum, fonte suo liberrime et fere arbitrario modo usos esse, aut ad alios fontes praeterea recurrendum est nobis. Ex quo patet hypothesim hanc nullo modo esse tam probabilem, ut eius auctores asserunt. Quapropter non est, cur traditionem vetustam de origine et ordine Evangeliorum synopticorum deseramus.

7. Si autem quaeritur, qua ratione *positive* explicemus relationes inter Mt et L, haec tamquam probabilia statuimus. Iam antea diximus fortasse antequam primum nostrum Ev scriptum est, fuisse non solum traditionem oralem sed ex parte etiam scriptam, ex qua aliqua ab ipso Matthaeo recepta sunt, alia in reliqua Evv, quae Lucas commemorat, admissa. Aut praeterea ex Evangelio Matthaei quaedam, praecipue vero sermones in linguam graecam translata sunt, antequam totum Ev graece redditum est. Securius sane nobis videtur, non ex unica causa omnia explicara in materia tam intricata, cum ex testimonio Lucae compertum sit

ante eum iam multa exstitisse scripta, quae eandem materiam tractarent. Quodsi hodie nobis impossibile est omnia elucidare, tamen quae proposita sunt, videntur et cum factis componi posse et simul traditioni respondere. Opposita vero sententia (duorum fontium), prout defenditur a suis asseclis, pugnat aperte contra traditionem, nova statuit, quae nullo testimonio historico confirmantur et simul incommodis gravissimis laborat neque apta est veram solutionem afferre. Quare eam relinquendam esse censemus, atque inter ipsos auctores hypothesis sunt, qui fatentur agi potius de conatu, quam de vera solutione *(JWeiss)*, alii autem ex acatholicis totam hypothesim oppugnant *(ThZahn, AdHilgenfeld, FrDibelius)*.

JBelser, Zur Ev-Frage, ThQ 95 [1913] 323-376. *HJCladder*, Unsere Ev, 86-102. 140ss. *Lagrange*, Évangile selon S. Luc XLVIII-XCIV. *AKlostermann*, Das Mr-Ev nach seinem Quellenwerte für die evangel. Gesch., Gtt. 1867, 343-383. *PEwald*, Das Hauptproblem der Evangelienfrage, Lp. 1890. *ThZahn*, Einleitung II 324-336. *ABolliger*, Markus der Bearbeiter des Mt-Ev, Ba. 1902. *BHStreeter*, The four Gospels, A Study of Origins, Ld. 1924. *WLarfeld*, Die neutest. Evv nach ihrer Eigenart u. Abhängigkeit untersucht, Gü. 1925.

8. Evangeliis singulis melius et facilius cognoscendis inserviunt *Synopses*, quae easdem sectiones ita describunt, ut earum similitudines et differentiae facile agnosci possint. *JGehringer*, Synoptische Zusammenstellung des griech. Textes der 4 Evv, Tb. 1842; *ACamerlynck-HCoppieters*, Evangelior. sec. Mt Mr L Synopsis iuxta Vg², Brugis 1910; *ABrassac*, Nova Evangelior. Syn., P. 1913; *Lagrange-Lavergne* Synopsis evangelica, P. 1926.

Acatholici : JJGriesbach, Halle 1774; *Tischendorf*, Synopsis evangelica, Lp. 1851, ed. 7. 1898; *WGRushbrooke*, Synopticon, An Exposition of the common Matter of The Synoptic Gospels, Ld. 1880; *AWright*, A Synopsis of the Gospels in Greek², Ld. 1903; *RHeineke*, Synopse der drei ersten kanon. Evv, Gie. 1898; *AHuck*, Synopse der drei ersten Evv⁶, Tb. 1922; *WLarfeld*, Griechische Synopse der 4 neutest. Evv, Tb. 1911; *CCampbell*, The first three Gospels in Greek², Ld. 1919.

9. Vitam Christi secundum Evv ordinare conati sunt permulti et componere Evangeliorum *Harmoniam*, ex quibus primo nominandus est *Tatianus*. Eius Diatessaron mox in linguam latinam translatum est, praeterea innotuit versio nerlandica. Alia ratione ordinaverunt media aetate historiam Christi *Petrus Comestor*, *Gerson*, alii. Postea *BLamy*, Harmonia 4 Evangelistarum, P. 1707; *NGuérin* S. I., P. 1709; *ACalmet* O. S. B., Harmonia 4 Evangeliorum, P. 1710; *JHFriedlieb*, Evv in harmoniam redacta, Vratisl. 1840; *FXPatrizi* S. I., De Evangeliis II, Fr. 1852; *Fillion*, Synopsis evangelica, P. 1882; *JBLohmann*, S. I., Das Leben Jesu Christi, Pdb. 1885, ed. 4. 1906, latine *VCathrein* S. I.², Pdb. 1897; *HBeauclerc* S. I., Jesus, his life, Ld. 1896; *JVerdunoy*, L'Évangile, Synopse, P. 1897; *JEcker*, Evangelien-Harmonie u. Apg., Trier 1915; *MSales* O. P., La vita di Gesù, Torino 1915.

Acatholici : ThHeusser, Das Diatessaron-Ev, Gü. 1912; *EDBurton-EJGoodspeed*, A Harmony of the Synoptic Gospels, Ld. 1917.

CAPUT VI

DE AUCTORITATE HISTORICA EVANGELIORUM SYNOPTICORUM ET ACTUUM APOSTOLORUM

§ 33. Praenotanda de quaestione proposita

379. 1. Quaestionem historicae auctoritatis Evangeliorum synopticorum simul tractamus, quia in materia et modo scribendi inter se sunt maxime similia et ex altera parte quartum Ev propriam considerationem postulat. *Actus* Apostolorum simul consideramus, quia sunt eiusdem auctoris ac tertium Ev. Quare si de auctoritate alterius libri constat, de altero quoque fere constat. Modus autem, quo procedimus, est historicus, ita ut abstrahamus a facto inspirationis, ex quo aliunde credibilitas extra dubium ponitur.

Accedentes autem ad quaestionem nostram cernimus eam hodie ab aliis alio modo tractari et solvi. Si veteres aliquos, Celsum, Prophyrium, Iulianum, alios omittimus, qui magna ex parte negaverunt auctoritatem librorum evangelicorum, apud recentiores omnes fere sententiae, quae excogitari possunt, inveniuntur, a negatione ipsius exsistentiae historicae Christi usque ad affirmationem absolutae veritatis historicae.

2. *Fundamentum* omnis inquisitionis historicae in Evv destruere conati sunt qui Christum umquam exstitisse negant.

Primus hanc opinionem propugnavit *ChFrDupuis* (Origine de tous les cultes, 1796), quem mox secutus est *CFrVolney*, in Germania *BrBauer* (Christus u. die Caesaren, B. 1877), postea *JMRobertson*, *WBSmith*, *PJensen*, *AKalthoff*, *ADrews* (Die Christusmythe, Jena 1910 et alia; Das Mr-Ev als Zeugnis gegen die Geschichtlichkeit Jesu, Jena 1921), *EBurnouf*, *Hochart*, *ADLoman* (1881), *APierson* (1882), *GA. van den Bergh van Eysinga* (Die holl. radikale Kritik des NT, Jena 1912; Vorchristelijk Christendom, Zeist 1918), *PLCouchoud* (Le mystère de Jesus, P. 1924), *GBrandes* (*Die Jesus-Sage*, B. 1924).

Non opus est refutationi huius opinionis immorari, cum non possit sustineri sine negatione genuinitatis omnium librorum NT[1] et scriptorum saeculi primi exeuntis et secundi ineuntis. Si vel unica ex maioribus epistulis S. Pauli genuina est, in quibus de primis Christi Apostolis, de eius fratribus, de vita et statu, quaestionibus et controversiis Ecclesiae nascentis permulta et indubitata traduntur, omnes conatus negandi exsistentiam Christi tamquam absurdi ab omni sana scientia repudiabuntur. Proin de fundamento historico inquisitionis constat, et iam quaeritur, quid cum certitudine de Christo historico et primitiva Ecclesia ex Evv et A erui possit.

3. Qui deismum et rationalismum profitentur, secundum sua principia ea admittunt, quae naturaliter explicari possunt, alia tamquam ficta reiciunt. Unde quaedam ab aliis admittuntur, quae ab aliis repudiantur, ab aliis fundamentum aliquod historicum narrationum aut dictum primitivum admittitur, ab aliis hoc ipsum negatur. Plerumque confugiunt ad mythos aut fabulas, ad fidem Ecclesiae, quae paulatim facta Christi sub alia luce viderit, quae in Christum omnia undique conquisita congesserit, donec imago Messiae et Filii Dei absoluta sit. Varia autem ratione conantur positive hunc progressum demonstrare.

a) Aut enim repetunt narrationes evangelicas ex parte ex VT° dicentes Evangelistas aut Ecclesiam ipsam multa finxisse, ut demonstrarent impletionem vaticiniorum VT[1] in Christo, *Wellhausen*, *HJHoltzmann*, *Harnack*, *Jülicher*, *FrKFeigel* (Der Einfluss des Weissagungsbeweises u. anderer Motive auf die Leidensgesch., Tb. 1910), alii permulti.

b) Alii doctrinam Christi derivant ex traditione rabbinorum, sive concedentes Christum haec revera docuisse, sed ex doctoribus iudaicis mutuasse, sive asserentes Ecclesiam ipsam rabbinorum dicta mutata et adaptata ad Christum transtulisse. *FNork*, Rabbinische Quellen u. Parallelen zu neutest. Schriftstellen, 1839 ; *ESchreiber*, Die Prinzipien des Judentums verglichen mit denen des Christentums, 1877 ; *EFriedmann*, Jüdische Moral u. christl. Staat, 1894 ; *AWünsche*, Neue Beiträge zur Erläuterung der Evv aus Talmud u. Midrasch, Gtt. 1878 ; *RBultmann*, Die Geschichte der synopt. Tradition, Gtt. 1921.

c) Alii confugiunt ad influxum babylonicum, *Jensen*, *Winckler*, *Zimmern*, *Gunkel*, *Jeremias*, *Erbes*, *Meissner*, *Gressmann*, alii.

d) Multi hodie provocant ad syncretismum religiosum hellenisticum et orientalem, cui alii addunt scholarum philosophicarum, maxime Stoae auctoritatem, ita ut undique omnia conspiraverint ad religionem christianam efformandam. Inter asseclas huius sententiae, qui evolutionem sub diversis rationibus propugnant, sunt *Usener*, *Cumont*, *Vollers*, *Boll*, *Wendland*, *Harnack*, *Clemen*, *JWeiss*, *Bousset*, *Norden*, tandem omnes fere, qui supernaturalem indolem NT[1] negant. Speciatim ex *Buddhismo* derivant quaedam in Evv *Seydel*, *Pfleiderer*, *Steck*, *Edmunds*, *van den Bergh van Eysinga*.

e) De inquisitione *in efformationem* Evangelicae narrationis cf *Addenda*.

§ 34. De auctoritate librorum ex eorum auctoribus et fine

380. 1. Historicam indolem librorum eo affirmamus sensu, ut asseramus auctores referre facta historica eaque fideliter tradere. At non contendimus eos *historiam* Christi aut religionis christianae proponere, ut hodie ab historicis scribi solet. Neque enim Evangelistae vitam Iesu Christi nobis exhibent, quod ex eorum fine et ratione scribendi luculenter manifestatur. Nihil fere tradunt de quaestionibus historicis, de tempore; de chronologia perpauca, ita ut ex Synopticis fere impossibile sit vitam Christi ordinare. Omnes saepius res non chronologice sed secundum alias rationes componunt, plurima omittunt, neque ex omnibus simul sumptis vitam Domini conspicere licet. Nihilominus quae referuntur, fideliter narrantur. *Finis* enim *theologicus*, quem Mt manifeste, alii saltem implicite prosequuntur, non excludit fidelitatem historicam eorum, quae narrantur, sed eam necessario postulat. Messianitas et divinitas Christi sane non probatur, nisi factis et testimoniis historicis. Constat autem ex epistulis Paulinis et ex omnibus scriptoribus ecclesiasticis primi aevi nostros libros habitos esse passim ut documenta historica summae et indubitatae auctoritatis.

2. *Condiciones* deinde si considerantur, in quibus auctores scripserunt, et facta quae referunt iis postulant fidem.

a) *Auctores* enim eam habent cum factis relationem, ut tamquam testes fide digni aestimandi sint. *Matthaeus* ipse plurimis rebus interfuit, diu cum aliis apostolis ante ipsum vocatis versatus est, inter quos fuerunt discipuli Ioannis Baptistae. In Ecclesia primitiva mater Iesu quoque fuit. *Marcus*, filius Mariae, in cuius domo fideles et Apostoli conveniebant, ab initio Ecclesiae cum apostolis conversatus est, Petri discipulus fuit. *Lucas* vero fuit cum Marco, cum Sila, Philippo, per plures annos in Palaestina commoratus, antequam Ev suum scripsit, Pauli comes fuit. Ipse asserit se ab iis edoctum esse, qui ab initio ipsi viderunt et ministri verbi fuerunt, L 1,2s.

b) Deinde cum Evv scripta sint non longe post Christi mortem, cum manifeste supponant traditionem antea iam saltem in permultis stabilitam, non potest admitti influxus alienus, quo facta mutata et in alium sensum detorta sint. Praeterea retinendum est *Evv omnia* scripta esse Christianis, qui iam edocti erant fidem et instructi de Christi persona et opere. — Matthaeus scripsit inter Christianos primae aetatis et Ecclesiae primitivae, qui ab aliis apostolis primariis fidem acceperant, qui ex parte ipsi rebus gestis interfuerant. — Marcus scripsit, quae Romani a Petro

audierant. Unde ipse quoque coactus erat fideliter sequi magistri doctrinam. Et revera habet explicitum testimonium fidelitatis ex verbis Papiae-Ioannis. — Lucas vero cum provocet ad alia Evv antea scripta, non potuit ab iis recedere contraria et opposita scribendo. Porro testatur se accurate omnia perscrutatum esse. Si autem eius Ev cum Mt et Mr comparatur, elucet illud optime cum eis convenire.

c) Modus autem, quem Evangelistae in scribendo tenent, omnino confirmat fidelitatem in narrando. Est enim simplex et planus, auctores ipsi sinceros se exhibent, veritatis studiosos, non inanis gloriae aut commodi cupidos, defectus suos et apostolorum candide enarrantes.

3. Ea vero quae in Evangeliis narrantur, sunt *facta* plerumque publica, coram multis testibus acta, eaque facile percipi potuerunt neque indigebant difficilioribus inquisitionibus aut postulabant eruditionem scientificam. Quod de ipsis quoque *miraculis* valet, si facta ipsa respicimus, et de *sermonibus* Christi, qui a Synopticis referuntur. Nam modus, quo hi a Domino proponuntur, facilis erat et populo accommodatus.

Cum autem non omnia facta vitae Christi in Evv tradita fuerint publica, sed quaedam paucis aut Christo soli nota, quaeritur, unde Evangelistae eorum notitiam hauserint. De infantia Christi per matrem solam certa tradi poterant, cum S. Ioseph mortuus esse videatur, antequam Dominus vitam publicam ingressus est. Mater Iesu vero in omnibus Evv in vita publica pluries commemoratur et post ascensionem Christi cum discipulis Hierosolymis moratur, A 1,14. Et quoniam Lucas pluries notat, matrem meditatam esse et contulisse quae gesta erant (2,18s. 51, cf 2,33), aperte insinuat, unde ea hauserit, sive mediate sive immediate, quae de conceptione et nativitate Christi narrat.

De tentationibus et aliis videtur Christus ipse locutus esse. De oratione autem Domini nocturna in monte olivarum potuit constare aut quia Christus alta voce oravit, quod apud veteres usitatum erat (cf Hb 5, 7), aut fortasse Iesus ipse post resurrectionem discipulos edocuit.

In passione Christi quaedam gesta sunt, quibus apostoli quidem non interfuerunt. Sed per milites, centurionem, ministros sacerdotum, Ioseph ab Arimathaea, Nicodemum, alios qui fidem postea susceperunt, de omnibus apostoli certiores reddi poterant. Praeterea de iis, quae coram Pilato acta sunt, secundum morem Romanorum in tabulis publicis referendum erat. Flagellatio publica esse solebat, cf *ThMommsen.* Römisches Strafrecht, Lp. 1899, de tabulis publicis 512-520, de flagellatione 42 not. 1, 914 not. 3, 983ss, de crucis supplicio 918-921.

De his et sequentibus quaestionibus *L. de Grandmaison* S. I, Jésus-Christ, sa personne, son message, ses preuves, 1-2⁴, P. 1928.

§ 35. De fidelitate Evangelistarum in factis referendis

381. 1. Ut post argumenta generalia antea exposita positive ex ipsa librorum indole ostendamus eos esse omni fide dignos, ad singula quaedam descendimus, iam ad ipsa *facta* devenientes, postea ad *sermones*. Abstrahimus autem in sequentibus ab omni hypothesi mutuae relationis Evangeliorum synopticorum, neque admittimus sententiam eorum catholicorum, qui censent, a solutione quaestionis synopticae pendere veracitatem Evangeliorum, cf n. 371.

Supponimus autem, quod probatum est, Evv scripta ab auctoribus, quos traditio agnoscit. At ne hoc quidem supponere necessarium est, Matthaeum primo loco scripsisse et aramaice scripsisse. Etiamsi enim hypothesis duorum fontium alicui probabilis esse videretur, ea supposita potest argumentatio efficax adstrui; at nostra traditione admissa argumentis nostris vis accedit maior.

2. Materia Evangeliorum, persona Christi, eius indoles, modus agendi, capita principalia doctrinae ipsius, si summatim examinantur, ea sunt, ut moraliter impossibile fuerit Ecclesiae primitivae aut apostolis haec fingere. Etiamsi abstrahimus a quaestione, num aliquis homo summi ingenii et virtutis ex philosophia graeca, ex VT° et eius ideis de Deo et cultu Dei et praeceptis vitae moralis imaginem illam potuisset depingere, quam in Evangeliis cernimus, certissimum est scriptores evangelicos eosque, a quibus dependent, impares fuisse huic imagini inveniendae. Eorum enim facultatem et animum perspectum habemus ex iis quae ipsi de se testantur. Videmus Christum doctrinam praedicasse eorum exspectationi contrariam, eos Christi mentem clare manifestatam saepe nullo modo percepisse. Quis vero fuerit status religiosus in Palaestina apud ipsos doctores legis, quae ideae praevaluerint, minime ignoramus. Nequit ergo supponi apostolos ex conversatione cum legis doctoribus aut ex propria indole doctrinam suam excoluisse.

Accedit, quod omnes scriptores nostri easdem ideas religiosas et eandem doctrinam proponunt. Quia autem eas non ipsi invenerunt, sed ex traditione receperunt, iure concludimus haec iam universaliter fuisse agnita. Inde vero consequitur ea ab ipso auctore novae religionis profecta esse, cum Ecclesia recentissimae originis esset neque evolutio talis brevissimo tempore possibilis sit.

A doctoribus autem iudaicis illius temporis doctrina Evangelii non est

profecta, cum ipsi eam non habuerint. Pauca enim illa dicta rabbinica, quae similitudinem aliquam habere videntur cum verbis Christi, non possunt esse fons perfectae et sublimis doctrinae Christi, praesertim cum permulta ex illis melius examinata solum externam similitudinem prae se ferant. Totus vero modus concipiendi tantopere differt, ut appareat maxima oppositio, quam Evv quoque passim demonstrant. Ipsa autem pietas Christi et eius relatio ad Deum Patrem ea est, ut nemo umquam ausus sit talem fingere et homini attribuere ut propriam.

382. Quia vero recentiores multum tribuunt influxui Ecclesiae primitivae aut Pauli apostoli, pauca de his dicemus.

1. Certum est facta primaria vitae Christi tam nota fuisse, ut impossibile esset ea confingere ; quod potissimum valet de Christi Messianitate, de praecipuis capitibus doctrinae, de morte et resurrectione, de apostolorum electione et missione, de Petri praerogativis, de baptismo, eucharistia et similibus. Haec omnia irrito conatu evolutioni intra Ecclesiam adscribuntur.

Influxus vero VT[1] nullo modo fuit constitutivus in persona et vita Christi efformanda. Dominus ipse quidem provocavit saepe ad VT, S. Paulus, alii apostoli illud adhibent, at saepe argumenta ex prophetis non afferuntur, ubi a recentioribus vim exercuisse dicuntur. Multoties autem agitur in VT[o] allegando de sensu typico, immo aliquando de accommodatione, ita ut dicendum sit typum agnitum aut accommodationem natam esse ex facto, non factum excogitatum esse propter typum.

2. *S.Paulum* in doctrina NT[1] exponenda plurimum effecisse patet. At ipse saepe enuntiat se Ev suum non invenisse, sed ex revelatione didicisse. Praeterea fatetur se Ev suum contulisse cum Petro, postea denuo cum Petro, Ioanne, Iacobo, cf G 1, 18; 2, 1-9. Alibi enumerans capita praecipua doctrinae de Christi persona et opere provocat ad traditionem, quam accepit 1 C 15, 3. 11, et explicite asserit « sive ego sive illi, sic praedicamus, et sic credidistis ». Paulus proinde provocat ad suum cum aliis consensum. Neque aliter in epistula ad Romanos ; hos enim supponit idem Ev profiteri, quod ipse tradit, et tamen certum est Romanos Ev non a Paulo suscepisse.

Atque revera Paulus antequam itinera sua magna aggressus est, diu cum Barnaba et aliis ex Ecclesia hierosolymitana Antiochiae conversatus est. Primum iter cum Barnaba instituit, alterum cum Sila. In ecclesias Paulinas mox venerunt alii, qui partim auctoritatem Apostoli impugnabant. At illi non tam doctrinam Pauli quam eius personam petebant, quod ex epistulis ad Corinthios demonstratur, in quibus Paulus ipse insinuat non agi de altero Evangelio, cf 2 C 11, 4-10; 11, 16-12, 19.

In epistula ad Galatas agitur quidem quaestio gravissima de circumcisionis et legis necessitate. At ab adversariis redemptio per Christi mortem non negabatur, sed praeter fidem in Christum legis observatio postulabatur. Paulus vero ostendit cum morte et redemptione Christi necessitatem legis componi non posse. Idem dicendum est de controversia inter Paulum et Petrum, quae non versabatur de principiis, sed de applicatione eorum, G 2, 11ss.

Quod autem *Christologiam* Apostoli attinet, modus quo de Christi praeexsistentia loquitur, demonstrat Paulum hic quoque proponere doctrinam ab omnibus admissam. Quae enim scribit, saepe non traduntur, ut ex professo doctrina de Christo exponatur, sed potius occasione data ex hac doctrina deducuntur admonitiones, cf Ph 2, 5ss, aut incidenter pauca de Christi natura tanguntur, quae manifestant Paulum haec supponere nota, cf 2 C 4, 4s ; 5, 19 ; 8, 9 ; 13, 13.

3. Ex his sequitur influxum *Syncretismi* non posse admitti, cum facta praecipua illo non explicentur. Talis vero influxus, qui a recentioribus quibusdam statuitur, est historice prorsus impossibilis. Putant enim ideas varias omni fere ex parte, non studiose quidem conquisitas, sed passim sparsas in oriente invasisse Ecclesiam christianam, sine dubio hierosolymitanam, cum pleraque ex ipsa profecta esse certum sit. Ex his autem ideis optima quaeque ab erroribus et defectibus expurgata recepta esse et in unam doctrinam collecta. Quomodo vero hoc fieri potuerit, quomodo viri illi palaestinenses, qui quam maxime ab omnibus illis ideis abhorrebant, eas admiserint et religionem novam excogitaverint, nemo est qui capere possit. Sed etiamsi omni cum studio undique omnia conquisivissent et omnes vires intendissent, numquam hanc religionem excogitassent, quae omnium philosophorum doctrinam immense superat.

383. Positive autem demonstratur fidelitas auctorum evangelicorum inspectis eorum libris. In multis enim rebus particularibus apparet Evangelistas fide esse dignos.

Quod ostenditur et consideratis adiunctis historicis, geographicis, religiosis, et inspectis ipsis factis et modo ea narrandi. Si autem in his auctores agnoscendi sunt veraces, sequitur eos *universim* fidem mereri, etiamsi hoc forte in omnibus et singulis eadem ratione probari non potest. Neque in nostris autoribus diiudicandis alia principia applicabimus, atque apud alios scriptores historicos, in quibus vix unquam tot argumenta positiva afferuntur quot in nostris Evv. Agimus in sequentibus simul de Actis.

Si Evv inspicimus, apparet auctores terram palaestinensem, in qua vita

Christi agebatur, optime novisse. Cum autem fuerit provincia imperii romani parva, notitia rerum minimarum manifestat maximam fidelitatem. Lucas initio vitae publicae Christi describit statum politicum Palaestinae et Syriae (3, 1), parvas illas tetrarchias Ituraeae et Trachonitidis et Abilinae non omittit. Matthaeus commemorat Archelaum post mortem Herodis Iudaeam proprie dictam administrasse (2, 22) et eo ipso indicat in Galilaea alium regnasse. Alia legimus in Actis; 13, 7 de Sergio Paulo proconsule; 17, 6 et de politarchis Philippensium, 19, 31 de Asiarchis Ephesinis ; 28, 2. 4 de Melitensibus barbaris ; 28, 7 de Publio principe insulae.

Galilaea et regio ad mare Galilaeae, planities Gennesareth, Cana, Nazareth, Capharnaum, Bethsaida, Corozain, alia commemorantur, quae ostendunt minuta quaeque Evangelistis fuisse nota. Ad mare Galilaeae eo tempore fuisse multas urbes constat, piscatores nominantur, supponitur magna copia piscium, procellae subitaneae, quae vespere saepe in mari oriuntur, describuntur. In Iudaea praeter urbem Ierusalem legimus Bethaniam, Bethphage, montem Olivarum, ex quo Dominus templum et urbem contemplatur.

Deinde audimus Iudaeos eo tempore subiectos fuisse Romanis, ius gladii amisisse, procuratores resedisse Caesareae, diebus vero festis Ierusalem venisse. Milites romani in urbe supponuntur, cf A 21,31 ; 23,23ss ; 24,27; 25,1-7. Plura legimus de nummis, eorum inscriptionibus, Mt 10,29 ; 17, 24ss ; 22, 19 ; Mr 12, 42.

Optime vero describitur status *religiosus*, partes Pharisaeorum et Sadducaeorum, eorum et legis doctorum modus agendi, observatio legis, interpretatio legis, pietas et modus orandi, oppositio inter partes, Herodiani, cf Mt 5-6 ; 9, 11. 14 ; 12, 1 ; Mr 3, 6 ; Mt 17,24 ; L 18, 9-14 ; Mt 19, 3 ; 15, 1-7 ; 22, 15-34 ; 23, 15-31 ; 27, 6 ; Iudaei et Samaritani L 9, 52s ; cf J 4, 9. 20 ; 8,49. De appellatione imperatorum cf *HDieckmann*, ZkTh 43 [1919] 213-234.

384. Facta porro quae narrantur quam maxime commendantur tum modo narrandi tum in se.

Quam simplex modus sit, legenti patet; neque auctores ipsi linguae adiumentis utuntur, ut res narrandas magis efferant, etiamsi res in se sunt maxime sublimes, si referunt facta grandia, inaudita, quae manifestant summam benignitatem aut potentiam aut sapientiam aut odium et animum ingratum.Omnia enim ita describunt, ac si ipsis non afficerentur.

1.*Particularia* autem examinaturi ordimur ex Evangelio *S.Marci*. Mr enim in narrando modum tenet maxime primitivum. Non pauca habet, quae ab aliis non commemorantur, eaque testem immediatum produnt, qui res ita depingit, prout gestae sunt, ubi neque fictioni neque errori locus est. Exempla n. 347, 2.

Christus autem Dominus in Ev describitur, sicut is descripsisse censendus est, qui cum eo est conversatus, paulatim ad agnitionem Messianitatis et divinitatis adductus est, qui quae in Christo homine observavit, eo modo refert, quo primo animum perculerunt et memoriae se infixerunt. Mr 1, 43 legimus post sanationem leprosi : « Et comminatus est ei statimque eiecit illum ». 3, 5 « circumspiciens eos cum ira, contristatus super caecitate cordis eorum dicit » ; 3,34 « circumspiciens eos, qui in circuitu eius sedebant, ait ». 5, 30 « statim Iesus in semetipso cognoscens virtutem, quae exierat de illo, aiebat : quis tetigit ...dicebant ei discipuli sui : vides turbam comprimentem te, et dicis : quis me tetigit ? Et circumspiciebat videre eam, quae hoc fecerat. mulier vero timens et tremens... 5, 31ss, cf 5, 35s. 6, 5s « et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit : et mirabatur propter incredulitatem eorum », cf 7, 34 ; 8, 12 ; 8, 22-26 sanatio caeci ; 10, 14ss ; 10,21 « Iesus intuitus eum dilexit eum ». 10,23s « circumspiciens Iesus ait... quam difficile qui pecunias habent... at Iesus rursus respondens ait illis : filioli, quam difficile est, confidentes in pecuniis... » 10, 32 ; 11, 11 ; 12, 28 (cf Mt 22, 34) ; 12, 32ss.

Idem autem modus narrandi cernitur in *miraculis*, quod ex exemplis allatis et aliis apparet, ut certum sit ea ex eadem traditione descendere. Accedit quod haec miracula apud Mr quoque per totum Ev inveniuntur et essentialem eius partem constituant, ut neque ex eo evelli possint neque singula facta ita mutari, ut indoles miraculi eliminetur, quin aut Ev aut ipsa facta destruantur, cf Mr 1, 21-28. 29ss. 32ss. 40-44 ; 2, 12 ; 3, 10s ; 4, 35-41 ; 5, 1-20. 21-43 ; 6, 12. 14. 34-44. 48-51. 55s ; 7, 24-30. 31-37 ; 8, 1-9. 22-26 ; 9, 2-8. 14-29 ; 10, 46-52 et alia.

Miracula autem haec si cum illis comparantur, quae eo tempore passim circumferebantur, omni ex parte differunt. Quod a recentioribus criticis quoque conceditur. *MBrückner* enim fatetur pleraque miracula ex parte traditionis historicae non minus certa esse quam alia in Evv relata. Et concedit miraculis negatis deficere rationem sufficientem fidei in Christi Messianitatem (Theol. Jahresbericht 30 [1910] 267). Similiter *Jülicher* (Einleitung[6], 330) et *JWeiss* (Das älteste Ev, 190-195 ; Die Schriften des NT I[3], 122ss) de filia Iairi resuscitata. Plerique autem negant miracula a Marco tradita esse facta historica aut ea potuisse a Petro narrari, quia eorum natura veritatem historicam necessario excludat (*Jülicher*, l. c. 277. 326. 336). Eadem fere ratione *Wellhausen* (Einleitung in die drei ersten Evv[2], 45), alii. Paulo aliter recentissimi quidam, ut *RBultmann*, *Schütz*, miraculorum traditionem paulatim in ecclesia primitiva exortam esse volunt, ita ut quae mira apud Iudaeos sive paganos narrari et circumferri solebant, ab ecclesia quoque reciperentur et in narrationes evangelicas excrescerent, *Bultmann* (Die Gesch. der synopt. Tradition, 129-193). Qui modus explicandi multis arridere videtur, praesertim cum videant totam traditionem evangelicam ex Palaestina esse derivandam et eam esse antiquissimam. Sed patet explicationem esse insufficientem neque respondere

factis. Praeterea haec suppositio difficultate insolubili laborat. Si enim haec facta et miracula in ipsis ecclesiae initiis excogitata et conficta sunt, sub oculis et cooperantibus Apostolis et primis discipulis Iesu oriebantur, qui deinde iis propagandis opem contulissent, ergo mendacii auctores et fautores.

2. Postquam de Evangelio secundum Mr diximus, facile comparationem cum iis instituere licet, quae a Mt et L traduntur. Cum permulta a tribus Evangelistis narrentur, possibile est supposita narratione Marci et eius fidelitate de aliorum auctoritate iudicare. Iam patet *Lucam* plerumque in ratione scribendi proxime ad Mr accedere et proinde eadem gaudere veritate, etiamsi aliquando quaedam minus fuse tractet. *Matthaeum* vero in factis exponendis multo breviorem esse iam notavimus. At substantiam rerum apud ipsum quoque fideliter exhiberi certum est. Concedimus quidem Mt aliquando ita brevitati studere, ut abstrahendo a Marco aut Luca non possemus rerum gestarum cursum accurate ex Matthaeo solo describere, e. g. Mt 8, 5s ; 9, 18, si comparantur cum L 7, 1-6 aut Mr 5, 22s. 35s. Haec autem explicantur ex fine Matthaei, qui non curat singula sed factorum essentiam.

Lucas saepe in iisdem rebus narrandis quaedam addit aliorum narrationi v. g. 3, 16-30 (Nazareth) ; 8, 42 ; 9, 31ss (Moyses et Elias cum Christo loquentes de excessu in Ierusalem) ; 19, 37-44 (ingressus in Ierusalem et sors urbis). Quoniam vero constat Lucam alia multa propria habere, quae cum indole Evangelii sui et Marco et Matthaeo optime conveniunt et communiter ex fonte sincero descendere agnoscuntur, idem dicendum est de locis modo commemoratis. Si contra L 7, 11-17 (iuvenis resuscitatus) opponitur silentium Matthaei et Marci, hoc silentium non plus probat quam silentium de Zacchaeo aut aliis materiis Lucae propriis. Iuvenis autem resuscitationem non posse concipi ut gradationem miraculi in filia Iairi facti ex modo narrandi patet.

§ 36. De sermonibus Christi

385. 1. Ratio cur in veritatem et genuinitatem sermonum Christi peculiariter inquiramus, est specialis aliqua difficultas, quae in hac materia moveri potest. Notum est enim antiquos scriptores in tradendis sermonibus summa libertate usos esse et saepe integros sermones finxisse, atque in hac re artem suam demonstrasse. Quaeritur proinde, utrum idem de Evangeliis nostris affirmandum sit, an ostendi possit Evv aliter esse diiudicanda. Si vero probatur Evangelistas etiam quoad sermones Christi fidem postulare, quaeritur, quo gradu id ipsi postulent, et quid de sermonibus longiorisub, dicendum sit, cf Mt 5-7; 13; 24-25.

2. Quare in ipsos sermones inquirimis, ut demonstremus ipsos quoque genuinos esse. Sed aliqua praemittenda sunt. Non enim asserimus Evangelistas in omnibus effatis Christi allegandis semper ipsa verba referre, sed sensum potius exprimere, quod eo facilius exspectandum est, quia non locutiones aramaicas nobis tradunt, sed versionem graecam. Multum quidem disputatur, num in verbis quae aliquomodo apud singulos Evangelistas differunt, idem dictum agnoscendum sit, an aliud alia occasione a Domino enuntiatum. Posterius sine dubio saepius factum est. At ex diversitate locutionis sola hoc demonstrari non semper potest. Certum est enim verba eadem occasione et semel tantum prolata nihilominus non semper in Evangelistis congruere.

Exemplo sint verba Ioannis Baptistae (Mt 3, 11 ; Mr 1, 7 ; L 3, 22 ; J 1,27 ; A 13,25), quibus humilitatem suam erga Dominum manifestat. Haec a Mr, L, J, Paulo ita traduntur : « non sum dignus, ut *solvam* corrigiam calceamentorum eius (vel calceamenta pedum eius) ». Mt solus : « non sum dignus calceamenta *portare* ». Iam veteres inquisierunt, num Baptista utrumque dixerit, an idem dictum diversis verbis exhibeatur. *S. Augustinus* hanc quaestionem tractans asserit nihil interesse, quibus verbis Ioannes usus sit, cum sive unum sive alterum dixerit, eadem ratione Domini excellentiam et suam humilitatem manifestaverit. Quam solutionem alibi quoque applicat (De consensu Evangelistarum, n. 26-29. 66s. 71-77. 89s. 96ss. 120ss. 130s. 134s. 153, alibi). Mt 3, 17 vox de caelo : « hic est Filius meus... in quo ». Mr 1, 11 ; L 3, 22 : « tu es Filius meus... in te », cf J 1, 34. Mt 6, 9-13 et L 11, 2ss, oratio Dominica. Mt 21, 33-46 ; Mr 12, 1-12 ; L 20, 9-19 parabola agricolarum, in qua referenda Mt ab aliis eo potissimum differt, quod ipsis adversariis responsum adscribit (21, 41), Mr et L Domino (Mr 12, 9 ; L 20, 16). Magis etiam notandum, quod verba institutionis Eucharistiae non eodem modo exhibentur, cf Mt 26, 26ss ; Mr 14, 22ss ; L 22, 19s ; 1 C 11, 23ss. Titulus vero crucis, qui pauca continet verba apud omnes paulo aliter traditur, Mt 27, 37 ; Mr 15, 26 ; L 23, 38 ; J 19, 19. Ex his exemplis iure concludimus Evangelistas non anxie haec minima semper curasse. Quare nobis in fidelitatem sermonum inquirentibus haec facta consideranda sunt, ne ea ab auctoribus sacris postulemus, quae ipsi praestare noluerunt. Concedimus proinde admitti posse et debere aliquando leviores quasdam mutationes, quibus tamen sensus et intentio Domini non essentialiter alteretur.

386. 1. Agimus prius de indole sermonum Christi generatim. Legenti Evv nostra manifestum est sermones in eis traditos non esse diiucidandos eadem ratione, qua sermones ab historicis antiquis traditos. In Evv enim sermones ratione sui nobis proponuntur, cum ipsis quam maxime doctrina Christi contineatur.

Ex NT° autem scimus apostolos, maxime S. Paulum in quaestionibus tractandis ad Christi effata et mandata recurrisse et secundum ea solutiones

dedisse, cf 1 C 7, 10. 12. 25 ; 9, 14 ; 14, 36. Idem studium elucet ex Evv. Ecclesiae fundamentum erat fides in Christum, doctrina de parusia necessitas baptismi. Scimus, quanti momenti fuerit celebratio eucharistiae, praecepta moralia. Haec omnia autem supponebant effata Domini certa et ab omnibus agnita. In disputationibus porro cum adversariis praeter VT maxime verba Christi urgebantur.

Quoniam autem omnes discipuli ab initio diu simul Hierosolymis versabantur, facile erat Christi sermones authentice conservare. Fictioni vero non erat locus, ubi Petrus, Ioannes, Andreas, Iacobus, alii aderant.

2. Si deinde quaeritur, num possibile fuerit effata Domini memoria retinere, consideratis adiunctis historicis hoc fieri potuisse pro certo affirmamus. Scimus enim orientales praeditos esse memoria fideli et tenaci. Apud Iudaeos vigebat praeterea institutio in lege, quae memoriae tradebatur; traditionibus doctorum addiscendis et conservandis assueti erant. Etiamsi dicta quaedam rabbinorum tamquam exaggerata agnoscimus, de tali studio omnino constat. Boni discipuli erat, ut proverbium ferebat, ne guttam quidem amittere instar cisternae optimae. Dositheus rabbi discipulum, qui vel verbum magistri oblivioni traderet, mortis reum esse pronuntiavit. Non asserimus quidem Christi discipulos omnes rabbinorum scholas frequentasse, at eandem institutionem aliquomodo participabant, et inter auditores Domini semper fuisse doctores notum est, multos quoque ad fidem conversos esse legimus, A 6, 7 ; 15, 5.

387. 1. Doctrina Christi porro ea fuit, quae facile retineretur. Eius enim verba saepe doctrinae legisperitorum opponebantur, unde attentionem movebant, quaestiones et dubia provocabant. Quapropter saepius repetebantur, exponebantur, falsae interpretationes a magistro reiciebantur. Unde facilius se memoriae imprimebant. Multa dicta erant quasi fructus alicuius facti et cum eo facilius retinebantur, cf Mt 8, 10ss ; 9, 14-17 ; 12, 48ss, alia. Accedit quod Petro, Ioanni, Iacobo persona Christi tanti fuerit, ut illis sine dubio singula verba ex ore ipsius summae auctoritatis essent.

2. *Forma* autem verborum plerumque ea est, ut facile memoriae inhaererent. Sunt enim persaepe sententiae breves, dicta concreta, modo loquendi et cogitandi Iudaeorum accommodata, ex vita cotidiana et experientia populi hausta, comparationes, imagines continent usitatas, saepe per modum membrorum duorum enuntiata. Quae omnia multum iuvabant memoriam.

Deinde in lingua primitiva hae sententiae fere secundum rhythmum constructae erant, ut eo facilius retineri potuerint. Qui rhythmus in ipsa graeca versione non omnino interiit.

Longiores vero sententiae per oppositionem, negationem, repetitionem inter se coniunguntur, ut se excipiant et compleant et simul similitudine formae contra alterationem praemuniantur. Exempla ex omnibus sermonibus Domini proferri possunt, permulta in sermone montano leguntur.

Admonitio orationis instantis triplici gradu enuntiatur, Mt 7, 7-11. Primo legimus tres adhortationes, sequuntur totidem confirmationes, deinde duo exempla, tandem conclusio.

7,7 Αἰτεῖτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν·
ζητεῖτε, καὶ εὑρήσετε·
κρούετε, καὶ ἀνοιγήσεται ὑμῖν.
7,8 Πᾶς γὰρ ὁ αἰτῶν λαμβάνει,
καὶ ὁ ζητῶν εὑρίσκει,
καὶ τῷ κρούοντι ἀνοιγήσεται.
7,9 Ἢ τίς ἐστιν ἐξ ὑμῶν ἄνθρωπος, ὃν αἰτήσει ὁ υἱὸς αὐτοῦ ἄρτον,
μὴ λίθον ἐπιδώσει αὐτῷ;
7,10 ἢ καὶ ἰχθὺν αἰτήσει,
μὴ ὄφιν ἐπιδώσει αὐτῷ;
7,11 Εἰ οὖν ὑμεῖς πονηροὶ ὄντες
οἴδατε δόματα ἀγαθὰ διδόναι τοῖς τέκνοις ὑμῶν,
πόσῳ μᾶλλον ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς
δώσει ἀγαθὰ τοῖς αἰτοῦσιν αὐτόν;

Sufficit haec alta voce legisse, ut intellegatur, quam facile eiusmodi dicta percipiantur et memoriae inhaereant. Et cum singula inter se intime nectantur, nullo negotio menti imprimebantur.

Alio modo eadem sententia inculcatur perfecto parallelismo 7, 13s.

7,13 Εἰσέλθατε διὰ τῆς στενῆς πύλης·
ὅτι πλατεῖα ἡ πύλη καὶ εὐρύχωρος ἡ ὁδὸς ἡ ἀπάγουσα εἰς τὴν ἀπώλειαν,
καὶ πολλοί εἰσιν οἱ εἰσερχόμενοι δι' αὐτῆς.
7,14 Τί στενὴ ἡ πύλη καὶ τεθλιμμένη ἡ ὁδὸς ἡ ἀπάγουσα εἰς τὴν ζωήν,
καὶ ὀλίγοι εἰσίν οἱ εὑρίσκοντες αὐτήν.

Aliud exemplum est conclusio sermonis 7, 24s. 26s, de viro sapiente et stulto, quae duae strophae perfecta similitudine constructae sunt. Alia ratione initio sermonis Beatitudines eadem voce *beati* incipiunt, et eadem voce *quoniam* rationem exhibent, 5,3-10. Postea maior perfectio, quam Christus exigit, docetur per oppositionem, introducitur verbis « Audistis quia dictum est, dictum est », 5, 21. 27. 31. 33. 38. 43, quibus Christus opponit « Ego autem dico vobis », 5, 22. 28. 32. 34. 39. 44. Singula brevius aut fusius exponuntur, pluries autem figura repetitionis adhibetur : « omnis qui irascitur... reus erit.

Qui autem dixerit... reus erit », 5,22.

Specimen longioris compositionis habetur Mt 6,1-18, ubi agitur de iustitia propter Deum exercenda. Praemittitur admonitio, proponitur motivum. In tractatione singulorum eadem observatur compositio ter repetita, 6, 1 ; 6, 2-4 ; 6, 5-6 ; 6, 16-18. Singula exempla ita sunt ordinata, ut primo depingantur hypocritae, postea sequatur admonitio cum promissione retributionis. Ex hoc exemplo discimus, quomodo longiores partes per traditionem oralem fideliter transmitti potuerint. Si autem media

sectio inspicitur, invenitur pluribus partibus constare, 6, 5s ; 6, 7s de simplicitate orandi ; 6, 9-13 oratio dominica, specimen orationis, cui adiungitur 6, 14s condicio remissionis peccatorum. Similia observamus 5, 23-26. 29s de reconciliatione cum fratre, de oculo et manu scandali occasionibus.

3. In his et aliis exemplis quaeritur, quis huius compositionis auctor sit, Dominus aut Evangelista. Utrumque enim probabile est, cum hic modus docendi conveniat cum indole VT[1] et Iudaeorum posteriorum. Solebant sententias ordinare secundum internam relationem aut secundum idem verbum, aut secundum idearum inter se relationem, cf 5, 23s. 25s. 29s, et alia. Cum Lucas eadem verba pluries alia occasione afferat et aliquando nexu, qui optimus esse videtur, tamquam probabile admittitur Matthaeum ipsum aut traditionem pluries haec effata in suum redegisse ordinem, cf Mt 5, 25s et L 12 56-59. Sed quidquid ut probabilius statuitur, evidens est haec componendi principia multum conferre ad sermones memoriae infigendos.

Eadem ratio ordinandi verba Christi videtur supponenda esse Mt 10, 6-42 ; 18, 3-20 ; Mr 9, 37-50. Mr enim post 9, 37 adiungit duo effata, quae non videntur ea occasione dicta (de exorcista alieno et potu aquae), cum non agant de parvulis aut humilitate. Ratio autem compositionis est in eodem termino « in nomine meo (tuo) » 9,37, quem versum sequuntur alii duo eodem termino distincti, 38s. 41. Simili modo versus de scandalo ordinati esse videntur 42-47, et 48-50 de igne et sale. Ultimo tandem versu « Habete in vobis sal et pacem habete inter vos » (9,50) oratio redit ad initium et occasionem totius sermonis. Cum improbabile sit Dominum haec omnia eadem occasione docuisse, compositio potius Evangelistae vel ipsi traditioni orali tribuenda est. Patet autem hac ratione sensum verborum Christi nullo modo mutari, cum principium compositionis sensum non afficiat. Censemus autem hac fere ratione doctrinam Domini traditam esse et paulatim collectiones sermonum crevisse, similiter facta quoque similia inter se coniuncta esse. Hac vero via praeparabatur ipsorum Evangeliorum origo, cf *ThSoiron*. Die Logia Jesu. Mst. 1916.

388. Iudaeis et orientalibus omnibus frequentissimus est usus comparationum et imaginum in doctrina exponenda vel in ipsa vita cotidiana. Quam usitatae Domino parabolae fuerint, omnia Evv docent. Omni ex parte, ex vita cotidiana, ex natura, ex modo agendi hominum illustrat suam de regno Dei doctrinam.

Mt innumeras fere parabolas tradit, cf 5, 13. 14ss. 25s ; 6, 19s. 21s. 26-30 ; 7, 3ss. 6. 9ss. 13s.15-20. 24-27 ; 8, 20ss ; 9, 14-17 ; 11, 7s. 16-19. 28ss ; 12, 25-30. 33ss. 43ss ; 13 ; 15, 10s. 15-20 ; 16, 1-4. 5-12. 18s ; 17, 20. 25s ; 18, 2ss. 12ss. 25-35 ; 20, 1-16. 20-28 ; 21, 19-22. 28-32. 33-44 ; 22, 1-14. 23-28 ; 23, 13s. 24. 37 ; 24, 27s. 32s. 37ss. 45-51 ; 25, 1-13. 14-30. 32. 34-46 ; 26, 23. 61.

In iis quoque, quae S. Lucae propria sunt, permultae parabolae et locutiones similes habentur, cf L 4, 23 ; 6, 38 ; 7, 40-43 ; 9, 61s ; 10, 30-37 ; 11, 5-13 ; 12, 16-21. 35-40. 42-48. 49s ; 13, 6-9 ; 14, 7-11. 28ss. 31s ; 15,

3-7. 8ss. 11-32; 16, 1-18. 19-31; 17, 7-10; 18, 1-8. 9-14; 19, 11-27; 21, 34ss; 22, 35-38; 23, 31.

Complementi gratia similia ex quarto Ev addimus, J 2, 19ss; 3, 8. 14; 4, 10. 14. 32-38; 5, 35; 7, 37s; 8, 12. 35; 9, 4s; 10, 1-6. 7-16. 27ss; 11, 9s. 25s; 12, 24. 32; 14, 1ss; 15, 1-10; 16, 21; 21, 16-19.

Parabolae hae quam maxime inter se differunt, aliquando unica sententia tota parabola vel imago absolvitur, aliquando fuse cum rebus minutis parabolae exponuntur, ut quaeratur, num Dominus intenderit unam aliquam ideam illustrare an singula quaeque ad suam doctrinam applicare. Utrumque in parabolis Evangeliorum factum esse videmus. Christus ipse pluries parabolas suas exposuit, Mt 13, 18-23. 36-43. 49s, et in sua explicatione singula singulis applicavit. Aliquoties vero, potissimum apud Ioannem, parabolam et eius interpretationem ita coniunxit, ut fere ab initio manifestet, quo sermo tendat, similiter ut Ezechiel in suis sermonibus, cf Ez 15-17.

Secundum Mt 13, 10-15 (Mr 4, 10ss; L 8, 9s); Mr 4, 21-25 (L 8, 16ss). 33s parabolae obscurae sunt, et ex mente Evangelistarum a Christo ea intentione propositae sunt, ut audientes occaecarentur. Cum autem parabolae, comparationes ex natura sua inserviant veritati illustrandae, recentiores negant Evangelistas Domini mentem assecutos esse et contendunt totam parabolarum interpretationem a posterioribus esse excogitatam. Praeterea cum unicam tantum ideam singulis parabolis doceri asserant, multas genuinas esse negant et formam primitivam ex suis opinionibus restituere conantur (cf *Jülicher*, Die Gleichnisreden Jesu 1-2², Tb. 1910). Sed ex VT° et rabbinis constat omnes illos modos in Evangeliis traditos a Iudaeis fuisse adhibitos. Praeterea ineptum est, ad modum loquendi orientalium et vitae cotidianae applicare praecepta artis rhetoricae graecae. *LFonck* S. I., Die Parabeln des Herrn im Ev⁴, Innsbr. 1927; *RTrench*, Notes on the Parables of Our Lord, Ld. 1841; *PFiebig*, Altjüdische Gleichnisse u. die Gleichnisse Jesu, Tb. 1904; Die Gleichnisreden Jesu, Tb. 1912.

Parabolas autem ex natura sua facile traditione fideli conservari potuisse probatione non indiget. Neque Evangelistarum conceptio pugnat cum natura parabolarum. Nam etsi parabolae proponuntur ad res obscuriores illustrandas, nihilominus omnis locutio figurata semper aliquid obscuri habet, quod tum ex Evv ipsis comprobatur, tum ex historia interpretationis parabolarum, cf *Knabenbauer*, in Mt³ I 612ss.

389. Confirmationis gratia iuvat intrare in considerationem sermonum Christi, prout ab Evangelistis proponuntur, ut videamus eos penitus convenire tum populo, tum tempori et aliis adiunctis.

1. Quoniam *Mt* scripsit Ev suum inter eos, quibus Christus praedicavit, apud eum quam maxime colorem primitivum cernere licebit. Atque revera sermones a Matthaeo recepti manifestant passim condiciones historicas, religiosas, politicas eo tempore in Palaestina vigentes. Supponitur

missio exclusiva Christi ad suum populum, legimus quaestiones illas de legis observatione, de minutissimis praeceptis, videmus Dominum inter populum degentem, eius vitam participantem. Oppugnat falsas pharisaeorum ideas de regno Dei et cultu Dei, falsam exspectationem messianicam, Mt 5, 3-12. 17ss. 21-24. 27s. 31s. 33-39. 43-47 ; 6, 1-6. 16ss. 24-32 (de legis perfectione, de meliore iustitia, unica cura, fiducia in Deum); 7, 12. 15. 21ss. 24-27 (lex et prophetae, falsi prophetae, Domine, vir sapiens et stultus). Alia 10, 5. 17. 23ss (de ovibus domus Israel, synedria, synagogae, civitates Israel, magister, discipulus, Beelzebul); 11, 12-24 (Ioannes Baptista, Chorazain, Bethsaida, Capharnaum) ; 12, 1-8. 9-14 (discipuli spicas vellentes, curatio sabbato) ; 13, 3-8 (parabola seminantis, optime accommodata condicionibus agrorum) ; 15, 1-20 (mandata Dei et hominum) ; 22, 15-36 (de censu, magno mandato, resurrectione, filio David) ; 23 (contra pharisaeos et legis doctores) ; 24, 15-25. 32-36 (de parusia).

Permulta ex his Christi verbis adeo conveniunt cum historia, ut indolem veritatis et genuinitatis prae se ferant. Optime enim describunt mentem Iudaeorum, eorum ideas religiosas, traditiones, quibus opponitur Christi doctrina tam simplex et sublimis, ut haec neque ab Ecclesia neque ab Evangelistis tam sincere excogitari potuerit. Ex modo autem quo dicta Domini saepe in disputationibus quasi sponte oriuntur, consequitur ea quoad formam quoque fidelissime esse tradita.

2. Sermones *secundi Evangelii* fere omnes apud Mt leguntur, excepta una parabola sementis increscentis et fructificantis, Mr 4, 26-29. In omnibus vero habetur perfecta convenientia cum Mt, quae autem Marci propria sunt, ut parabola modo notata, eiusdem sunt indolis ac reliquae, quae ut genuinae habentur.

3. *S. Lucas* in suo Ev permulta cum Mt communia tradit. In pluribus in ipsis verbis cum Mt congruit. Sed non raro plurima omittit. Alibi verba mutavit, aut quia minus curat formam semiticam, ut 6, 47ss, neque adeo servat membrorum parallelismum. Aut verba ita mutat, ut sensus quidem maneat, sed quaestio esse possit, num idem effatum referatur an aliud alia occasione prolatum. Ita beatitudines apud L habent sensum magis universalem, quia aliqua omittit, aut in parabola panni rudis et vestimenti veteris (Mt 9, 16 ; L 5, 36) comparationem paulo aliter instituit sensu et idea principali retentis.

De iis quae Lucas propria tradit, iudicandum est ex affirmatione auctoris (L 1, 3s), ex comparatione cum Mt et Mr et ex indole sermonum et parabolarum ipsarum. His autem criteriis admissis et applicatis videmus omnia a Luca tradita optime convenire cum vera et genuina doctrina Christi. Permulta autem positive comprobantur eo, quod speciem maxime primitivam prae se ferunt, v. g. L 3, 10-14 (populus, publicani, milites) ; 9, 61s (qui manum mittit ad aratrum) ; 10, 29-37 (Samaritanus) ; 10, 41s (Maria, Martha) ; 11, 5-8 (amicus noctu petens panes) ; 11, 27s (Matris beatificatio) ; 12, 13-21 (dives stultus) ; 12, 47-56 (servus, ignis,

baptisma, separatio, signa) ; 13, 1-9 (necessitas paenitentiae, ficus infructuosa) ; 13, 32s (Herodes) ; 14, 7-14 (primi accubitus, pauperes vocandi) ; 14, 28-35 (turris, rex); 15, 1-33 (de ove perdita, drachma, filio prodigo); 16, 1-13 (de villico iniquo); 16, 19-31 (de Lazaro) ; 17, 7-10 (de servo laborante) ; 17, 20s (regnum Dei intra vos) ; 18, 1-8 (de iudice iniquo); 18, 9-14 (de pharisaeo et publicano). Iam cum tot argumentis et criteriis traditionem optimam Lucae demonstrare possimus, manifestum est eius Ev summa fide esse dignum.

Omnibus vero perpensis et collectis, quae de genuinitate tum factorum tum sermonum proposuimus, iure colligimus Evangeliis nostris fidem omnimodam esse adhibendam et auctorum veracitatem undique accipere suam confirmationem.

§ 37. De veritate Actuum Apostolorum

390. 1. Postquam de tertio Evangelio et eius fidelitate diximus, de altero eiusdem auctoris libro quoque constat, praesertim cum Lucas initio sui operis ad priorem librum provocet. Quare patet eum non minorem auctoritatem in postulare. Accedit, quod auctor permultis rebus, quas describit, ipse interfuit, alia ab iis discere potuit, qui partes primarias in rebus narratis habuerunt.

Insuper tota libri indoles est historica, finis est historicus. De pluribus factis historicis plenissime constat, v. g. de Agrippa rege et eius morte, de disputationibus de lege observanda, de Pauli conversione et itineribus, de Sergio Paulo proconsule, de Gallione, de Felice et Drusilla, de Festo procuratore, de Agrippa et Berenice. Alia antea tetigimus.

2. De *sermonibus*, qui in Actis leguntur, a recentioribus dubitatur, sintne genuini an a Luca conficti. De Gamaliele et Theuda (A 5,35-39), dictum est, n. 366, 3. Sermones vero Petri et Pauli inter se tantam similitudinem doctrinae et locutionis habent, ut aliqui negent eos ita fuisse habitos. Maxime *ENorden* impugnat genuinitatem sermonis a Paulo Athenis habiti, A 17, 22-31 (Agnostos Theos 1-140). Alii epistulas quoque in A descriptas falsatas esse contendunt, A 15, 23-29; 23, 25-30.

Non affirmamus sermones ita referri, ut auctor ipsa verba tradere in omnibus voluerit, sufficit ad genuinitatem adstruendam, ut sensus fideliter reddatur. Similitudo vero linguae ex parte eo explicatur, quod idem auctor hos sermones reddit secundum sensum potius quam secundum verba, deinde hi sermones ex parte non sunt habiti lingua graeca. Unde eo facilius in versione maiorem etiam similitudinem prae se ferunt. Si autem in factis et ideis aliqua

affinitas cernitur, nihil mirum, cum in similibus adiunctis similia suggerantur. Porro probabile est Lucam voluisse in suo libro ea magis efferre, quibus Petrus et Paulus inter se convenerint. Paulus ipse in suis epistulis pluries urget suum Ev non esse aliud ac Ev aliorum apostolorum, G 1, 18; 2, 2-10; 1 C 15, 3ss.11; 2 C 1, 19; 11;4 ss; E 2, 20; 3, 5.

Confirmatur autem sermonum genuinitas positive locutionibus quibusdam, quae apud Lucam in solis sermonibus occurrunt, v. g. εὐαγγέλιον A 15, 7; 20, 24, dum εὐαγγελίζομαι apud L frequenter legitur. μεθίστημι A 13, 22.26; L 16, 4; 1 C 13, 2; C 1,13. ἀγνοέω A 13,27; 17, 23; L 9, 45 (Mr 9, 32), apud Paulum saepius. ὑποστέλλω A 20, 20. 27; G 2, 12; περιποιέω A 20,28; 1 T 3,13; περιποίησις E 1, 14; 1 Th 5, 9; 2 Th 2,14; νουθετέω A 20, 31; R 15, 14; 1 C 4, 14; C 1, 28; 3, 16; 1 Th 5,12. 14; 2 T 3,15.

Contra fidelitatem historicam Actuum ab aliquibus opponitur auctorem in libro componendo secutum esse praecepta antiquorum, ideo multa diiudicanda esse potius ex praeceptis litterariis et artis quam ex fidelitate historica (*Norden*, *Preuschen*, alii).

Nescio an haec assertio probari possit. Sed ea supposita non sequitur auctorem non esse fide dignum. Nam etsi gesta coram synedrio, coram Gallione, Ephesi in amphitheatro, iter maritimum, naufragium, alia fortasse describuntur, ut lector delectetur varietate rerum narratarum, non sequitur ipsas res veritate destitutas esse. Ne ipsi critici quidem nostri conclusionem hanc admittunt. Postquam enim *Norden* ostendere aggressus est, Tacitum in opere suo, Germania, conscribendo secutum esse rationem et praecepta veterum in libris similibus componendis usitata, mox contra eos, qui inde concluserant libri auctoritatem historicam magnopere minui, summa cum constantia et confidentia propugnavit fidelitatem omnimodam auctoris et operis, nec quidquam suis rationibus veritati historicae detrahi asseveravit (Die germanische Urgeschichte in Tacitus' Germania², Lp. 1922, Xs). Quae si de romani historici opere vera sunt, non minus de nostro libro asserenda esse censemus.

AWickenhauser, Die Apostelgesch. u. ihr Geschichtswert, 69-87. 146-156. 369-394.

§ 38. De quaestionibus quibusdam circa auctoritatem Evangeliorum et Actuum

391. 1. Inter quaestiones de Evangeliorum fidelitate iam ab antiquis ea de genealogiis Cristi Mt 1, 1-17 et L 3, 23-38 tractata est.

Recentiores ex parte ipsam possibilitatem historicam genealogiae texendae negant. Provocant enim ad Iulium Africanum, qui narrat

genealogias Iudaeorum publicas ab Herode esse combustas *(Euseb.* HE I 7,12ss). Sed ipse rem non ut certam tradit; praeterea non est admittendum tum omnes genealogias domus David periisse. Si enim Iosephus et sacerdotes generatim suam genealogiam sollicite conservabant (c. Apion. 1, 7), id eo magis de familia David statuendum est, cui tantae promissiones factae erant, cf *Ioseph.* Vita 1, 1; Neh 7, 5.61-64 Ph 3,5; R 11,1 (Paulus de se ipso).

Iulius Africanus in sua ad Aristidem epistula differentiam genealogiarum Christi explicat ex more Iudaeorum, secundum quem familiis conservandis provisum erat ea ratione, ut viro sine liberis mortuo ipsius frater ex vidua defuncto prolem suscitaret (matrimonium leviratus), cf Mt 22, 23-28; Dt 25,5s. Quae explicatio ita a multis recepta est, ut Mt dicatur referre genealogiam Christi secundum naturalem, L secundum legalem filiationem. At notare iuvat Africanum suam solutionem proponere tamquam probabiliorem, εἰ καὶ ἀμάρτυρός ἐστιν, τῷ μὴ κρείττονα ἢ ἀληθεστέραν ἔχειν εἰπεῖν, *Euseb.* I 7, 15s. Praeterea ii qui hanc sequuntur opinionem, saepius falsis suppositionibus nituntur. Quare recentiores alias solutiones quaesierunt secuti aliquos ex antiquis. *Iustinus* enim videtur supponere a Luca exhiberi genealogiam B. Mariae Virginis (Dial. 100,3). Quae sententia a permultis recepta denuo a *PVogl* S. I. (Der Stammbaum Christi, Fr. 1907) et maxime a *MHeer* (Die Stammbäume Jesu nach Mt u. L, Fr. 1910) evoluta est. *UHolzmeister* autem hypothesim ita modificat, ut dicat agi de genealogia S. Ioseph, quod contextus omnino suadet, sed admittit adoptionem S. Ioseph in familiam B. Virginis et censet Lucam tradere genealogiam, quae competat Ioseph tamquam filio adoptivo, ut revera exhibeantur progenitores B. Mariae. Hac vero suppositione sententia magno liberatur incommodo, cum Lucas nullo modo insinuet se tradere generationes Mariae. Neque ignota erat adoptio in populo Israel. Quare sententia haec sine dubio sua gaudet probabilitate (ZkTh 47 [1923] 184-218).

Alii ex recentioribus cum in genealogia Matthaei videant plura esse cum artificio composita (tres series generationum, 14 generationes singulae, nomina quaedam omissa, numerus generationum multo minor quam apud Lucam), censent Matthaeum exhibere generationem legalem, Lucam naturalem, aut alia ratione ita ut Mt censeatur illos enumerasse, qui habebantur legitimi successores ipsorum regum et quibus ius regni convenerit, sive filii sive alio modo agnati regum fuerint. Quae sententia non carere probabilitate videtur, eam primo proposuit *Grotius*; cf *ADurand* S. I., L'enfance de Jésus-Christ, P. 1908, 198-208.

2. Altera quaestio, quae obscurior est, agitur de *censu* a Luca commemorato, 2, 1s. Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου.

Negant enim decretum universale describendi orbis ab Augusto unquam esse emissum. At verbis Lucae satisfacimus supponendo paulatim impe-

rium cum regnis subditis esse descriptum. De quo constat, cum Augustus rationarium vel breviarium sua manu scripserit, quo haec omnia continebantur (*Tacitus*, Annales 1,11, cf *Knabenbauer* in L² 107-118). Maioris ponderis esse videtur, quod contra censum a Cyrino actum opponitur. Cum enim Cyrinus legatus Syriae fuerit post Archelai depositionem a. 6/7 p. Chr., Lucam falli putant dicentem censum tempore Herodis habitum esse, et Lucam ipsum A 5, 37 insinuare, se unum tantum censum Cyrini novisse. Quod a Iosepho quoque confirmari volunt; cf Bell. iud. VII 8, 1 ; Ant. XVII 13, 5 ; XVIII 1, 1 ; 2, 1 ; XX 5, 2. Quod si certo ostendi posset, remanet interpretatio vocis πρώτη sensu comparativo, quo adhibetur a graecis (pro πρότερος), ut sensus sit descriptionem factam esse ante illam notissimam a Cyrino actam. Quam explicationem receperunt *Wieseler*, alii, recentissimo tempore *Lagrange* (in L 65s), *Sickenberger* (BZ 16 [1924] 215s).

Alii vero putant Lucam loqui de duplici censu Cyrini. Si enim Lucas A 5, 37 et Iosephus de censu a. 6/7 acto ita loquuntur, ac si unicus fuisset, conclusio non valet quia census ille habitus est, cum Iudaea in provinciam romanam redigeretur. Quare memoria huius census celebrior mansit, et intellegitur, cur eo tempore Iudaei rebellaverint. Ex pluribus autem monumentis videtur certum esse Cyrinum ante Christum in oriente versatum esse (Corp. Inscript. lat. III n. 6687. Inscriptio Q. Aemilii Pal. Secundi, qui Apameae sub Cyrino habuit censum ; Lapis Tiburtinus, referendus probabiliter ad Cyrinum (Mommsen) ; Inscriptio Antiochiae Pisidiae inventa, *Ramsay*, The Expos. Ser. 8, 4 [1912] 385-407. 481-507. Ex his certo constat priorem aliquam legationem Cyrini non posse demonstrari historice impossibilem.

Qui autem negant Herode regnante censum romanum in eius regno fuisse possibilem, non considerant Herodem in omnibus pependisse ab arbitrio Augusti, quod plurimis factis probatur. Insuper *Iosephus* narrat 6000 pharisaeorum recusasse iuramentum εὐνοήσειν Καίσαρι καὶ τοῖς βασιλέως πράγμασιν (Ant. XVII 2, 4), quod supponit factum simile censui. Census vero actos esse secundum mores regionum non est dubium, ut elucet ex edicto C. Vibii Maximi a. 104 p. Chr., secundum quod in Aegypto omnes qui quacunque de causa a pagis suis abierant, iubentur redire. Neque ulla ratione ostenditur hoc in sola Aegypto consuetudinis fuisse, cum respondeat moribus orientalium. Quod mulieres autem attinet, earum praedia in censu sub earum nomine descripta esse certum est (*Wilcken*, Archiv für Papyrusforschung 4,544 ; 5,265. Greek Papyri in The Brit. Mus. III 1907, n. 904, *Hontheim*, Kathol. 87,2 [1907] 32-44. 113ss. *Lagrange*, RB NS 8 [1911] 60-84. Omnia proinde, quae a *Schürer* congesta sunt (Gesch. des Volkes Israel I⁴ 508-543), vi probandi carent.

Alia minoris momenti, ut de Herodiade et Salome, de Anna et Caipha summis sacerdotibus, et similia relinquenda sunt interpretationi singulorum librorum, cf *HBoese* S. I., Die Glaubwürdigkeit unserer Evv, Fr. 1895, 106-135.

DISSERTATIO VIII

DE LIBRIS S. IOANNIS APOSTOLI

CAPUT I

DE EVANGELIO S. IOANNIS

§ 1. De S. Ioanne Apostolo

392. 1. S. Ioanni Apostolo a traditione plures libri adscribuntur, Evangelium, tres epistulae, Apocalypsis. Ecclesia autem ab antiquissimis temporibus Ioannis scripta, potissimum eius Ev maximi fecit. Sufficit allegasse Clementem Alexandrinum, Origenem, Augustinum, Chrysostomum. Atque ab Origene Ev dicitur ἀπαρχὴ τῶν εὐαγγελίων, quia continet τοὺς μείζονας καὶ τελειοτέρους περὶ τοῦ Ἰησοῦ λόγους (in J tom. 1, 4). Sed propter hanc ipsam rationem recentiores traditionem de Evangelii auctore et indole in dubium vocaverunt. Praeterea sunt qui negent eundem esse Evangelii et Apocalypsis auctorem. Quare inquirimus, quid ex fontibus certis et historicis de libris Ioannis nomine traditis statui possit.

2. Evv synoptica in catalogis Apostolorum tradunt fratres duos, qui ab initio a Christo vocati sunt et inter primarios eius discipulos numerantur, *Iacobum* et *Ioannem*. Nomen Ioannis autem est ex VT *Iehochanan* Esd 10, 6, Iochanan Neh 12, 22s, Iahve benignus est. Appellantur saepe filii *Zebedaei* (Zabdai, donatus), Mt 4, 21 ; 10, 2 ; 20, 20 ; 26, 37 ; 27, 56 ; Mr 1, 19s ; 3, 17 ; 10, 35 ; L 5, 10 ; J 21, 2. Mater nomen habet *Salome*, cf Mr 15, 40 ; 16, 1 et Mt 27, 56. Pater piscator erat, qui cum filiis et mercenariis piscationem exercebat et cum Andrea et Petro societatem inierat (Mr 1, 20 ; L 5, 10). Iacobus videtur fuisse natu maior, et plerumque

ante fratrem suum numeratur, Mt 4, 21 ; 10, 2 ; 17, 1 ; Mr 1, 19. 29 ; 3, 17 ; 5, 37 ; 9, 2 ; 10, 35. 41 ; 13, 3 ; 14, 33 ; L 5, 10 ; 6, 14 ; 9, 54 ; praeponitur Ioannes L 8, 51 ; 9, 28 ; A 1, 13. Ioannes videtur ante vocationem suam fuisse discipulus Ioannis Baptistae cum aliis Galilaeis, Andrea, Simone, Philippo. Et recte antiqui interpretes censent eum alterum fuisse discipulum Baptistae, qui hortante magistro primi secuti sunt Iesum, J 1, 25-40. Videtur comitatus esse Christum in itineribus sequentibus in Galilaeam, Ierusalem, in Samariam, Galilaeam. Ibi cum fratre et Andrea et Simone iterum aliquo tempore ad patrem et piscationem rediit, donec a Domino invitatus omnia reliquit, Mr 1, 19s. Marcus narrat Ioannem cum fratre accepisse nomen *Boanerges, filii tonitrui*, 3,17. Assumuntur in numero duodecim Apostolorum, et una cum Petro a Christo aliis praeferuntur, soli enim sunt testes resuscitationis filiae Iairi Mr 5, 37, transfigurationis 9, 2, agoniae Domini in monte Olivarum 14, 33. Cum Petro et Andrea interrogant Dominum separatim de tempore et signis adventus, Mr 13, 3s. Filiorum nomine Salome mater petit a Christo pro eis primos locos in regno, Mt 20, 20-28 ; Mr 10, 35-45. Ioannes (Mr 9, 38 ; L 9, 54) ostendit indiscretum zelum pro Domino. In Christi passione solus ex apostolorum numero cum Maria cruci adstat et fidelitatis praemium verbis Domini accipit J 19, 26s.

Cum Petro autem speciali aliqua familiaritate coniunctus est. Simul a Christo deputantur cenae parandae L 22, 8 ; simul pergunt ad sepulcrum J 20, 2-10 ; Petrus sollicitus est de futura Ioannis sorte 21, 20ss ; in Actis pluries simul agunt ; 3, 1-11, sanatio paralytici et coram synedrio, 4, 13. 19. In catalogo apostolorum A 1, 13 Ioannes post Petrum primum locum habet. Postea simul in Samariam mittuntur 8, 14. Iacobus ab Herode Agrippa c. 42-44 occiditur, Ioannes in concilio Apostolorum c. 49 a Paulo commemoratur inter columnas (G 2, 9) cum Petro et Iacobo fratre Domini, et eo tempore Pauli apostolatum inter gentes agnoscit. Quando vero Palaestinam reliquerit, non constat. Tempore belli iudaici aut paulo postea videtur in Asiam secessisse.

Propter verbum Dei et testimonium Iesu in Patmum insulam relegatus socius factus est fratrum suorum in tribulatione (Ap 1, 9) tempore persecutionis Domitiani, c. a. 90, ubi mysteria illa vidit, quae in Apocalypsi descripsit et Ecclesiae reliquit. Ephesum reversus est sub Nerva, grandaevus Traiano imperante (98-117) mortuus est. In Asia secundum antiquam traditionem libros suos scripsit ultimus omnium ss. auctorum NT[1].

§ 2. Sententiae de auctore quarti Evangelii

393. 1. Traditio, quae Ioannem Apostolum auctorem Evangelii et aliorum librorum habet, qui eius nomine feruntur, in tota antiqua Ecclesia recepta erat.

Excipiuntur pauci illi, qui versus finem saeculi secundi in Asia contra Montanistas pugnantes Ioannis scripta Cerintho tribuerunt, fortasse quia in iis Paracletus et prophetia tantopere laudantur. Romae *Caius* eodem tempore Ev Ioanni abiudicavit (cf *Hippolytus* apud *Dionysium Bar Salibi*, Commentarius in Ap A et epistulas catholicas, ed. *Sedlacek*, Corpus Scriptorum Orient., Syr. Script. Ser. secunda t. 101, P. 1910, 4, 4-15 ; *Zahn* NkZ 33 [1922] 405s). *Epiphanius* adversarios *Alogos* appellavit, cum Verbum (Λόγος) a Ioanne praedicatum respuerent et hac ratione se ipsi Verbo privarent (haer. 51, 3). *ABludau*, Die ersten Gegner der Iohannesschriften, BSt 22, 1-2, 1925.

2. Exeunte autem s. 18 *EdEvanson* ex recentioribus primus Evangelii genuinitatem oppugnavit (The Dissonance of the four generally received Evangelists, Ipswich 1792). Quem in Germania secuti *EFVogel* (Der Evangelist J. u. seine Ausleger vor dem jüngsten Gericht, Lp. 1802ss) et *CGBretschneider* (Probabilia de Evangelio et Epist. Ioannis Ap., Lp. 1820), *ELülzelberger* (Die kirchl. Trad. über den Apostel J. u. seine Schriften in ihrer Grundlosigkeit nachgew., Lp. 1840), qui auctorem Evangelii aut Iudaeochristianum alexandrinum aut ethnicochristianum fuisse voluerunt, aut Ioannem umquam in Asia fuisse negarunt. *DFrStrauss* in Ev vidit philosophiae alexandrinae documentum (Leben Jesu, Lp. 1864), *FChrBaur* nostrum Ev c. 170 compositum esse censet, ut Petrinos iudaizantes et Paulinos libertatem et universalitatem profitentes conciliaret (Kritik der evangel. Gesch. des Ioannes, Braunschweig 1840 et alia).

3. Posteriores et recentiores in eo fere conveniunt, quod Ev negant esse Apostoli Ioannis aut immediati discipuli Christi, quod asserunt illud non exhibere historiam vel facta historica, sed allegorias, mythos, symbola, et describere historiam Ecclesiae, non facta e vita Christi. Alii aliter rem concipiunt, sed in neganda genuinitate et auctoritate historica omnium una est sententia. His adnumerandi sunt *DSchenkel*, *EZeller*, *ASchwegler*, *ERenan*, *AHilgenfeld*, *AThoma*, *HJHollzmann*, *CWeizsäcker*, *AJülicher*, *IKreyenbühl* (Das Ev der Wahrheit 1-2, B. 1900-06), *JWellhausen*, *WHeitmüller*, *ESchwartz*, *ALoisy*, *JJones*, *BWBacon*, *WBauer* alii.

4. Alii ex criticis concedunt quaedam in Ev continere traditiones genuinas et ea a Ioanne Apostolo profecta esse, quod alii alio gradu admittunt, *Harnack* distinguit Ioannem Apostolum et Ioannem presbyterum, qui scripserit Ev secundum traditiones Apostoli. *HHWendt* sermones tribuit Apostolo, miracula posteriori ; *FSpitta* admittit Ev primitivum Apostoli postea interpolatum. Permulti hodie agnoscunt veras traditiones apostolicas in Ev, sed saepe negant eas distingui posse, cum sint mutatae et permixtae, ita *Herm. von Soden*, *EvonderGoltz*, alii.

Ex Evangelii adversariis multi unitatem libri negant conati retractationes varias in eo detegere, praeter *Spitta*, *Wellhausen*, *Schwartz*, alii fere omnes, qui genuinitatem Evangelii negant, cf *Lagrange*, RB 33 [1924] 321-342.

5. Genuinitatem quarti Evangelii ex acatholicis defendunt *Credner*, *Bleek*, *HEwald*, *Hengstenberg*, *Keil*, *Beyschlag*, *BWeiss*, *Riggenbach*, *ASchlatter*, *AHaussleiter*, *FrBarth*, *ThZahn*, *PFeine*, *WSanday*, alii.

6. Cui autem tribuant Ev plerique nesciunt, *Kreyenbühl* Menandrum Antiochenum habet auctorem, alii Alexandrinum, alii Asianum, alii Palaestinensem. Alii statuunt influxum philosophiae graecae, maxime alexandrinae, alii eum omnino negant *(Wellhausen)*, alii potius influxum religiosum supponunt, recentissime post inventos et editos textus Mandaeorum et Manichaeorum ex his Ev Ioannis explicatur. Latere mythum aliquem redemptionis. Animam in terra captivam doceri de sua origine et patria et reditu in patriam per legatum divinum, qui apparet indutus carne humana et redit in caelum vestitus gloria, cf *RBultmann*, ZNW 24 [1925] 100-146.

§ 3. Testimonia externa de Evangelio et eius auctore

1. *Testimonia de Evangelii exsistentia saeculo secundo*

394. 1. Demonstraturi veritatem traditionis de quarto Ev ita procedimus, ut primo exsistentiam Evangelii ostendamus, quin ad ipsum auctorem attendamus. Si enim Ev nostrum tam brevi tempore ubique agnitum est, manifesto eius auctor apud omnes summa gaudebat auctoritate. Afferemus tum auctores catholicos, tum haereticos, tum libros apocryphos.

2. *Acta Martyrum* saeculi 2 ad nos pervenerunt ex ecclesia *Lugdunensi* (a. 178), in quibus clara allusio legitur ad J 7, 38 (*Euseb.* HE V 1, 22). Velut verbum Domini allegatur J 16,2 (1,15), allusio praeterea ad J 10,15 vel potius ad 1 J 3, 16. Ex *Iustini* Actis notamus 4, 9 cf J 4, 23; 17, 3.

In *Actis Carpi* et sociorum eius (c. a. 160) certa est allusio ad J 4, 23 (n. 7), probabilis ad J 8, 56 (n. 39).

In martyrio *S. Polycarpi* (c. 155) 14, 2 habetur allusio ad J 5, 29; fortasse 14, 1 ad J 17, 3-6.

3. Ex scriptoribus ecclesiasticis testimonium exhibet Evangelio *Claudius Apollinaris*, episcopus hierapolit. c. 170, qui in fragmento de Paschate (Otto 9, 487) loquitur de percussione lateris Christi verbis, ex quibus certum est eum ex J 19, 34. 37 hausisse.

Athenagoras in sua pro Christianis Supplicatione 4, 2 dicit Deum omnia per Verbum suum fecisse; 10,2 Filius Dei est Verbum Patris, πρὸς αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ πάντα ἐγένετο, ἑνὸς ὄντος τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, cf J 1, 1ss; 14, 11; 16, 14; 17, 10.

Tatianus ad Graecos allegat J 1, 5 (13, 1); J 1, 3 (19, 4). In *Diatessaron* totum Ev assumpsit.

Iustinus M. nusquam quidem Ev adscribit Ioanni, sed Dial. 88,3 asserit apostolos Christi scripsisse de Spiritu descendente in eum post baptisma,

mox Ioannem introducit loquentem : « Non sum Christus, sed vox clamantis », quae verba apud solum J 1, 20. 23 leguntur (88, 7). Dial. 105, 1 Christus dicitur Patris Unigenitus, ex ipso Verbum, postea homo ex virgine factus, (« sicut ex memorabilibus didicimus »). Apol. 61, 4 Christi verbum affertur : « Nisi renascimini, non intrabitis in regnum caelorum », J 3, 3. 5. Dial. 123, 9 legimus θεοῦ τέκνα ἀληθινὰ καλούμεθα καὶ ἐσμέν, 1 J 3, 1s ; cf J 1, 12.

Irenaeus commemorat *Presbyterorum* traditionem, discipulorum apostolorum, qui triplicem habitationem iustorum distinxerint, et propter hoc dixisse Dominum, multas esse apud Patrem mansiones, V 36, 2. Quae verba sine dubio ex J 14, 2 desumpta sunt, licet interpretatio eorum minus respondeat ipsis Domini verbis et intentioni (cf *Corssen*, TuU 15, 109).

S. Polycarpus in epistula sua paucas habet allusiones ad Ev, 10, 1 « diligentes invicem », cf J 13, 34s ; 15, 12. 17 (sed cf R 13, 8) ; 12, 3 « ut fructus vester manifestus sit in omnibus », cf J 15, 16. Sed certo novit Polycarpus 1 J 4, 2s et 2 J 7 πᾶς γάρ, ὃς μὴ ὁμολογῇ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθέναι, ἀντίχριστός ἐστιν. Textus videtur ex utraque epistula esse conflatus. Ubi autem notitia epistularum est, Ev quoque notum erat.

S. Ignatius M. in epistulis suis nullibi quidem diserte Ev allegat, at passim locutiones Ioanneas adhibet, ut dubium esse non possit eum optime novisse Ev quartum. Neque enim haec ex traditione orali repeti possunt, nisi quis supponat Ignatium longo tempore Ioannis discipulum fuisse. Impossibile est autem Ignatium in itinere suo per Asiam ideas Ioanneas hausisse, ut eis tantopere imbutus appareat. Idem observamus in eo circa usum epistularum Paulinarum, quas certo novit, et nihilominus non ad litteram allegat, cf ad Ephes. 17, 2-18, 1.

Ad Phil. 7, 1 scribit τὸ πνεῦμα οἶδεν... πόθεν ἔρχεται καί που ὑπάγει, cf J 3, 8 ; Phil. 9, 1 cf J 10, 9 ; Phil. 2, 1 cf J 12, 36 ; Phil. 2, 2 cf J 10, 27 ; Rom. 7, 2 ὕδωρ ζῶν, cf J 4, 10 ; 7, 36 ; Rom. 7, 3 ἄρτον θεοῦ, cf J 6, 33 ; Rom. 7, 3 cf J 14, 6 ; Rom. 3, 3 cf J 15, 18 ; Rom. 6, 3 cf J 20, 28.

Ad Magn. 7, 1 ὥσπερ ὁ Κύριος ἄνευ τοῦ Πατρὸς οὐδὲν ἐποίησεν, ἡνωμένος ὤν, cf J 5, 19. 30 ; Magn. 7, 2 ἕνα Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν ἀφ' ἑνὸς Πατρὸς προελθόντα καὶ εἰς ἕνα ὄντα καὶ χωρήσαντα, cf J 16, 28 ; 17, 8. 11. 13. 22 ; Magn. 7, 1 cf J 10, 30 ; Magn. 8, 2 ὁ φανερώσας ἑαυτὸν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ὅς ἐστιν αὐτοῦ Λόγος ἀπὸ σιγῆς προελθών, ὃς κατὰ πάντα εὐαρέστησεν τῷ πέμψαντι αὐτόν. cf J 1, 1 ; 4, 34 ; 5, 37 ; 6, 38 ; 8, 29 (17, 6) ; cf *PDietze*, Die Briefe des Ignatius u. das Johannes-Ev, ThStKr 78 [1905] 563-603 ; *Ladeuze*, RB NS 4 [1907] 560s.

Ex *Barnabae* epistula allusiones quaedam colligi possunt. Barn. 6, 14 et J 1, 14a ; Barn. 5, 6s et J 5, 29 ; Barn. 5, 6 et J 1, 16 ; Barn. 12, 5ss et J 3, 14s ; Barn. 8, 5 et J 6, 51 ; Barn. 9, 7 et J 8, 56, Abraham praevidet Christum ; Barn. 18, 2 et J 16, 11 ; Barn 7, 9 et J 19, 37, Christus percussus ; Barn. 21, 6 et J 6, 44s.

Ex *Clemente Romano* notamus : 43, 6 εἰς τὸ δοξασθῆναι τὸ ὄνομα τοῦ

ἀληθινοῦ καὶ μόνου θεοῦ ; 59, 4 γνώτωσάν σε ἅπαντα τὰ ἔθνη, ὅτι σὺ εἶ ὁ θεὸς μόνος καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ παῖς σου, cf J 17, 3 ; 59, 3 εἰς τὸ γινώσκειν σε τὸν μόνον, ὕψιστον cf J 17, 3. Clem. 43, 6 et J 12, 28 ; Clem. 49, 6 et J 6, 51a ; Clem. 48, 4 et J 10, 9 ; Clem. 49, 1 et J 14, 15.

Doctrina Apostolorum allusiones aliquas exhibet, 9, 2s cf J 17, 3ss. 26 ; Did. 10, 5 cf J 17, 15. 19. 23 ; Did. 9, 4 cf J 11, 52 ; Did. 10, 2 cf J 1, 14a.

Quae ex Clemente et Didache afferri possunt, plerumque ex liturgicis orationibus desumpta sunt neque vim probandi strictam habent. At notare iuvat has ipsas orationes quoad linguam et ideas prae se ferre indolem Evangelii Ioannis.

Summi autem momenti est, quod Polycarpus et Ignatius certam notitiam Evangelii manifestant. Eorum enim testimonia ex primo decennio saeculi secundi sunt. Ev proinde statim post eius originem vulgatum fuit.

Confirmationis gratia commemoramus imagines resuscitationis Lazari in Capella graeca ad catacumbas S. Priscillae Romae, quae initio saeculi secundi adscribuntur et mulieris Samaritanae et Boni Pastoris in catacumbis Praetextati (*Wilpert*, Die Malereien der Katakomben, Fr. 1903, 43. 310s. 433s).

4. Ex libris *haereticis* et *apocryphis* saeculi secundi permulta testimonia Evangelii afferri possunt, cum Gnostici Evangelio quarto maxime usi sint. Eorum allegationes ex *Irenaeo* et *Hippolyto* potissimum colliguntur. *Basilides* gnosticus (c. 120-130) ex Ev J desumpsit suam doctrinam de Logo, cf *Iren.* I 24, 3ss ; *Hippolyt.* Philos. VII 22, 7. *Valentinus* (c. 135-160) diu Romae versatus plura ex J hausit, cf *Iren.* III 11, 7. Maxime autem eius discipuli Ioanne utuntur. *Heracleon* (160-170), primum scripsit commentarium in J, quem Origenes in sua interpretatione saepe allegat. *Ptolemaeus*, alius Valentini discipulus, Prologum exposuit, cf *Iren.* I 8, 5. In epistula ad *Floram* 1, 1 allegat J 1, 3 auctorem appellans « Apostolum ». *Theodotus*, Valentini discipulus, saepe affert testimonia ex J quae a Clemente Alex. notantur, cf *Zahn*, Forschungen 3, 125.

Neque alii ex sectis gnosticis ignorant quartum Ev. *Naasseni* illud norunt, Philos. V 8s ; *Peratae*, Philos. V, 3. *Iustinus* gnosticus, Philos. V 24-27 ; *Docetae*, Philos. VIII, 2 ; *Apelles*, Marcionis discipulus, Philos. VII 38. Tandem *Montanistae* testantur exsistentiam quarti Evangelii, cf *Iren.* III 11, 9.

Libri *apocryphi* supponunt Ev nostrum. Acta Ioannis nota *Clementi* Alex., cf *Zahn*, Forschungen 6, 194s. *Odae Solomonis* videntur ex Ev dependere, Ode 10, cf J 11, 52 ; Ode 36, Ode 41, cf J 1, 1ss ; 17, 5. 23. Ode 42 ; cf *Harnack*, TuU 35, 109ss.

Praecipue autem abundat testimoniis ex J *Epistula* quae dicitur *Apostolorum* (cf *CSchmidt*, TuU 43, Lp. 1919, *HDuensing*, Kleine Texte 152, 1925).

In textu aethiopico c. 2 Ioannes Apostolus enumeratur in catalogo Apostolorum secundo loco, et legimus : « Annuntiamus vobis de Domino, quomodo

eum audivimus et contrectavimus ». c. 3 » Credimus eum esse Verbum quod caro factum est. Ex Spiritu Sancto, non ex voluptate carnis, sed ex voluntate Dei natus ». c. 5 « Postea nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae, et vocatus est cum Matre sua et fratribus, et mutavit aquam in vinum ». Fides in Spiritum Sanctum Paracletum. c. 11 « Mitte manum tuam Petre in locum clavorum manuum mearum, et tu Thoma in latus meum ». c. 17 « Totus sum in Patre et Pater in me est, ego sum Verbum eius (perfectum) » c. 18 « Nunc autem do vobis mandatum novum, ut diligatis invicem, ut semper pax sit inter vos ». c. 28 « Et sic faciam eis qui per vos in me credunt ». c. 29 « Dixit nobis, magis autem beati erunt, qui me non vident, et tamen in me credunt ». c. 31 « Ego Verbum Patris et Pater in me est ». Et alia.

Quae testimonia si colligimus, manifestant nobis, qua auctoritate Ev mox postquam evulgatum est, apud omnes gavisum sit. Quod sane fieri non potuit, nisi de auctore constabat ; hic auctor tantum valebat, ut omnes libenti animo eius testimonium reciperent. Hoc autem eo solum explicatur, quod Ev credebatur profectum esse ex discipulo Christi. Qui autem eius nomen tradiderunt, unanimiter eum habent *Ioannem Apostolum Christi.*

2. *Testimonia de Ioanne auctore Evangelii*

395. Postquam attulimus testimonia auctorum, qui nomina omnium Evangelistarum nobis exibent (n. 335), eos solos allegamus, qui aut magis tractant ipsam quaestionem nostram, aut qui sunt saeculi secundi vel tertii ineuntis.

1. De *Origene* sufficit praeter antea allegata notasse eum in commentario in J permulta afferre ex *Heracleonis* interpretatione quarti Evangelii. *Clemens Alex.* eius magister de ordine Evangeliorum loquens de Ioanne haec tradit τὸν μέντοι Ἰωάννην ἔσχατον, συνιδόντα ὅτι τὰ σωματικὰ ἐν τοῖς εὐαγγελίοις δεδήλωται, προτραπέντα ὑπὸ τῶν γνωρίμων, πνεύματι θεοφορηθέντα πνευματικὸν ποιῆσαι εὐαγγέλιον (Euseb. HE VI 14, 7 ; EH 434.

Hippolytus Rom. contra *Caium* vindicavit genuinitatem quarti Evangelii, cf *Dionysii Bar Salibi* commentar. in Ap, ubi Caii assertiones commemorantur et Hippolyti apologia Evangelii et Apocalypsis opponitur (n. 393, 1).

Fragmentum *Muratorianum* haec habet : « Quartum Evangeliorum Iohannis ex discipulis ». Post allegata autem verba 1 J 1, 1-4 pergit : Sic « enim non solum visorem se et auditorem, sed et scriptorem omnium mirabilium Domini per ordinem profitetur » (9. 26-34).

Theophilus Antiochenus (c. 180) ad Autolycum 2, 22 scribit : « Haec nos docent scripturae sanctae καὶ πάντες οἱ πνευματοφόροι, ἐξ ὧν Ἰωάννης λέγει, sequitur J 1, 1.

2. Summi momenti est *S. Irenaei* de auctore Evangelii testimonium. Irenaeus permultis locis Ev adscribit Ioanni, quem appellare solet « discipulum Domini » III 1, 2 ; 3, 4 ; 11, 7-9.

In epistula ad *Florinum* presbyterum Romanum (*Euseb.* HE V 20, 5s, EH n. 96), qui Valentinianis favebat, provocat ad factum notorium suae cum Polycarpo conversationis, eius traditiones de Ioanne, et ad alios qui Dominum viderant, et quomodo commemoraverit verba eorum et quae de Domino audierat ab illis, ὡς παρὰ τῶν αὐτόπτων τῆς ζωῆς τοῦ λόγου παρειληφὼς ὁ Πολύκαρπος ἀπήγγελλεν. Affirmat se dicere posse locum, in quo sedere consueverit, processus eius et ingressus vitaeque totius formam et corporis speciem. Et quamvis eo tempore puer esset, se omnia optime memoria retinere. Neque potest in hac re falli aut fallere, cum ipsum Florinum alloquatur, eum commonefaciens se ipsum vidisse cum Polycarpo agentem. Si autem in hac epistula non explicitis verbis asserit Ioannem auctorem Evangelii, saltem habetur allusio in verbis allegatis de vitae verbo et doctrina Polycarpi consona scripturis. Neque enim de hoc agebatur, cum neque Florinus neque Valentiniani auctoritatem quarti Evangelii negarent.

Explicita vero Irenaei testimonia legimus III 1, 2 Ἔπειτα Ἰωάννης ὁ μαθητὴς τοῦ Κυρίου, ὁ καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ ἀναπεσών, καὶ αὐτὸς ἐξέδωκε τὸ Εὐαγγέλιον, ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας διατρίβων. Similiter appellat Ioannem Domini discipulum et eum habet Evangelii auctorem II 2, 2 ; 10, 6 ; 11, 7-9; 16, 5 ; 22, 2 ; V 18, 2 et saepius. Appellatio vero *Discipuli Domini* videtur fere usitata et sollemnis fuisse, cum toties apud Irenaeum recurrat, a Papia et Fragmento Muratoriano adhibeatur. Quare si *Mommsen* verba οἱ τοῦ Κυρίου μαθηταί de Ioanne et Aristione a Papia dicta (*Euseb.* HE III 39, 4) tamquam spuria reprobat, non attendit ad modum loquendi receptum saeculo secundo (ZNW 3 [1902] 156ss).

Cum Irenaeus tanta cum firmitate et constantia affirmet Ioannem fuisse Ephesi et usque ad Traiani tempora permansisse (II 22, 2 ; III 3, 4) et hanc assertionem confirmet protestatione se audivisse Polycarpum narrantem de sua cum Ioanne conversatione, in hoc falli non potest. Si quis provocat ad Irenaei verba se fuisse puerum, cum Polycarpum audiret, ipse asserit se optime haec retinuisse memoria. Ceterum locutio παῖς ἔτι ὤν, ad Florinum et ὃν καὶ ἡμεῖς ἑωράκαμεν ἐν τῇ πρώτῃ ἡμῶν ἡλικίᾳ (III 3, 4) potest significare aetatem usque ad 18-20 annos. Praeterea Irenaeus notat αἱ ἐκ παίδων μαθήσεις συναύξούσαι τῇ ψυχῇ ἑνοῦνται αὐτῇ (ad Florinum), neque ea quae de Ioannis commoratione Ephesina et Evangelii conscriptione traduntur ab Irenaeo, multum sagacitatis aut scientiae postulant. Quare censemus hoc solum testimonium sufficere ad vindicandam traditionem de quarto Evangelio.

3. *Papias* hierapolitanus ab Irenaeo appellatur ὁ Ἰωάννου μὲν ἀκουστής, Πολυκάρπου δὲ ἑταῖρος γεγονώς, ἀρχαῖος ἀνήρ, V 33, 4. Similem appellationem apud *Anastasium* Sinaitam legimus (Frag. 7 contemplat. anagog. in Hexaem.) et in scholio in Dionysium Areopag. de eccl. hierar. 7 (Fragm. Maxim. Conf.). Philippus Sidetes (cf *Funk*, fragm. 11) secundum frag-

mentum codicis Vaticani Alexandrini 14 haec ex Papia hausit : « Ev Ioannis manifestatum et datum est ecclesiis ab Ioanne adhuc in corpore constituto, sicut Papias nomine Hierapolitanus, discipulus Ioanni carus, in exotericis, id est in extremis quinque libris retulit. Descripsit vero Ev dictante Ioanne recte » (cf *Pitra* Analecta sacra II 160 ; *Funk*, Fragm. 13 ; *Corssen* TuU 15, 114). Fragmentum ab aliquibus reicitur, sed non videtur cum ratione sufficiente, cum facile intellegamus, cur Papias dixerit Ev quartum manifestatum esse a Ioanne adhuc in corpore constituto, quia ex Evangelii fine (21, 24s) aliud concludi posset. Quoniam autem Papias secundum *Eusebium* (III 39, 17) testimonia ex prima Ioannis epistula affert, certum est eum Ev novisse et agnovisse.

4. Scriptores *haeretici saeculi* secundi omnes asserunt aut supponunt Ev quartum scriptum esse ab Apostolo.

5. Haec vero series testium, qui omnes sunt saeculi secundi aut traditionem huius saeculi certam exhibent, argumentum est quam maxime efficax auctoritatis inconcussae Evangelii secundum Ioannem et eius auctoris. Si enim et Ev ipsum et traditio de eius auctore ab omnibus ubique recipitur fere immediate postquam editum est, et quamvis Ev ab aliis iam diu agnitis non leviter differat, hoc fieri non potuit, nisi omnibus constabat de veritate traditionis, quae Ioannem Apostolum auctorem esse docebat. Revera vix alius liber NT[1] tam brevi tempore tam universalem invenit agnitionem.

3. *Testimonia de Ioanne Apostolo et commoratione eius Ephesina*

396. 1. Quoniam Ioannes appellatur constanter *discipulus*, ut vidimus, aut *presbyter* (Papias), quaeritur, num antiqui hac locutione alium distinguant Ioannem *apostolum*, fratrem Iacobi, alium Ioannem *discipulum*, *presbyterum* et auctorem Evangelii.

Iuvat autem praemittere, sub aliquo respectu non tantum interesse, sitne Evangelista apostolus an alius discipulus Christi, dummodo est discipulus Domini. Hoc enim admisso, eius testimonium est eiusdem valoris historici, maxime si adstruimus auctorem Evangelii esse illum eundem, qui in Evangelio exhibetur intima cum Domino familiaritate coniunctus.

Inter veteres fuerunt, qui contenderent Ephesi duos fuisse Ioannes. *Dionysius* Alex. c. 255 scripsit epistulam ad Nepotem episcopum, in qua conatur argumentis internis et externis ostendere Ioannem auctorem Evangelii esse distinguendum ab auctore Apocalypsis. Non potest quidem ad traditionem provocare, cui haec distinctio est prorsus ignota, sed dicit duo Ephesi haberi sepulcra Ioannis, cf *Euseb.* HE VII 25, 1-27.

Alia ratione *Eusebius* distinctionem ex *Papia* probare conatur. Papias enim in prooemio operis sui, cui titulus Λογίων κυριακῶν ἐξηγήσεως, dicit se a presbyteris didicisse (παρὰ τῶν πρεσβυτέρων) et si advenisset aliquis, qui presbyteros secutus erat (εἰ δέ που καὶ παρηκολουθηκώς τις τοῖς πρεσβυτέροις ἔλθοι), se presbyterorum verba exquisivisse (ἀνέκρινον), τί Ἀνδρέας ἢ τί Πέτρος εἶπεν ἢ τί Φίλιππος ἢ τί Θωμᾶς ἢ Ἰάκωβος ἢ τί Ἰωάννης ἢ Ματθαῖος ἤ τις ἕτερος τῶν τοῦ Κυρίου μαθητῶν, ἅ τε Ἀριστίων καὶ ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης, τοῦ Κυρίου μαθηταὶ λέγουσιν, *Euseb.* HE III 39, 3s. Eusebius ex hoc loco concludit duos fuisse Ioannes, *apostolum*, qui cum aliis enumeretur, et ab eo distinctum *presbyterum*, qui ipse quoque Domini discipulus fuerit. Papiam negare se prioris Ioannis aut apostolorum fuisse discipulum, l. c. 39, 5ss. Ex modo loquendi Eusebii evidens est eum alias rationes distinguendi duos Ioannes non invenisse. Studiose enim eas quaesivit. Unde ipsi ex Papiae verbis interpretationem eius diiudicare possumus. Patet autem Eusebium non recte textum intellexisse. Primo enim clare ab initio Papias dicit, se didicisse παρὰ τῶν πρεσβυτέρων, sine dubio immediata conversatione, quod vox graeca manifestat. Deinde dicit se etiam discipulos presbyterorum interrogasse (εἰ δέ που καὶ παρηκολουθηκώς τις τοῖς πρεσβυτέροις), et hic enumerat nomina presbyterorum et eorum narrationes duplici ordine commemorat, quid aliquando dixerit (εἶπεν) Petrus, Andreas, et quid dicant (λέγουσιν). Temporum haec distinctio nihil aliud significare potest, nisi eo tempore, quo Papias suas inquisitiones instituebat, Aristionem et Ioannem adhuc inter vivos fuisse.

Traditio igitur hanc distinctionem non agnovit, quae invecta est a Dionysio et Eusebio et a paucis aliis recepta. Sed nemo ex his negavit Ioannem apostolum in Asia fuisse et Ev scripsisse. Solus Eusebius hoc loco haeret, utri Apocalypsim tribuat (39, 6). *STromp*, Mnemosyne 54 [1928] 279ss. Iohannes Presbyteros. Cf *Addenda*.

2. *Polycrates* Ephesiorum episcopus c. a 190 ad Victorem Romanum scribit, vir sexaginta quinque annorum, octavus episcopus familiae suae, ἔτι δὲ καὶ Ἰωάννης ὁ ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Κυρίου ἀναπεσών, ὃς ἐγενήθη ἱερεὺς τὸ πέταλον πεφορεκὼς καὶ μάρτυς καὶ διδάσκαλος· οὗτος ἐν Ἐφέσῳ κεκοίμηται, *Euseb.* HE V 24, 1-7 (EH 92ss).

3. *Iustinus M.* loquens de Apocalypsi dicit παρ' ἡμῖν ἀνήρ τις, ᾧ ὄνομα Ἰωάννης, εἷς τῶν ἀποστόλων τοῦ Χριστοῦ... προεφήτευσε, Dial. 81, 4. Cum autem Ap in Asia scripta sit, Iustinus testis est Ioannem ibi fuisse. Eius testimonium eo maioris est auctoritatis, cum c. a. 130 videatur Ephesi religionem christianam amplexus esse.

Acta Ioannis eandem traditionem supponunt.

1. Ex parte interpretationem Eusebii sequitur *Hieron.* distinguens apostolum et presbyterum, de vir. ill. 9.

4. *Irenaei* testimonia antea attulimus. Ex eis haec breviter complecti sufficit. III 1, 2 explicite asserit Ioannem in Asia commorantem Ev scripsisse. III 3, 4 Polycarpum dicit ab apostolis episcopum esse constitutum, Ioannem Ephesi cum Cerintho congressum. Sine dubio hoc loco Ioannem inter apostolos habet. Idem docet II 22, 5 seniores quosdam non solum Ioannem sed et « alios apostolos » vidisse. Quare si Ioannes appellari solet *discipulus Domini*, id non fit, ut distinguatur ab apostolo, sed quod diu superstes fuit. Irenaeus autem cum numquam Ioannem Domini discipulum ab alio distinguat, in suis fontibus aut ex traditione rationem distinctionis nullam invenit.

397. Contra hanc traditionem tot testimoniis certis confirmatam proferri solet a recentioribus *Papiae* effatum, secundum quod Ioannes Apostolus et eius frater Iacobus a Iudaeis occisus est. Ita *Philippus Sidetes*, saeculi 5 auctor, secundum excerpta codicis Barocciani 142 (*de Boor*, TuU 5,2. 170), *Georgius* Monachus, Hamartolos, in Chronico (auctor s. 9, Chronicum ex multis auctoribus excerptum, nondum critice editum). Textus apud *Funk*, Patres Apost. Fragm. 11-12. In *Martyriologio syriaco* anni 411 legitur ad diem 27 Decembris : « Ioannes et Iacobus Apostoli in Ierusalem ». Praeterea *Aphraates* (c. 345) in homilia de Persis (hom. 21. 23, Patrol. Syr. I 988) haec tradit : « Iacobus quoque et Ioannes magistri sui Christi vestigia secuti sunt. »

Ex his textibus concluserunt *ESchwartz*, *Wellhausen*, *Preuschen*, *Jülicher*, *Knopf*, alii, Ioannem apostolum a Iudaeis Hierosolymis ante urbis excidium occisum esse. Schwartz cum aliis in verbis Christi Mr 10,39 cernit vaticinium ex eventu: Martyrium duorum fratrum accidisse ante conscriptionem Evangelii secundum Mr. Schwartz et Preuschen censent Ioannem cum fratre suo ab Agrippa occisum esse c. 42/44. Quoniam autem Ioannes a Paulo certo post a. 44 una cum Petro et Iacobo minore inter columnas Ecclesias nominatur, putant hunc Ioannem esse illum Ioannem Marcum, de quo sermo est A 12,25 ; 13,5. 13 ; 15,37ss. Quam impossibile vero hoc sit, facile videt quicumque textus Actuum et Gal comparat, quomodo enim hic potest commemorari inter Ecclesiae *Columnas*. Preuschen quidem ut difficultatem hanc evitet, statuit ordinem perturbatum esse in Actis. Schwartz autem omissionem Ioannis in morte Iacobi referenda eo explicare conatur, quod posterior traditio Ioanni adscripserit Evangelii compositionem. Num ergo Actuum liber demum scriptus est, postquam in Ecclesia traditio de Evangelio quarto adeo praevaluit, ut iam propter eam necessarium fuerit Ioanni negare gloriam martyrii, qua per saeculum iam fruebatur ? Et si Ioannes ante a. 45 in Iudaea mortuus est, quomodo opinio orta est eum in Asia diu superstitem fuisse ? Neque minus inepte Schwartz textum fragm. 11,2 integrum ex Papia descendere putat : Παπίας ἐν τῷ δευτέρῳ λόγῳ λέγει, ὅτι Ἰωάννης ὁ θεολόγος καὶ Ἰάκωβος ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ ὑπὸ Ἰουδαίων ἀνῃρέθησαν. Quomodo Papias adduci potuerit Ioanni a. 44 a Iudaeis interempto tribuere appellationem *theologi*, nemo

est qui capere possit, cum ante s. 4 haec appellatio non occurrat et Ioanni evidenter propter Ev suum tributa sit. Quare hae ineptiae mittendae sunt.

Quid autem Papias scripserit, accurate definiri vix potest. *Lightfoot*, *Funk*, alii censent Papiam locutum esse de Ioanne Baptista. Quod confirmari videtur martyriologio Carthaginiensi, quod ultimam redactionem suam habuit mox post a. 505 et haec tradit : « Die 27 decembris sancti Ioannis Baptistae et Iacobi Apostoli, quem Herodes occidit ». Sed probabilius admittimus Papiam locutum esse de impletione vaticinii Christi Mr 10, 38ss, et Papiae textum esse corruptum. Fortasse sermo erat de martyrio duorum fratrum; sed martyres non ii soli erant, qui mortem revera subierant, sed illi quoque qui pro Christo quaecumque perpessi erant, immo qui publice coram iudice testimonium pro Christo reddiderant, cf A 23, 11 ; Mt 10, 17s. Ioannes ipse Ap 1, 2. 9 dicit se propter verbum Dei et martyrium Iesu in insula Patmo fuisse. Eodem sensu videtur *Polycrates* apostolum appellare martyrem. Accedit, quod *Georgius* loquens de Ioanne in confirmationem testimonii Papiae provocat ad Origenem et eius commentarium in Mt, ubi legimus ὁ δὲ Ῥωμαίων βασιλεύς, ὡς ἡ παράδοσις διδάσκει, κατεδίκασε τὸν Ἰωάννην μαρτυροῦντα διὰ τὸν τῆς ἀληθείας λόγον εἰς Πάτμον τὴν νῆσον, quod ex Ap 1,2 comprobat (in Mt tom. 16, MG 13, 1385A). Alia Origenes non narrat, neque Papias aliud dixisse videtur.

Eusebii autem silentium certum est argumentum Papiam nihil de morte Apostoli cruenta tradidisse. Eusebius enim si quidquam legisset apud Papiam de morte Ioanni a Iudaeis cum Iacobo inflicta, non tantopere laborasset in sua opinione de duobus discipulis eiusdem nominis demonstranda. Sed nihil. At ne *Irenaeus* quidem de martyrio loquitur. Quae vero ratio excogitari potuit martyrium apostoli reticendi, cum eo tempore martyrium in Ecclesia tanti fieret, quod ex Irenaeo ipso et ex Actis martyrum illius saeculi abunde probatur ? Neque enim opus erat negare Ioannis martyrium, ut haberi potuerit auctor Evangelii. Si vero Ioannes revera passus esset martyrium in Asia, nihil probaretur contra traditionem de Evangelio. Unde elucet, quam irrito conatu nostra traditio impugnetur.

Wellhausen, Mr ad 10, 39. *ESchwartz*, Ueber den Tod der Söhne Zebedaei, B. 1904 ; ZNW 11 [1910] 89-104. *Preuschen*, Die Apostelgesch. ad 12, 1s.

§ 4. Testimonium ipsius Evangelii

398. Traditioni, quae Ioannem apostolum auctorem quarti Ev habet, perfecte consonat ipsum Ev. Quoniam autem quaedam ex prima epistula Ioannis in confirmationem adduci possunt, eam simul consideramus, quod eo facilius licet, cum constet inter omnes Ev et primam epistulam esse eiusdem auctoris.

1. Evangelii auctor asserit se fuisse testem rerum in Ev traditarum aut provocat ad veritatem suae testificationis, J 1, 14 « vidimus gloriam eius », cf 1 J 1, 1ss « quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt ». J 19, 35 « et qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium eius, et ille scit, quia vera dicit, ut et vos credatis ». 21, 24 « hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his et scripsit haec : et scimus, quia verum est testimonium eius ». His verbis discipulus, qui antea nominatus est (21, 20-23), tamquam auctor et testis comprobatur.

2. Auctor 21, 7. 20 appellatur « discipulus quem diligebat Iesus ». Eadem appellatio antea occurrit 13, 23-26 ; 19, 26s. 35 ; 20, 2-10. Ex his locis apparet hunc discipulum fuisse inter eos, qui quam maxime cum Domino familiariter conversati sunt. Habet enim partem in omnibus, quae Christus cum paucis tantum communicavit. Invenitur in intima Domini societate et cum apostolis. Haec appellatio « discipuli Domini », qua Evangelista ipse se designat, videtur causa fuisse, cur traditio hoc nomen retinuerit, ut quasi sollemne factum sit. Notum quoque est, quoties Ioannes designetur ab antiquis secundum verba 13, 23ss, ubi primo appellatio occurrit ὁ μαθητής, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, ὁ καὶ ἀναπεσὼν ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Κυρίου, *Irenaeus*, *Polycrates*.

3. Discipulus autem hic est *Ioannes filius Zebedaei*, frater Iacobi. J 1, 35ss describitur vocatio primorum discipulorum. Ex omnibus autem, qui vocati esse referuntur, unius solius nomen non traditur. Est ille, qui cum Andrea primum vespere Dominum sequitur ; et ita loquitur, ut manifestum sit hunc esse Evangelistam. Quod ex modo narrationis et ex ipsis verbis confirmari videtur. Andreas enim dicitur πρῶτον invenisse τὸν ἀδελφὸν τὸν ἴδιον Σίμωνα, 1, 41. Haec verba cum aliqua emphasi dicta sunt, ut sensus sit, Andream primo suum ipsius fratrem invenisse, postea autem alterius fratrem. Habetur vero altera quoque lectio πρῶτος (non πρῶτον), quae exhibetur a codicibus SLWΓΔΛ, aliis non paucis uncialibus et minusculis, ab Epiphanio, Chrysost., Cyrill., syr^{l}. Quam lectionem praeferunt *Tischendorf*, *Zahn*, *Cladder*. Eaque supposita textus ita intellegendus esse videtur, ut Andreas invenerit « primus » suum fratrem, et alter ex duobus « postea » suum ipsius fratrem. Quomodocumque autem textus legitur, illud insinuari videtur utrumque ex his duobus habuisse fratrem, qui postea ad Christum adductus sit. Hos autem inter apostolos quaerendos esse totus modus narrandi ostendit. Si vero inter apostolos quaerimus eos, qui supponi possunt ita vocati esse, tantum fratres Andreas et Simon, Ioannes et Iacobus considerari possunt.

Deinde discipulus ille, quem Dominus diligebat, saepius invenitur in Ev habuisse relationem intimam cum Petro, 13,23-26 ; 20, 2-10 ; 21, 2-23. Iam si inter apostolos talem quaerimus, non est Andreas neque Iacobus, quem nulla traditio habet ut praedilectum et qui iam c. 44 mortuus est ; discipulus autem ille diu superstes fuit, ut crederetur non moriturus

esse 21, 22s. Ioannem et Petrum autem aliunde constat familiaritate coniunctos fuisse. L 22, 8 simul parant cenam ; A 1, 13 in catalogo occupant primos locos. Simul ingrediuntur templum A 3, 1ss. 11 ; 4, 13. 19. Simul mittuntur in Samariam 8, 14. Etiam secundum Paulum Petrus et Ioannes primariae sunt auctoritatis G 2, 9. In Ev nostro Petri saepius mentio specialis fit. J 1, 42 appellatio Kephas ; 6, 68s Petri confessio ; 13, 6-10 lotio pedum ; 13, 23. 36ss Petri interrogatio, negatio praedicta ; 18, 10 Petrus percutiens servum sacerdotis ; 18, 15ss. 25ss Petri introductio et negatio ; 20,2-10 ad sepulcrum ; 21, 3. 7. 11. 15-19. 21.

Ex his porro elucet discipulum illum describi quidem praedilectum a Domino, sed non ita ut Petri praerogativa in dubium vocentur. Ioannes ea potius agnoscit, effert ; cf 1, 42 ; 6, 68s, commemorat eius humilitatem 13, 6ss ; quomodo ad sepulcrum cucurrerit 20, 2ss, alter exspectaverit ; quomodo Petrus statim ad Dominum properaverit 21, 7 ; quomodo primatus collatus sit 21,15ss ; qua morte Petrus Deum glorificaturus sit 21, 19. Petrum vero Evangelista nullo modo depingit invidia aut aemulatione tactum, sed potius amicitiae causa interrogantem « Domine hic autem quid » 21, 21. His vero textibus reicitur illa recentiorum opinio, quartum Ev statuere aemulationem quandam inter Petrum et discipulum a Christo praedilectum, et illud scriptum esse ad reprimendam Petri eminentiam.

Ex J 21, 22s tandem comprobatur traditio Ioannem auctorem Evangelii pervenisse ad ultimam senectutem.

§ 5. De quarti Evangelii fine et destinatione

399. 1. Quem finem in Ev scribendo Ioannes prosecutus sit, ipse enuntiat scribens : « Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus (ὁ Χριστός) Filius Dei : et ut credentes, vitam habeatis in nomine eius » 20, 31.

His autem perfecte respondet prologus, in quo post expositam doctrinam de Verbo legimus : « et Verbum caro factum est et habitavit in nobis » 1, 14. Et Evangelista ipse se testem exhibet : « Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiae et veritatis ». *Vitam* autem in fide ipsius nobis donari, prologus quoque docet : « In ipso vita erat, et vita erat lux hominum » 1, 4, « quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius » 1, 12. « De plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia, gratia et veritas per Iesum Christum facta est, unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit » 1, 16ss. Quae verba sunt totidem confirmationes eorum, quae J in fine libri sui de consilio suo asserit.

2. Cur autem Ioannes adductus sit, hunc praestituere finem libro suo, ex eius epistula prima et traditione manifestatur.

a) In *epistula* Apostolus loquitur de antichristis, qui multi iam exstiterunt. « Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis » 2,18s. Mendaces sunt. « Quis est mendax, nisi is, qui negat quoniam Iesus est Christus » 2, 22. « Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est, et omnis spiritus, qui non confitetur (solvit) Iesum, ex Deo non est, et hic est Antichristus » (τὸ τοῦ Ἀντιχρίστου) 4, 2s. 15 ; 5, 1. 5. 13. Ex his assertionibus elucet Apostolum pugnare contra haereticos, qui ex ecclesia prodierant et separationem inter Iesum et Christum, id est Filium Dei inducebant. Ergo ex Ev et epistula agnoscitur Ev esse scriptum ad fideles contra falsos doctores praemuniendos.

b) Qui autem hi fuerint, traditio docet. *Irenaeus* enim III 11, 1 dicit : « Hanc fidem annuntians Iohannes Domini discipulus, volens per Evangelii annuntiationem auferre eum qui a Cerintho inseminatus erat hominibus errorem, et multo prius ab his qui dicuntur Nicolaitae, qui sunt vulsio eius quae falso cognominatur scientiae, ut confunderet eos, et suaderet quoniam unus Deus qui omnia fecit per Verbum suum, et non quemadmodum illi dicunt alterum quidem fabricatorem, alium autem Patrem Domini... omnia igitur circumscribere volens discipulus Domini et regulam veritatis constituere in Ecclesia, quia est unus Deus omnipotens, qui per Verbum suum omnia fecit, et visibilia et invisibilia, significans quoque, quoniam per Verbum, per quod Deus fecit conditionem, in hoc et salutem his qui in conditione sunt praestitit hominibus, sic inchoavit... »

Eodem loco Irenaeus asserit Cerinthum docuisse, alium esse fabricatoris (Demiurgi) filium, alterum vero de superioribus Christum, quem et impassibilem perseverasse, descendentem in Iesum filium fabricatoris et iterum revolasse in suum Pleroma. Et Initium (Ἀρχή) quidem esse Monogenem, Logon autem verum filium Unigeniti, et eam conditionem quae est secundum nos, non a primo Deo factam, sed a virtute aliqua valde deorsum subiecta et abscissa ab eorum communicatione quae sunt invisibilia et innominabilia[1].

Alio loco (I 26, 1) Irenaeus dicit Cerinthum in Asia cum Ioanne Ephesi fuisse (cf *Iren.* III 3, 4), praeterea docuisse demiurgum ignorasse primum Deum. Iesum non ex virgine natum, sed fuisse filium Ioseph et Mariae. Post baptismum descendisse in eum Christum a primo Deo figura columbae. Tunc eum annuntiasse Patrem incognitum, in fine Christum de Iesu iterum revolasse et Iesum solum passum esse et resurrexisse. *Hippolytus*

1. Verba Irenaei ab aliis aliter intelleguntur. *JKunze* (De historiae gnosticismi fontibus novae quaestiones criticae, Lp. 1894, 60s), *CSchmidt* (l. c. 405), *Bludau* (l. c. 134) censent Irenaeum aut omnino non loqui de Cerintho, sed de Valentinianis, aut solum affirmare, ex Ioannis Ev omnes gnosticos refutari posse. At Irenaeus aperte tradit Cerinthum fuisse aequalem Ioannis et cum eo Ephesi versatum esse. Et eius testimonium ita enuntiatur, ut difficulter applicari possit ad haereticos post Ioannem futuros, sive Valentinianos sive alios

similia tradit de Cerintho (Comm. in Ap, loco antea allegato ; Philos. 7, 33 ; 10, 21s), praeterea docet eum circumcisionem propugnasse et abstinentiam ciborum ; cf *Cladder* BZ 14 [1916] 317-332 ; *GBardy* RB 30 [1921] 343-373[1].

Iam si hac Cerinthi doctrina supposita Ev legimus, maxime in Prologo permulta intelleguntur scripta ad reprobandum errorem Corinthi. « Verbum erat in principio, apud Deum, omnia per ipsum facta, caro factum est, vidimus gloriam eius, Unigeniti a Patre, filius qui in sinu Patris, ipse enarravit ». Propterea per totum Ev tantopere effertur unitas et unio inter Patrem et Filium, Filii perfecta agnitio Patris, eius divinitas, visio et agnitio per prophetas, Abraham, Moysen, Isaiam, J 5, 45ss ; 8, 56ss ; 12, 41.

400. Nullo modo autem asserimus fine polemico intentionem Ioannis adaequate describi. Quamvis enim contra falsam Christologiam pugnet, positivum finem Apostolus sibi praestituit.

1. Ostendit enim, quomodo in Iesu Christo, Dei Filio, *vita* nobis donetur, si credimus in nomen eius. Hoc in Prologo 1, 4. 12. 16s. Deinde 3, 15s. 36 ; 4, 14. 46 ; 5, 24-40 ; 6, 27-68 ; 8, 12 ; 10, 10. 28 ; 11, 25 ; 12, 25. 50 ; 14, 6 ; 17, 2s ; 1 J 1, 1s ; 2, 25 ; 3, 14s ; 5, 11ss. 16. 20.

Quare Christus dicitur *Lux* 1, 4-7. 9 ; 3, 19 ; 8, 12 ; 9, 5 ; 12, 35s. 46 ; 1 J 1, 5. 7 ; 2, 8ss. Est *Veritas*, testimonium perhibet veritati 1, 14. 17s ; 8, 32. 40. 44ss ; 14, 6 ; 17, 17. 19 ; 18, 37s. Promittit *Spiritum veritatis* 14, 17 ; 15, 26 ; 16, 13. Christus auctor *gratiae* 1, 14. 16s.

Quibus autem mediis haec dona communicet cum hominibus, ostenditur 3, 3-21 ; 6, 22-65 ; 10, 14-17. Per haec confertur hominibus potestas *filios Dei fieri* 1, 12 ; 3, 3-8 ; 12, 52 ; 1 J 3, 1s. 9s ; 5, 2. Condicio vero est *fides* in nomine eius 1, 12 ; 20, 31 et passim per totum Ev.

2. His opponitur in Evangelio descriptio infidelitatis et pertinaciae ex parte Iudaeorum, quae ne apud Matthaeum quidem tantopere depingitur, neque semper inimicitiae adeo erumpunt ut apud Ioannem. At ne secundum Synopticos quidem populus intellegit doctrinam Christi, sed eum derelinquit et negat. Ex Ioanne vero apparet, quomodo duces

1. Quoniam *Epiphanius* Cerinthi doctrinam praeterea tamquam *iudaisticam* describit (haer. 28, 1-6), quaeritur, uter sequendus sit. Epiphanium duas narrationes inter se coniunxisse patet, cum et *Irenaeum (Hippolytum,* Philos. 7, 33) sequatur et alium fontem exscribat. Hippolytus qui in Philos. 7, 33 et 10, 21 cum Irenaeo convenit, alibi revera de iudaismo Cerinthi loquitur, et videtur Epiphanii fons fuisse ; cf Bar Salibi in Ap. *Ps-Tertullianus* (adv. omnes haereses 3) eadem atque Irenaeus et Hippolytus tradit. Sed postea loquens de *Ebione* illud Domini ex Mt 10, 24 allegat, quod ab Epiphanio Cerintho adscribitur, ut non possim non suspicari Epiphanium nescio quo errore aliqua Cerintho attribuisse, quae in eius fonte de Ebione dicta erant. Epiphanio haec saepius accidisse inter omnes constat, Irenaeum autem fidem mereri aeque certum est. Iudaistam habent Cerinthum *Lipsius, Belser, Wurm, CSchmidt* (TuU 43, 403-452), *Bardy, ABludau* (Die ersten Gegner der Johannesschriften, 61ss). Gnosticismus autem non necessario omnem Iudaismum excludit, ita ut utraque sententia saltem aliquomodo conciliari posse videatur.

populi ab initio Domino infensi sint et quo progressuri sint 2, 18-22. Evangelista autem monet Dominum non credulum fuisse et defectum sinceritatis et constantiae ab initio perspexisse 2, 23ss.

Apostolus vero haec in suo Evangelio ideo videtur descripsisse, quod ecclesiae Asiae magnopere odio Iudaeorum expositae erant, ut ex Apocalypsi et ex martyrio Polycarpi discimus. Igitur Domini verba, quibus suis pugnas et odium mundi praenuntiat (15, 18ss; 16, 1ss. 20ss. 33), quam aptissime referuntur.

Quapropter Apostolus ab initio Evangelii incredulitatem notat, exempla permulta proponit et causam tanti peccati indicat, 1, 5. 10s; 2,24; 3, 11s; 5, 37-47; 6, 66; 7, 48-52; 8, 13. 21. 47. 55; 9, 39ss; 10, 25ss; 12, 37-50; 15, 18-25; 16, 8-11, alia. Ex hoc defectu sincerae voluntatis intellegimus, cur Dominus saepius in Evangelio se exhibeat severiorem et arguentem illud studium proprii honoris et gloriae 5, 44, incredulitatem erga Moysen et Scripturam et ipsum Patrem 5, 37ss.

3. Sed ne Ioannes quidem solam severitatem Christi depingit, ostendit Dominum qui ipsos incredulos invitat 5, 40; 7, 37, et scintillam bonae voluntatis ubicunque eam invenit ad flammam excitat, cf 4, 7ss; 9, 35ss, aut patienter exspectat fructum 3, 3ss. Quomodo autem cum amicis agat, ex narratione de Lazaro resuscitato et ex modo agendi cum caeco sanato, Maria Magdalena elucet.

4. Quoniam Evangelista de rebus Iudaeorum, de Lege, Moyse, prophetis (cf 5, 39; 7, 19-23; 8, 17) ita loquitur, ac si haec ad eum minime spectarent, fuerunt qui negarent Evangelistam fuisse Israelitam et agnoscere VT tamquam revelationem divinam. At falso. Nam Christus non solum ad hominem argumentatur ex VT°, sed manifesto eius auctoritatem sollemniter agnoscit, dicit salutem ex Iudaeis venire 3, 10; 4, 22; 5, 47s; 8, 33-40. 56ss; 12, 38-41; 15,25; 19,24. 36s; 20,9. Ceterum similia observamus in epistulis S. Pauli. At verum est Iudaeos considerari a Ioanne tamquam reprobatos et inimicos infensissimos Christi et fidei.

5. Saepe in nostro Ev mentio fit Ioannis Baptistae. In Prologo 1, 6-9 opponitur Ioannes ut homo, ut testis Lucis ipsi Luci verae. Mox affertur testimonium: « prior me erat » 1,16. Deinde Baptista testimonium sollemne exhibet suae missionis et Christi 1, 19-36 coram legatis hierosolymitanis, coram populo et suis discipulis, quod repetit 3, 26-30. 36, amicum se appellans sponsi. Christus ipse provocat ad Ioannis testimonium 5,33-36. Populus agnoscit: « Omnia quaecumque dixit Ioannes de hoc vera erant » 10, 41. Iam quaeritur, cur Evangelista post tot annos tanta cum emphasi haec scribat lectoribus suis. Exaggeratam Baptistae aestimationem et auctoritatem ipsius testimonio videtur confutare. Quare allegat verba, quibus praecursor Christi eminentem dignitatem et suam ipsius humilitatem agnoscit ita tamen, ut Evangelista his ipsis testimoniis humilitatem et fidem Praecursoris prae aliis Evangelistis laudet et Christum ipsum simili ratione ac Mt et L praeconem Ioannis faciat, 1, 20. 29-34; 3, 28ss; 5, 35 « ille eratlucerna ardens et lucens ».

In Actis legimus Ioannem Baptistam post a. 50 in Asia habuisse suos asseclas, qui eius baptismum susciperent et verba quaedam magistri de Christo nossent (A 18, 25 Apollos, 19,3 alii discipuli a Paulo baptizati). Num usque finem saeculi primi aliqua secta discipulorum Ioannis in Asia fuerit non constat. Fortasse ex eo, quod Christus a Ioanne baptizatus est, Iudaei aut asseclae Cerinthi maiorem Baptistae dignitatem attribuerunt.

Ex fontibus vero posterioribus aliqua discimus de sectis, quae baptismum magni faciebant, et apud aliquas earum nomen Ioannis Baptistae celebre habebatur, apud Mandaeos in Mesopotamia (PRE 12, 180,5-20; 181, 39-35, *WBrandt*, Mandäische Religion, 1889, 95), Elcsaitas (Philos. 9,15s). Secundum *Epiphanium* (haer. 30,17) etiam Ebionitae baptismum saepius adhibebant, in libro Περίοδοι, quo utebantur, de baptismis cotidianis Petri Apostoli sermo fuisse dicitur, l. c. 30, 15.

Epiphanius (19, 2. 5 ; 53, 1) refert suo tempore in Nabataea et Peraea sectam nomine Sampsaeorum eundem tenuisse ritum. *Hegesippus* (*Euseb.* HE IV 22, 7) loquens de sectis Iudaeorum enumerat Hemerobaptistas, Masbothaeos. Eosdam sine dubio ex Eusebio aut immediate ex Hegesippo nominat *Ephraem* (Exposit. Evangelii concord. 287s, arm. 2, 260) addens Samaritanos et pergit « discipuli Ioannis de ipso gloriantur et asserunt eum maiorem esse Iesu, quoniam et ipse, dicunt, testificatus est : quoniam non est inter natos mulierum maior Ioanne ». Quae traditio est ex saeculo secundo. Alibi Ephraem dicit Ioannem Baptistam haberi maiorem Christo a nonnullis, quia baptizavit eum (Evangel. concord. c. 9, p. 106). *Iustinus M.* quoque commemorat sectam Baptistarum, Dial. 80, 4. In *Clementina* hom. 2, 23 Ioannes Baptista dicitur fuisse Hemerobaptista (MG 2, 92). *Constitut. Apostolorum* (VI 6, 4s) nominant Masbothaeos et Hemerobaptistas, *Recogniliones autem Clementinae* 1, 54 (MG 1, 1237s) tradunt : « Ex discipulis Ioannis qui videbantur esse magni segregarunt se a populo et magistrum suum veluti Christum praedicaverunt. »

Ex his testimoniis, quae ex parte quidem inter se dependere videntur, patet saeculo secundo plures sectas baptistarum fuisse, quarum aliquae saltem ad auctoritatem Baptistae provocaverunt et suum magistrum maiorem Christo vel ipsum Christum esse contenderunt. Non est autem incredibile haec in Asia tempore Ioannis Apostoli esse propugnata. Contra quam opinionem Evangelista ipsius Baptistae testimonia profert, maxime cum adversarii testimonium Christi de suo praecursore videantur usurpasse.

401. Praeter finem primarium modo expositum Ev alium prosequitur. Attulimus supra testimonia Papiae-Ioannis de Mt et Mr, ex quibus elucet Ioannem presbyterum, Apostolum et auctorem quarti Evangelii, novisse saltem duo illa Evv. Quare quaeritur, num fortasse suum Ev scribens ad libros priores attenderit.

1. Iam si Evv synoptica et quartum inter se comparamus, cernimus magnam eorum differentiam. Praeter historiam passionis enim pauca

inveniuntur cum illis communia. J 1, 19-34 leguntur aliqua, quae apud Synopticos narrantur, sed alio modo. J 4,44 commemorat verbum Domini, quod Mr tradit 6, 4 ; Mt 13, 57 ; L 4, 24. J 6, 1-21 multiplicatio panum ; cf Mt 14, 13-33 ; Mr 6, 34-53 ; L 9, 10-17. J 12, 12-19 ingressus in Ierusalem ; cf Mt 21, 1-9 ; Mr 11, 1-11 ; L 19, 28-40. J 12, 25s et Mt 16, 25 ; Mr 8, 35 ; L 9, 24 ; J 13, 12ss et L 22, 27. J 13, 36ss et Mt 26, 33ss ; Mr 14, 29ss ; L 22, 31-34 negatio Petri praedicta. Et alia pauca. De J 2, 13-22 disputatur, sitne idem factum quod Synoptici referunt Mt 21, 21s, Mr 11, 15ss ; L 19,45 templi expurgatio.

Si vero has materias communes examinamus, deprehendimus Ioannem semper nova quaedam addere, maxime in significandis causis et occasionibus factorum, ita ut numquam in toto Evangelio res eadem ratione narrentur. Ex quo comprobatur sententia antiquorum asserentium Ioannem scripsisse Ev suum, ut Synopticorum traditionem compleret. Quod a recentioribus quidem ex parte negatur, sed hoc auctoris studium tam manifestum est, ut nullo modo in dubium vocari possit. Quanti autem hoc momenti sit in Evangelii indole diiudicanda, neminem fugit.

2. Quantopere vero Ioannes in Ev ordinem historicum, factorum nexum, et occasionem curet, multis exemplis demonstratur.

J 1, 19-34 traduntur adiuncta historica testimonii Baptistae pro Christo, cf L 3, 15s.

J 1, 36-51 narratur quomodo, quando primi discipuli ad Iesum venerint, quando Petro nomen impositum sit, unde Petrus et Andreas.

J 2, 11 ; 4, 54, quae signa primo in Galilaea facta, cf Mr 1, 23s ; L 4, 33.

J 2, 13-22 comparandum est cum Mt 21, 12s ; Mr 11, 13-17 ; L 19, 45s, maxime verbum Christi 2, 19, quod videtur descriptum propter Mt 26, 61, Mr 14, 57s.

J 3, 24 Baptista nondum in carcerem missus, cf Mr 1, 14 ; Mt 4, 12.

J 6, 1-21 et Mt 14, 13-33 ; Mr 6, 32-53 ; L 9, 10-17.

J 6, 64-71 Iudae proditio in eius infidelitate diu praeparata et a Domino praevisa.

J 11, 1ss certa allusio ad L 10, 38-42, ἐκ τῆς κώμης Μαρίας καὶ Μάρθας τῆς ἀδελφῆς αὐτῆς. εἰσῆλθεν εἰς κώμην τινά. De altera allusione disputatur, sitne ad Mt 26, 6 et Mr 14, 3 an ad L 7, 36-50. Alterutra est certa.

J 11, 47-53 et Mt 26, 3ss, concilium pontificum.

J 12, 1-11 unctionis tempus, occasio, Iudas, cf Mt 26, 6-13 ; Mr 14, 3-9.

J 12, 12-17 causa cur Christus sollemniter salutatus sit, cf Mt 21, 1 ; Mr 11, 1.

J 13, 4-17 et L 22, 24-30, lotio pedum et discipulorum instructio, maxime J 13, 13s et L 22, 26s.

J 18, 2 frequenter Iesus convenerat, cf L 22, 39 « secundum consuetudinem » ; cf 21, 37.

J 18, 10 nomina Petri et Malchi, Mt 26, 51ss.

J 18, 13 « ad Annam primum ».

J 18, 15-18 quomodo Petrus in atrium pontificis introductus sit, cur ancilla illum agnoverit, cf Mt 26, 29 ; Mr 14, 66 ; L 22, 56.

J 18, 33-19, 16 Christus coram Pilato, cur Pilatus nullam causam in eo invenerit, cf Mt 27, 11. 14. 18. 24 ; Mr 15, 2ss ; L 23, 4. 14.

J 18, 39s quae de Barabba dicuntur, supponunt narrationem synopticam.

J 19, 1-16 ordo rerum gestarum, flagellatio, illusio, condemnatio, cf Mt 27, 26-31 ; Mr 15, 15-20.

J 19, 14 « erat quasi hora sexta », cf Mr 15, 25 « erat hora tertia et crucifixerunt eum ».

J 19, 19-22 titulus crucis tribus linguis, cf Mt 27, 37 ; Mr 15, 26 ; L 23, 38 (cod. SADRW alii lat. syphl arm tres linguas commemorant).

J 19, 23s divisio vestium, cf Mt 27,35 ; Mr 15, 24 ; L 23, 34.

J 19, 28s *sitio*, cf Mt 27, 48 ; Mr 15, 36 ; L 23, 35, ubi nulla ratio apparet, cur Christo acetum obtulerint.

J 19, 31. 42 cur crucifixi occisi sint et depositi, cur Christus sepultus prope locum supplicii.

J 19, 33-37 lateris Christi percussio, cf Mt 27, 48 secundum BSCLU et alios quosdam codices.

J 20, 2-10 de duobus discipulis ad sepulcrum properantibus, cf L 24, 12. 24, « abierunt quidam ex nostris ad monumentum ».

J 20, 19-23, cf L 24, 36-41 Christus ostendit manus et pedes, cf J 20, 25.

J 21, 1-14 confirmat Mt 28, 7. 16 de apparitione in Galilaea.

His expositis abunde demonstratur Ioannem supponere priora Evv, ad ea alludere et simul eorum auctoritatem comprobare. Ex toto vero conspectu Evangelii intellegimus Ioannem non solum facta inter se coniungere, sed etiam magis quam Synopticos ordinem historicum tenere, ita ut chronologia vitae Christi potissimum ex quarto Evangelio discatur. Ad hoc fortasse Canon Muratorianus alludit scribens : « sic non visorem solum et auditorem, sed et scriptorem omnium mirabilium Domini *per ordinem* profitetur », 32ss. Irrito conatu recentissime *HWindisch* contendit quarto Evangelio auctoritatem Synopticorum convelli, minime eorum narrationem compleri (Johannes und die Synoptiker. Wollte der 4. Evangelist die älteren Evv ergänzen oder ersetzen ? Lp. 1926).

§ 6. De Evangelista, lectoribus, tempore compositionis Evangelii

402. 1. Ex quarto Ev discimus auctorem Iudaeum fuisse, qui de Iudaeorum rebus, festis, statu religioso optime edoctus est et modum loquendi semiticum tenet.

Quae antea de lingua Synopticorum diximus, etiam de quarto Ev valent. Lingua plana est et simplex, nullae leguntur constructiones difficiles ; modus paratacticus loquendi, parallelismus idem est ac in Synopticis, concatenatio, repetitiones. Quae omnia non sunt graecae indolis, sed semiticae, cf *EAbbott*, Johannine Vocabulary ; Johannine Grammar, Ld 1905s. Praeterea constructiones aperte semiticae, cf. 17, 2.

2. Ex eo quod auctor plerumque res in Iudaea gestas narrat, quidam concluserunt eum fuisse Hierosolymitanum, non Galilaeum. Sed quae de Iudaea, Ierusalem narrat, hoc minime ostendunt. Apostoli enim saepe cum Christo in urbe fuerunt et omnes Iudaei ad festa in urbem ascendere solebant. Post mortem vero Domini apostoli multis annis ibi residerunt. Num ille discipulus, qui notus erat pontifici et Petrum introduxit (J 18, 15), sit Ioannes, non constat ; multi quidem interpretes huic sententiae favent, at Evangelista, si de se loquitur, saepe clarius loquitur. Addidisset fortasse illud « discipulus quem diligebat Iesus », cf 13, 23. Sed etiamsi admittimus Ioannem fuisse notum pontifici, non consequitur eum esse Hierosolymitanum. Frequens enim commercium inter Galilaeam et Iudaeam plurimas potuit creare relationes inter familias.

At minime verum est auctorem Evangelii nihil de Galilaea referre. Optime enim scit, quid de Nazarethanis dicant homines, novit parvum vicum Cana, loquitur de prima secessione in Capharnaum, cf 1, 44. 46 ; 2, 1. 11s ; 4, 44ss. 54 ; 6, 1 ; 21, 1ss.

3. Modus narrandi quamvis non sit artificiosus, quam maxime movet et animum suspensum tenet, ut Ioannes dicendus sit cum summa simplicitate sermonis summam coniungere artem, non quaesitam, sed nativam, cf 1, 35-51 de discipulorum vocatione ; 2, 1-11 de nuptiis ; 4, 6-26 de muliere Samaritana ; 6, 64-71 Petrus et Iudas ; 9, 1ss de caeco ; 11, 1ss de Lazaro ; 13, 1-10. 20-30 31ss, ultima cena ; 20, 11-18 Magdalena ; 20, 24-29 Thomas ; 21, 1ss ultima apparitio.

403. Evangelii *lectores* non sunt Iudaeochristiani. Quae enim sint Iudaeorum consuetudines, ab Evangelista explanantur, voces aramaicae, quas Ioannes ipse saepe adhibet, lectoribus exponuntur.

Messias 1, 41 ; 4, 25 ; Cephas 1, 42 ; Rabbi 1, 38 ; rabbuni 20, 16 ; Iscariotes 6, 71 ; 13, 2 (ὁ ἀπὸ Καρυώτου) ; Siloam 9, 7 ; Thomas 11, 16; Gabbatha 19, 13 ; Golgotha 19, 17 ; cf 2, 6 ; 3, 23 ; 4, 9 ; 5, 2 ; 6, 4 ; 7, 2. 37 ; 10, 22 ; 19, 31. 40. Num alia Παράκλητος, ὄχλος, σημεῖον, quae fortasse iam eo tempore in linguam aramaicam recepta erant, ab ipso Domino adhibita sint, non constat, cf *Zahn* in J[5] 27s. *ASchlatter*, Die Sprache u. Heimat des vierten Evangelisten, Gü. 1902.

404. De *tempore* quo Ev ortum sit, ex traditione et interno testimonio aliquo modo certum est. Illud post alia Evv scriptum non est dubium, cf n. 401, 2. Supponitur praeterea mors S. Petri 21, 19, et videtur insinuari mutatio rerum palaestinensium, quae facta est post bellum iudaicum a. 70. Plerique autem censent Ev versus finem saeculi primi compositum esse, quod confirmatur iis quae de Cerintho diximus. Sed accuratius tempus definiri non potest, neque traditum est, utrum Ev ante Ap absolutum sit necne. *Epiphanius*, *Hieron.*, Prologus vetus latinus,

alii recentiores censent Ap priorem esse Evangelio. Alii vero Ev et epistulas c. a. 80-90 originem habuisse putant, *Zahn*, *Bisping*, *Westcott*, alii. Ante a. 80 *Reithmayr*, *Willichen*. Singularem ex antiquis statuit sententiam *S. Ephraem*, qui exponens epistulam ad Ephesios Ev Ioannis scriptum quidem esse post alia Evv asserit, sed ante epistulam Pauli ad Ephesios. Si alibi (Append. ad Comment. in Evv 286) legimus Ev scriptum esse Antiochiae, videtur potius mendum librarii supponendum esse, cum immediate postea Ioannes dicatur in Asia praedicasse, et in Comment. in E supponatur Ev scriptum esse Ephesiis. Ex argumentis internis nihil efficitur. Nam verba Ap 1, 2. 9 ὃς ἐμαρτύρησεν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ καὶ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὅσα εἶδεν, διὰ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ καὶ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ non sunt certa allusio ad ipsum Ev.

§ 7. De auctoritate historica quarti Evangelii

405. In disputatione de fide historica quarti Evangelii hodie fere tota quaestio sita est. Ideo enim praecipue vel fere unice a recentioribus impugnatur traditio de origine Ioannea Evangelii, quia negant indolem vere historicam totius libri. Admissa credibilitate Evangeliorum synopticorum destrui veritatem narrationis Ioanneae, maxime vero personam Christi ita a Ioanne describi, ut imago historica plane obfuscetur. Sed cum tota antiquitate et traditione catholica adstruimus omnimodam veritatem historicam quarti Evangelii non minus quam Synopticorum.

1. *De factis*

Quod ostendimus ex *indole* ipsius Evangelii et eius *relationibus* ad Evv synoptica.

1. *a*) In Evangelio legimus saepe res minutas historicas, geographicas vel personales, quae manifestant intentionem auctoris lectorem docendi et facta narrata accuratius demonstrandi, 1, 28 Bethania ; 1, 39 hora decima ; 1, 44 Bethsaida ; 1, 46 Nazareth ; 2, 3 hydriae ; 2, 12 pauci dies in Capharnaum ; 3, 23 Aenon prope Salim ; 4, 5 Sychar, fons Iacob ; 4, 9 Iudaei et Samaritani ; 4,52 hora septima ; 5, 2 Bethesda (Bezatha) 6, 23 naves a Tiberiade ; 9,7 piscina Siloam ; 10, 22s Encaenia, porticus Salomonis; 10, 40s trans Iordanem; 11, 44 mortuus ligatus; 11, 54 Ephraim prope desertum ; 12, 1 sex dies ante Pascha ; 12, 21s Graeci, Philippus, Andreas ; 18, 1s hortus ; 18, 15 Petrus et alius discipulus; 18, 18 frigus erat ; 18, 26 cognatus eius cuius abscidit Petrus auriculam ; 18, 28 ipsi non introierunt ; 19, 13 Lithostrotos ; 19, 20ss titulus crucis ; 19, 40 sepultura et sepulcrum ; 20, 6s linteamina, sudarium ; 21, 7 Petrus ; 21, 20 si eum volo manere.

Quae si ab Evangelista dicuntur inventa, proderent intentionem decipiendi et deceptionem occultandi.

b) Porro, ut iam diximus, Ioannes solet eventus inter se coniungere, ut alios aliorum occasionem fuisse eluceat. J 1, 20. 35. 40. 43. 45 dies enumerantur et vocatio discipulorum ita procedit, ut alii alios ad Christum adducant, 2, 1 tertia die, 2, 12s post haec, prope erat, 4, 1 ut cognovit Iesus, 4, 24ss post duos dies. A capite septimo usque ad 10, 21 omnia se immediate excipiunt. Denuo a 11, 1-12, 19 singula conexa sunt. Haec in nullo alio Evangelio simili ratione observantur. Miracula quoque saepius cum serie eventuum ita coniuncta sunt, ut aut agnoscenda sint ut vera aut omnia sint reicienda. In primo miraculo non solum temporis ratio habetur, sed etiam effectus, fides discipulorum notatur. Sanatio aegroti non propter se narratur, sed quia est occasio disputationis cum Iudaeis et manifestationis Christi. Panum miraculum est praeparatio sermonis eucharistici 6, 1-21. Caeci sanatio et eius testimonium pro Christo cohaerent, postea ad miraculum pluries recurritur ; 10, 21 numquid daemonium potest caecorum oculos aperire ? 11, 37 non poterat hic, qui aperuit oculos caeci nati, facere ut hic non moreretur ? 11, 1-12, 19 ita iunguntur, ut ex Lazari suscitatione sequatur concilium Iudaeorum, Christi recessus, postea cena in Bethania et sollemnis deductio Christi. Itaque eventus et manifestationes Christi tantam unitatem prae se ferunt, ut aut tota series factorum neganda sit aut recipienda. Si autem Ioannes narrat factum multiplicationis panum, non minus factum historicum tradidisse censendus est, quam Synoptici idem factum narrantes. Proinde alia quoque miracula evidenter ab Evangelista tamquam historica traduntur.

2. *Relationes* vero mutuae inter Ioannem et Evv synoptica, quas ostendimus esse indubias, argumento novo sunt invicto, quartum Ev sibi vindicare eandem indolem historicam quam alia. Si enim auctor alludens ad haec Evv dicit ordinem et sequelam fuisse aliam, quam quis ex Synopticis concludere posset, manifestum est Evangelistam agere partes historici.

Iam si cum tam aperto studio non coniungitur ipsa veritas, auctor non potest effugere crimen deceptionis deliberatae. Recentiores quidem negant hoc crimen Ioanni imponendum esse, cum ipse nullo modo fidem talem postulet. Sed revera tota antiquitas semper Ev tamquam historicum consideravit et ultimis saeculis tandem novae sententiae excogitatae sunt, quae cum indole Evangelii omni ex parte pugnant.

Neque veritati historicae eo praeiudicium creatur, quod miracula quarti Evangelii ex parte tamquam signa (σημεῖα) veritatis aut doctrinae profundioris proponuntur, cf J 2, 11. 18 ; 3, 2 ; 6, 26. 30 ; 9, 16 alia. Nam Iudaei ipsi aperte miracula tamquam signa considerabant, cf Mt 12, 28s ;

16, 1. 4 ; L 2, 34 ; 11, 30 ; 1 C 1, 22 ; 2 C 12, 12. Deinde iam monuimus miraculum panum exhiberi tamquam signum, et secundum mentem Evangelistae certo est signum et nihilominus ab omnibus Evangelistis traditur ut factum historicum. Similiter veteres interpretes, qui magnopere hanc rationem signorum in quarto Evangelio notant, semper agnoverunt historicam veritatem factorum. Quare *decretum* Commissionis biblicae 29 maii 1907 n. III negat facta in quarto Ev narrata posse concipi ut totaliter aut ex parte conficta ad hoc ut sint allegoriae vel symbola doctrinalia. Idem in propositionibus 16 et 17 Decreti *Lamentabili* 3 Iulii 1907. Recentiores enim miracula mera symbola vel allegorias esse volunt, quae sub specie narrationis historicae doctrinam aliquam efficacius et clarius enuntiant.

406. *Indoles* porro et *finis* Evangelii est argumentum fidei historicae certissimum.

Ex fine enim explicatur tota ratio selectionis materiae et compositionis, et hic finis postulat necessario veritatem eorum quae narrantur.

Quia finis est primario *theologicus* ea eligenda erant, quae Christum in sua ad Patrem et homines relatione demonstrant. Proinde disputationes theologicae cum Iudaeis referuntur, quae apud Synopticos magis ad observationem legis et traditionum scholarum restringuntur. Consequens est, ut ea maxime commemorentur, quae Hierosolymis gesta sunt. Unde legimus de pluribus itineribus hierosolymitanis, 2, 13 ; 5, 1 ; 7, 10 ; 10, 22 praeter ultimum, quod Synoptici quoque narrant. Haec autem itinera esse historica ex indole Evangelii patet; et ex ipsis Synopticis satis constat Dominum saepius in Ierusalem fuisse. Lucas commemorans inter Christi auditores pharisaeos et doctores qui venerant ex Iudaea et Ierusalem (5, 17), quod fuit initio praedicationis Christi in Galilaea, non obscure insinuat Dominum antea in Iudaea fuisse. Fortasse parabola Samaritani (L 10, 30-37) dicta est in itinere prope Iericho. L 10, 38-42 Dominus hospitio receptus est a Martha et Maria prope Ierusalem in Bethania, ergo constat Christum familiariter conversatum cum hac familia, cf J 11, 3. 5. Lucas 11, 1-4 narrat Christum petentibus discipulis docuisse Orationem dominicam, quod a traditione dicitur fuisse in monte Oliveti, cui traditioni contextus apud Lucam omnino favet. Quod postea de Galilaeis a Pilato occisis et Hierosolymitanis a turri oppressis refertur (L 13, 1-5), videtur accidisse, dum Christus in Iudaea versabatur. Verba vero Christi de Ierusalem « quoties volui congregare filios tuos » evidenter docent, eum pluries in urbe fuisse. Critici autem aliqui haec verba tamquam spuria reiciunt ideo, quod illis a priori constat Ioannem non potuisse vera narrare. Ceterum consideranti Iesum per vitam suam Legem observasse, patet eum ad festa celebranda plerumque in Iudaeam ascendisse, etiamsi tantum uno anno ministerio publico vacasset.

Contra genuinitatem narrationum quarti Evangelii urgere solent, non esse credibile, post tria Evv synoptica materiam tam copiosam superfuisse, ergo ex hoc solo capite Ev nostrum non esse historicum. Haec quam inepte proferantur, facile patet. Ex ipsis enim Synopticis elucet multo plura facta potuisse ab ipsis narrari, neque vitam publicam Christi paucis illis quae referuntur concludi posse. Ipse S. Ioannes protestatur Iesum plura egisse, 20, 30 ; 21, 25. Si autem computamus, quot miracula Ioannes singularia in suo Ev tradat, haec inveniuntur : 2, 1-11 aquae conversio ; 4, 46-54 filius reguli sanatus ; 5, 1-9 infirmus triginta et octo annorum ; 9, 1-7 caecus natus ; 11, 1ss Lazarus; 21, 1ss ultima apparitio cum miraculo. Sex miracula. Quibus addere licet factum legationis synedrii ad Ioannem, vocationem primorum discipulorum, Nicodemum, praedicationem in Iudaea, mulierem Samaritanam, facta in festo Scenopegiae et in Encaeniis. Quaedam ex his ex ipsa narratione Synopticorum supponi debent. Alia, v. g. conversatio cum muliere Samaritana in itinere gesta sunt et duobus diebus absolvuntur cum commoratione apud Samaritanos. Idem dicendum de iis quae gesta sunt 7, 10-10, 21, quae omnia paucis diebus perficiuntur. Unde apparet facta tantum pauca referri, sed ea fusius exponi. Si autem quaeritur, cur Synoptici factum tam insigne, quale fuit Lazari resuscitatio, non narrent, ratio probabilis habetur tum in eo quod Synoptici ex gestis in Iudaea tam pauca referunt, ut nullum miraculum singulare describant praeter caecum sanatum, Mr 10, 46-51 ; tum quod fortasse in orali traditione primitiva gesta hierosolymitana utpote ecclesiae primitivae magis nota brevius tradebantur.

407. Ex indole autem et fine Evangelii explicatur *modus narrandi*. Sicut Matthaeus pro fine suo non solum materiam aptam selegit, sed etiam narrationes ordinavit, ita Ioannes quoque fecisse videtur.

1. Quia enim ea ex doctrina Christi proponere constituit, quae eius personam, missionem magis illustrarent, alia fere omisit. Itaque 7, 14 solum dicitur Christum docuisse; quid autem docuerit, non dicitur, sed quid auditores experti sint et quid Christus exinde de sua doctrina exposuerit. Similiter 8, 12 « Ego sum lux mundi » et auditorum oppositio Domino est occasio disputandi de veritate suae missionis et sui testimonii.

2. Cum hoc fine et cum ratione narrandi cohaeret, quod ipsae *personae* loquentes non propter se introducuntur, sed quia Domino suggerunt doctrinam suam. Unde intellegitur, cur de Nicodemo post 3, 10 non iam sit sermo. Eum autem esse personam historicam patet ex 7, 50 ; 19, 39. J 12, 20 commemorantur Graeci ad Christum accedentes, sed nihil de eorum verbis ad Dominum aut Domini ad eos. Evangelistae enim id cordi est, ut ostendat, quid Graecorum accessus ad Iesum significet. 12, 44-50 Christus introducitur loquens, at neque dicitur, quando haec dixerit neque ubi. Satis est Evangelistae haec verba tamqaum epilogum vitae

publicae tradere. Ex eadem ratione aliquando obscurum est, quis loquatur. Ita disputatur inter catholicos quoque interpretes, quis 3,(11)16-21 et 3,31-36 loquatur.

3. Tandem ex Evangelii fine intellegitur, cur paucae ideae et conceptus per totum librum recurrant : missionis Christi a Patre, unitatis perfectae cum Patre, testimonia pro missione Christi, signa missionis, opera a Patre patrata, 3, 2s ; 5, 17. 19s. 36 ; 9, 4. 33. Miracula quae manifestant gloriam Unigeniti 1, 14 ; 2, 11 ; 7, 21. 31 ; 11, 40; 12, 18. 41. Causa infidelitatis saepe inculcatur, ignoratio Patris, infidelitas erga Moysen et Legem, mala opera, propriae gloriae appetentia, 5, 37s ; 8, 19. 47 ; 16, 3 ; 17, 25 ; 3, 19ss ; 5, 44-47 ; 7, 19 ; 8, 34. 37. 40. 44 ; 9, 40s ; 12, 37-43.

Hae ideae ab initio, immo iam in Prologo lectori insinuantur. Iudaei increduli, malae voluntatis, infensi Christo describuntur. Christus vero eorum dispositionem perspectam habet et praevidet, quousque odium eorum progressurum sit ; quapropter eos acriter reprehendit, eis iudicium denuntiat, infidelitatem erga Legem et Deum ipsum exprobrat. Quod a Prologo enuntiatur : « sui eum non receperunt » 1, 11. Sub hoc autem respectu Christus apud Ioannem maiorem severitatem prae se ferre videtur, quam apud alios Evangelistas. At ne apud illos quidem similia desunt, cf Mt 3, 7-12 ; 8 ,11s ; 23, 1ss. Ioannes vero Domini bonitatem quoque, caritatem, dolorem saepe depingit 3, 14-17 ; 4, 10. 26 ; 5, 6ss. 34. 40 ; 6, 39. 61ss ; 9, 35-38 ; 10, 9-17. 27s ; 11, 3. 5. 33-37 ; 13, 1ss ; 14-17 ; 20, 16. 27 ; 21, 15ss.

4. Quod autem *modum concipiendi* et scribendi attinet, iuvat notasse Ioannem post multos annos scripisse. Proinde ipsi decursus historiae Ecclesiae primitivae et eius evolutio prae mente versabatur, et permulta in lumine huius historiae contemplatus initia et causas clarius perspexit et melius describere potuit. Quod ipse insinuat, cum pluries facta recogitet 2, 22 ; 12, 37ss ; 13,1ss ; 20, 8s. Multo magis Ioannes quam alii auctores evangelici sua sensa manifestat, quod facilius intellegitur, si est ille discipulus, quem Dominus diligebat.

2. *De sermonibus in quarto Evangelio traditis*

408. Peculiaris inquisitio in sermones quarti Evangelii nobis est instituenda, quia magis etiam quam sermones a Synopticis traditi hodie impugnari solent.

1. Ipsis ideis quae in sermonibus traduntur referri Christi doctrinam non est dubium. Conveniunt enim cum Synopticis, etiamsi apud illos rarius proponantur, conveniunt cum doctrina S. Pauli, qui eodem fere tempore quo Synoptici scripsit. Ergo medio saeculo primo haec tamquam genuina Christi doctrina agnita erant. Evangelistam autem veros sermones nobis referre, ostenditur tum ex indole historica Evangelii ante

probata, tum ex ipsis sermonibus. Ioannes enim plures locutiones et sensa ipsi familiaria in epistulis Christo non tribuit. Quamquam in Prologo sermo [sit de Logo (1, 1-14 ; Ap 19, 13), tamen Christum ipsum hac voce utentem numquam introducit. Similiter in Ev non legimus vocem Ἀντίχριστος 1 J 2, 18. 22 ; 4, 3 ; 2 J 7 ; ἀγγελία, ἐπαγγελία 1 J 1, 5 ; 2, 25 ; 3, 11 ; ἱλασμός 1 J 2, 2 ; 4, 10 ; ἔρχομαι ἐν σαρκί 1 J 4, 2 ; 2 J 7.

2. Quodsi *compositionem* sermonum consideramus, videtur dicendum esse sermones non semper eodem modo traditos esse, sicut habiti sunt. Iam diximus saepe solam occasionem doctrinae ab Evangelista exhiberi et breve aliquod dictum, cf 7, 14. 37s ; 8, 12. Unde fortasse alibi quoque supponere licebit non omnia neque ipsa verba Christi semper tradi. Nam probabile est Ioannem pro suo scopo ea elegisse, quae ad suum finem facerent, alia abbreviando, alia omittendo. Si 3, 16-21 aut 3, 31-36 concipitur ut sermo Christi, fortasse dicta Domini ex longiore sermone hoc loco coniuncta legimus, quae non necessario ea occasione dicta esse censebimus ; cf quae antea de 12,44-50 exposuimus (n. 407, 2). Sine dubio habetur tantum fragmentum sermonis.

Alibi autem Evangelista sermones fusius tradit. Cum enim referat progressum disputationis, interrogationes aut obiectiones auditorum, Christi responsa, explicationes, haec secundum ordinem historicum relata esse censemus. Sic ex parte 3, 3-12 ; 4, 7-26 ; 6, 26-66, alia. Ubi vero in sermonibus consecutio idearum et partium difficilius ostenditur, Evangelista videtur sermones tantum compendio tradidisse, ita ut verba quidem Domini referat, sed compositionem primitivam non semper observet.

3. Fidelitati in reddendis sermonibus illud contrarium esse quis crederet, quod lingua et modus loquendi per totum Ev idem est, sive Evangelista loquitur, sive Christus, sive Baptista, sive alii. Sed quia Ioannes scribit lingua graeca, eaedem locutiones, idem color graecus fere necessario observantur. Deinde contra veritatem historicam non offendimus, si admittimus Ioannem verba Christi aliquomodo secundum suam ipsius linguam enuntiasse. Neque improbabile est, Apostolum pro sua indole magis contemplativa modum loquendi magistri imitatum esse, praesertim cum ipsi tam familiariter coniunctus fuerit et ea quae viderat, longo tempore meditatus sit.

4. *Longi* vero illi *sermones*, quos legimus J 5, 19-47 ; 6, 26-58 ; 7, 16-29 ; 8, 12-30. 31-58 ; 10, 1-18. 25-38 ; 14-16 ; 17, 1-26, difficilius quidem retinentur, quam sermones a Synopticis recepti. At notum est orientales gaudere vi memoriae tenaci, quae apud Iudaeos exercitatione magis etiam exculta erat. Ioannes autem pro sua indole videtur maxime idoneus fuisse, qui sermones Iesu facilius memoriae imprimeret. Sicut alia minuta post multos annos ipsi non exciderant, ita multa ex sermonibus certa recordatione retinere potuit. Accedit, quod iuvenis Dominum secutus erat et pro suo erga eum amore singula verba attente et avide excipiebat.

Adminiculo autem poterant esse interrogationes et interiectiones, quibus sermones distinguebantur et novum progressum sumebant. Haec autem simul argumento genuinitatis sunt, cf 6, 28ss. 34. 41s. 52; 7, 20. 25s ; 8, 13. 19. 22. 33. 39. 41. 48. 52s ; 14, 5. 8. 22.

Quod Dominus saepius obscurius loqui videtur et male intellegitur, et hac ratione progressus sermonis obtinetur, non est indicium fictionis, cum apud Synopticos idem non semel accidat, cf Mr 7, 17 ; 8, 15s ; J 3, 3s ; 4, 10s. 15. 32s ; 6, 34 et alibi. Immo hic modus docendi videtur apud Iudaeos aliquomodo viguisse.

5. Sermonum *externa indoles* est eadem fere ut apud Synopticos. Plerumque dicta brevia, concisa, forma parallelismi identidem servatur, cf 3, 6. 11. 17s. 21s et alia plurima. Saepe eadem idea primo positive, deinde negative exponitur, 5, 19. 31s ; 6, 53s. Sermo autem ita progreditur, ut sententia aliqua fere eisdem verbis repetatur, sed secundum aliquam partem clarius enuntietur et ulterius evolvatur, cf 3, 3 et 3, 5s ; 5, 20ss ; 6, 39s. 53-58.

Porro non raro ideae concatenatae sunt, cf 3, 3-8 conceptus γεννᾶσθαι ἄνωθεν, ἐκ τοῦ πνεύματος ; 3, 12 τὰ ἐπουράνια, εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναβέβηκεν, ὑψωθῆναι, ζωὴ αἰώνιος, μὴ ἀπόληται, ἵνα κρίνῃ, οὐ κρίνεται, ἤδη κέκριται, ἡ κρίσις. Saepius eadem locutio per longiorem sermonem recurrit, aut in fine propositionum repetitur, cf ζωὴ αἰώνιος 6, 27. 40. 47. 54. 68 ; cf 6, 33. 51. 53. 57s. Ἀναστήσω αὐτὸν ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ 6, 39. 40. 44. 54, et alia.

Quae omnia aliquomodo adiuvabant memoriam et ostendunt non pauca concurrere ad comprobandam veritatem sermonum. Quod autem in fine Evangelii a pluribus testibus affirmatur « et scimus quoniam verum est testimonium eius », 21, 24, si omnino valet, de doctrina Domini valet, cum sit quam maxime pars essentialis Evangelii. Unde nulla ratione admittenda est eorum sententia, qui asserunt sermones Domini apud Ioannem esse compositiones theologicas scriptoris, aut meditationes circa mysterium salutis historica veritate destitutas, aut Ioannem esse testem non de Christo, sed vitae Christi in Ecclesia exeunte saeculo primo, cf n. 578, Decret. de Ev quarto n. III, Decret. Lament. propos. 16. 18. (n.568).

§ 8. De ordine et compositione quarti Evangelii

409. Ordinem Evangelii esse quam maxime *chronologicum* plerique interpretes recte viderunt. Nullus enim alius Evangelista tam accurate gestorum seriem et consecutionem designat quam Ioannes.

Ab initio singula facta secundum dies distribuit, 1, 19. 29. 35. 39. 43 ; 2, 1, gesta a reditu Christi ex deserto usque ad nuptias in Cana. Mox Dominus descendit in Capharnaum, ubi manet non multis diebus 2, 12. Abhinc narratio ordinata est secundum festa Iudaeorum. 2, 13 primum iter hierosolymitanum ad festum Pascha. Sequitur praedicatio in Iudaea, reditus per Samariam in Galilaeam, et 5, 1 novum festum, quod appellatur ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων (BAW 892 DΘGUNKΓΛ 22 28 13 69 245 al. arm) aut ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδ. (SCLΔΨHMEΠ 33 1ss sa bo Tat al.). Editiones inter se non consentiunt. *Soden*, *Vogels* dubii haerent. *Westcott-Hort*, *Lagrange* articulum omittunt ; *Tischendorf* admittit, item *Zahn*, *Knabenbauer*, *Cornely*, alii, et sine dubio omnes illi, qui hoc festum habent festum Pascha. Inter quos multi ex veteribus, maxime Irenaeus (II 22, 3), qui non videtur legisse Pascha in ipso textu, sed potius illam lectionem satis antiquam ἡ ἑορτή. Cum locutio *festum Iudaeorum* simpliciter sine addito significet festum Scenopegiae, *Zahn* cum aliis hoc festum supponit. Festum Pentecostes intellegunt *Cyrillus Al. Chrys. Thom.*, ex recentioribus *Lagrange* et qui unum annum praedicationis Christi statuunt, *van Bebber*, *Belser*, *Cladder*. Si J 4, 35 « quattuor menses et messis venit » de tempore hiemali interpretandum est, quod est probabilius, fere certum est J 5, 1 esse alterum festum Pascha. Festum Purim (in mense Adar) non erat festum, quo Iudaei ad templum ascendebant. Ergo de hoc non agitur 5, 1.

J 6, 4 denuo festum commemoratur, quod appellatur τὸ πάσχα, ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων. Unde tertium festum Pascha aut saltem secundum. Sed sunt qui putent vocem Pascha esse delendam, partim quia unum annum ministerii Christi tenent, partim quia aliqui testes hanc vocem non exhibere videntur. Ex codicibus graecis et versionibus nihil in hanc sententiam afferri potest, a Tatiano usque ad codices recentissimos ubique *Pascha* legitur. Lectiones variantes versus minimae sunt, vocem ἡ ἑορτή omittit codex 543 (ε 257 Soden) et aliquis codex armeniacus Londinens. (prima manus). Sed non hanc vocem omittendam esse censent, qui textum corruptum habent. Provocant quidem ad *Irenaeum*, qui II 22,3 loquens de gestis 6, 1ss non commemorat Pascha. At hoc silentium non probat, sive quia Irenaeus solum enumerat festa, quibus Christus in Ierusalem ascendit, sive quia intellegit 5, 1 Pascha et 6, 4 ad hoc festum referri. De *Origene* dubium est, num legerit *versum* 4 ; eius expositio in J 6 non est conservata, unde res incerta. *Cyrillus Al.* cum 5, 1 habeat festum Pentecostes, fortasse 6, 4 aliud legit, sed textus commentarii videtur esse corruptus, postea enim nostram formam allegat. Quia vero codex 472 (ε 1386 Soden) totum versum omittit et cod. Commentarii Cyrilli 20 (cf Soden I 249) versum obelo notat, fortasse Cyrillus et Origenes versum non habuerunt. Recensio autem Hesychii et versiones copticae integrum textum exhibent. Patres qui unum annum ministerii publici Christi tenent, non possunt tamquam testes omissionis vocis Pascha haberi, cum certum sit textum iam antea ubique lectum esse et aliquos saltem ex antiquis J 6, 4 ad ultimum Pascha retulisse.

Sequitur 7, 1ss festum Scenopegiae ; 10, 22 festum Encaeniorum (die 25 mensis Cisleu), et ultimum Pascha.

Habetur itaque apud Ioannem chronologica dispositio vitae publicae Christi, quae aliquomodo permittit eius decursum intellegere, sed non adeo perfecta, ut de omnibus annis et festis constet.

410. Evangelii *dispositio* ab aliis alia ratione concipitur ; distinguunt aut duas partes aut tres aut plures, e. g. septem. Evangelista suis ipsius et Christi verbis 12, 37-43 et 44-50 innuit, his ministerium Christi conclusum esse, cum epilogum addat et breviter omnia complectatur. Ergo a 13, 1 nova pars incipit ; quaeritur autem, num aptius unam partem statuamus a c. 13-21, aut duas partes distinguamus 13-17, et 18-21. Quia 13, 1ss iam habetur introductio in ipsam passionem et in hoc capite permultas allusiones ad eam occurrunt et manifestatione proditoris passio praeparatur, rectius *unam* partem statuere nobis videmur. His suppositis dispositionem Evangelii describimus :

Prologus (1, 1-18) pro introductione aliqua exhibet personam Verbi Dei, in quo est Lux et Vita, quod manifestat se per creationem et incarnationem, a mundo et suis non receptum, illis qui fide eum recipiunt filiationem Dei tribuit, auctor gratiae et veritatis. Cuius manifestationis testes fideles exsistunt.

Pars prior (1, 19-12, 50) Iesu Christi manifestatio coram mundo. Lux in tenebris lucet, sui eum non receperunt.

1. Manifestatio praeparatur per testimonium Ioannis Baptistae (1, 19-34), vocatione discipulorum (1, 35-51), primo miraculo ; gloriae manifestatio, discipulorum fides (2, 1-12).
2. Prima manifestatio publica in Iudaea (2, 13-3, 36).
   Congressus in templo et oppositio, fides imperfecta multorum, Nicodemi ; aemulatio discipulorum Ioannis Baptistae, ipsius testimonium.
3. Christus in sua manifestatione receptus a Samaritanis (4, 1-42, *Salvator mundi*), a Galilaeis, miraculum, fides reguli (4, 43-54).
4. Manifestatio in Ierusalem nova per miraculum et testimonium divinae missionis, quae Iudaeorum odium excitant propter incredulitatem erga Deum et eius verbum per Moysen et Scripturam (5, 1-18. 19-47).
5. Manifestatio in Galilaea, Christus panis vitae miraculo et sermone comprobatur ; populi, discipulorum incredulitas, Petri confessio, Iudas (6, 1-21. 22-71).
6. Manifestatio in festo Scenopegiae (7, 1-10, 21).
   Fratrum et mundi dispositio, Hierosolymitani (7, 1-13).
   Iesu manifestatio et doctrina, Iudaeorum oppositio et discordia, Synedrii concilium, Nicodemus (7, 14-52).
   Christus tentatus, mulier adultera (7, 53-8, 11).

Christus Lux mundi, Iudaeorum odium, *antequam Abraham fieret, ego sum* (8, 12-59). Christus Lux mundi per miraculum comprobatus (9, 1-41).

Christus bonus Pastor malis pastoribus oppositus (10, 1-21).

7. Christus in Encaeniis manifestat se ut bonum Pastorem et unum cum Patre, in Peraeam secedens Iudaeorum odio se subtrahit (10, 22-42).
8. Christi manifestatio et gloria in Lazari resuscitatione et sequelae (11, 1-12, 19).

Christi missio resuscitatione Lazari comprobata (11, 1-46).

Concilium Pontificum et Pharisaeorum (11, 47-53).

Iesus in civitate Ephraim, Iudaei in Ierusalem (11, 54-57).

Cena in Bethania, Lazarus (12, 1-11).

Sollemnis ingressus in Ierusalem (propter Lazarum) (12, 12-19).

9. Ultima manifestatio Iesu (12, 20-36). Graeci, Filii glorificatio et exaltatio. *Dum lucem habetis.*

Epilogus Evangelistae, causa incredulitatis (12, 37-43), Christi protestatio (12, 44-50).

Pars altera (13, 1-21, 25). Manifestatio caritatis Iesu Christi in passione et glorificatione, coniuncta cum manifestatione Messianitatis coram suis et inimicis. In finem dilexit eos.

I. *Christi caritas et manifestatio coram discipulis* (13, 1-17, 26).

1. In ultima cena Christus apostolis ultima exempla caritatis et humilitatis exhibet, proditorem eicit, negationem Petri praedicit (13, 1-38).
2. Ultimo sermone eos consolatur et confirmat (14, 1-16, 33).
   a) In fide Christi omnia bona continentur (14, 1-31).
   b) Unio cum Christo, per caritatem mutuam, fructus unionis uberrimi (15, 1-17).
   c) Consolatio et confortatio discipulorum contra mundi odium ex Christi exemplo et gratia S. Spiritus (15, 18-16, 15).
   d) Epilogus : discessus, reditus (16, 16-33).
3. Ultima ad Patrem oratio. Christus petit glorificationem sui ipsius 17, 1-5), protectionem et sanctificationem pro apostolis (17, 6-19), caritatem et unionem omnium credentium (17, 20-26).

II: *Manifestatio caritatis et Messianitatis Christi in passione et resurrectione* (18, 1-21, 25).

1. Christus in passione sua manifestat caritatem et testimonium reddit suae Messianitatis simul patefaciens suam omniscientiam, potentiam, liberam traditionem, negatur a Sacerdotibus, testimonium exhibet suae missionis coram Pilato, moritur tamquam *Rex Iudaeorum* (18, 1-19, 37).
2. Post mortem honoratur fide et liberalitate Iosephi et Nicodemi (19, 38-42), fidelitate Petri et Ioannis, caritate Mariae Magdalenae (20, 1-18).

Manifestat suam gloriam coram apostolis, sacramentum remissionis peccatorum, coram Thoma (20, 19-29).

Epilogus Evangelii (20, 30s).

3. Nova apparitione per miraculum se manifestat, Petro primatum confert, mortem gloriosam praedicit, aliam Ioanni sortem (21, 1-23).

Epilogus alter de auctore Evangelii et gestis Christi (21, 24s).

§ 9. De integritate quarti Evangelii

411. De Evangelii *integritate* agendum est, quia textus aliqui in dubium vocantur.

1. Quoniam auctor Evangelii 20, 30s librum suum epilogo terminavit, quaeritur, quid de ultimo capite censendum sit. Illud ab initio non partem Evangelii fuisse certum est ex 20, 30s. At non minus certum est caput esse eiusdem auctoris ac Ev. Quod tum ex internis argumentis tum ex ipsis verbis 21, 24 comprobatur : « Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his et scripsit haec ». Quae verba ad totum quidem Ev referenda sunt, sed maxime ad ea quae immediate praecedunt. Praeterea omnium codicum auctoritas accedit, qua insinuatur caput scriptum esse, antequam Ev publico usui traditum est. Fortasse Papiae fragment. 13 antea allegatum alludit ad caput 21 et eius conscriptionem : « Ev Ioannis manifestatum est ecclesiis a Iohanne adhuc in corpore constituto. » Ratio autem, cur caput additum sit, videtur sita esse in disputationibus de Petro et Ioanne, cf 21, 15-19. 20-23.

2. Alia quaestio movetur de textu J 5, 3b-4. Verba enim ἐκδεχομένων τὴν τοῦ ὕδατος κίνησιν... κατείχετο νοσήματι a non paucis testibus melioris notae omittuntur, BSCWD 33 134 157 q f l sy^c (sy^s vacat) sa bo arm Chrys. D habet 3b, alii codices textum asteriscis notant. Editiones recentiores textum plerumque omittunt Tischendorf, Westcott-Hort, Weiss, von Soden, sequuntur interpretes ut Zahn, Schanz, Belser, Tillmann. Textus legitur a AEGHLKΘ aliis plerisque a b c e g ff² Vg sy^p Tat Ef Tert Did Cyr aliis, recipitur a Vogels, Knabenbauer, Cornely, aliis. Revera textus videtur propter 5, 7 postulari. Censent quidem aliqui textui satisfieri, si supponatur fons salutaris certis intervallis ebulliens et denuo saturatus. At hac suppositione minime explicatur, cur tantum primus quisque sanatus sit, quod ex contextu sequitur. Deinde talis fons salutaris prope Ierusalem numquam exstitit neque secundum condiciones geologicas videtur exsistere posse. Non enim eadem est condicio fontis Mariae.

Lagrange putat 5,7 sufficienter explicari, si admittitur 5,3b, quod ipsi placet. Concedimus hoc aliquomodo obtinere. Sed non possum mihi persuadere 5,3b admittendum esse et 5,4 omittendum, cum testes fere eidem in utroque versu sint. Testimonium autem codicum DW et

aliorum paucorum notae inferioris, qui accedunt, considerata indole horum codicum est levissimum.

3. Pericope de *muliere adultera* in multis testibus desideratur. Non legitur in codicibus antiquissimis graecis. Testes sunt DFGKUT et posteriores graeci, ex latinis b c e ff² g Vg August.; traditur in aliquibus codicibus versionis bohairicae. L et Δ relinquunt spatium vacuum. Alii codices graeci textum tradunt in fine Evangelii, quod in posterioribus codicibus armeniacis quoque obtinet. Cod. Etschmiadzin 229 pericopen habet forma breviori post 7, 53. In codice 225 (ε 1210 Soden) pericope sequitur post J 7, 36. Secundum *Hieron.* (Dial. adv. Pelag. 2. 17) textus inveniebatur tum in graecis tum in latinis codicibus. Ergo Hieron. testatur codices graecos ut testes multo antiquiores, quam hodie habemus. Praeterea testimonium exhibent *Constit. Apost.* 2, 24. Patres graeci non allegant textum. In codicibus classis *Ferrar* pericope descripta est post L 21. 38 cf. n. 65.

Secundum Eusebium (HE III 39, 17) apud Papiam legebatur historia mulieris peccatricis, quae propter multa peccata apud Dominum accusata erat, quam historiam Ev sec. Hebraeos continet. Quoniam plerique censent agi de muliere adultera, *van Kasteren* putat pericopen primitus scriptam fuisse in Evangelio aramaico S. Matthaei et suum locum post Mt 22 habuisse (RB NS 8 [1911] 96-102). *Agapius*, auctor arabus s. 10, tradit Papiam pericopen adscribere Evangelio Ioannis (Patrol. Or. 7, 504s ; cf *Linder*, ZkTh 40 [1916] 191-199.

Concedimus textui testimonium codicum minus favere et modum narrandi magis accedere ad indolem Synopticorum. At cum textus forma in testibus adeo differat, ex lingua argumentum certum deduci non potest. Contextus et series rerum gestarum non contra genuinitatem afferri potest, cum ordo c. 7-8 tam strictus desideretur. Neque facile ratio allegari potest, cur pericope Ioanni attributa et eo praecise loco inserta sit. Patres latini textum ideo omissum esse putant, ne adulterii peccatum facilius excusari videretur. Quae ratio sane meretur considerationem. Certum est textum esse inspiratum.

412. Ex alio deinde capite integritas Evangelii a recentioribus in dubium vocatur. Qui Ev non unius auctoris, sed ab alio retractatum esse censent, distinguere conantur quae primitivo auctori, quae posteriori tribuenda sint. Unde interpolationes ostendere, defectum ordinis demonstrare student, et textum emendant aut omittendo plura aut ordine invertendo.

Evangelistam non semper ordinem stricte logicum sequi et aliquando studio brevitatis obscuriorem fieri agnoscimus. Sed haec cum modo scribendi cohaerent et apud alios quoque auctores observantur, e. g. apud Paulum et apud semitas generatim. Quod eo facilius accidere potuit, quia Ioannes suo argumento plenus est et res diu in mente revolvit, ut in scribendo aliqua omitteret, quae in ipsius mente unitatem perfectam

habebant. Alia quae notantur, re accuratius perspecta et adiunctis perpensis nullam praebent difficultatem. Ita plura ex iis, quae ab *ESchwartz* proponuntur, produnt ignorantiam rerum palaestinensium.

Maxime laborant in *Prologo* ad unitatem redigendo, quia putant, quae de Ioanne Baptista dicta sunt (1, 6ss. 15), interpolata esse. Possent haec quidem omitti et hac ratione constitui unitas. Sed ex iis quae antea de Ioanne Baptista diximus (n. 400, 5), manifestum est Baptistam non posse omitti, cf 1, 19ss. 30. In ipso Prologo v. 9 supponit 1, 6ss.

Multum deinde de ordine c. 14-16 restituendo solliciti fuerunt, quem alii aliter sanandum putaverunt. Aut c. 6 ante 5 ponunt et alia. Non negamus aliquando mutationem speciem emendationis prae se ferre, at vix umquam dicenda est necessaria. Si qua est admittenda, supponendum est ordinem turbatum esse mox, postquam Ev promulgatum est, cum in traditione textus nullum vestigium appareat ordinis incerti. Quare incredibile est primitivum ordinem interiisse.

FSpitta, Unordnungen im Texte des 4. Ev, Zur Gesch. u. Litt. des Urchristentums I, Lp. 1893, 155-204; Das Johannes-Ev als Quelle der Gesch. Jesu, Lp. 1910. *HHWendt*, Das J-Ev, Eine Untersuchung seiner Entstehung u. seines geschichtl. Wertes, Lp. 1900; Die Schichten in 4. Ev, Lp. 1911. *JWellhausen*, Erweiterungen u. Aenderungen in 4. Ev, B. 1907. *ESchwartz*, Aporien in 4. Ev, Nachrichten der kgl. Gesellschaft der Wissenschaften Göttingen, philos.-hist. Klasse, 1907, 342-372; 1908, 115-148. 149-188. 497-560. *ACClark*, The primitive Text of the Gospels and Acts, Oxf. 1914, 35. 68ss. *MMeinertz*, Methodisches u. Sachliches über die Dauer der öffentl. Wirksamkeit Jesu, BZ 14 [1916] 238-249. *Lagrange*, Où en est la dissection littéraire du quatrième Evangile, RB 33 [1924] 321-342. *AFaure*, ZNW 21 [1922] 99-121. *FrSmend*, ZNW 24 [1925] 147-150, cf *Zahn*, Einleitung II 568ss. *Feine*, Einleitung.

§ 10. Quaestiones quaedam et dubia circa 4 Ev

413. 1. Praeter ea, quae antea tetigimus, potissimum contra originem apostolicam Evangelii et eius historicam veritatem urgetur terminus *Verbi Dei*. Impossibile esse piscatorem Galilaeum hunc conceptum excogitasse et ad Christum historicum applicasse.

Non huius loci est historiam conceptus *Verbi* (Λόγος) fusius describere neque id necessarium est, cum quaestio possit paucis absolvi. Sive enim Ioannes ipse primus inter Christianos terminum ad Christum applicavit, sive doctrina Cerinthi et aliorum eo inductus est, etiam abstrahendo a nova revelatione et inspiratione facile ex revelatione VT[1] et primae Ecclesiae fide ad ipsum terminum devenire potuit. In libris VT[1] *Sapientia* describitur tamquam persona Prv 1, 20ss; 5, 1ss; 8, 1ss; 9, 1ss. In libro Sirach 24, 5ss (Vg) Sapientia describitur ex Dei ore prodiisse, omnia

lumine suo replevisse, omnes homines ad se invitans, ut omnibus bonis eos repleat. In libro vero Sapientiae 7,22ss iis verbis exhibetur Sapientia, ut fere singula applicari possint et revera applicata sint ad Christum; 9, 1ss ipse terminus Λόγος legitur, cf 18, 15. Ex NT° sufficit in memoriam revocare pauca S. Pauli verba, e. g. 2 C 4,4 Christus *imago Dei*; Ph 2, 6s; C 1, 15ss. 19; 2, 2s. 10; Hb 1, 2s. 10ss, alia. Haec omnia brevissimo compendio quodam comprehenduntur unico termino ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. Cum autem ipse terminus eo tempore esset quam maxime usitatus, eo facilius Evangelistae suggerebatur. At legenti Ev patet, Logon Ioannis quam maxime differre a Logo Philonis et Graecorum philosophorum, ita ut nulla ratione affirmare liceat Ioannem doctrinam de Verbo Dei ex ipsis mutuatum esse. Quicunque libros Philonis attentius perlegerit, ultro dabit nihil commune esse inter Logon Philonis et Ioannis. Doctrinam autem hoc termino comprehensam esse doctrinam Ecclesiae primitivae et ipsius Christi probatione non indiget, neque est, cur hoc loco plura de hac re dicamus.

FrKlasen, Die alttestamentl. Weisheit u. der Logos der jüdisch-alexandr. Philosophie, Fr. 1878. *MHeinze*, Die Lehre vom Logos in der griech. Philos., Oldenburg 1872. *JLebreton*, S. I., Les théories du Logos au début de l'ère chrétienne, P. 1906; Les origines du dogme de la Trinité[4], P. 1919. *EKrebs*, Der Logos als Heiland im ersten Jahrhundert, Fr. 1910. *Lagrange*, Vers le Logos de S. Jean 32 [1923] 161-184. 321-371. *Knabenbauer*, Logos, Lexicon Biblicum (MHagen). *AAall*, Der Logos, Geschichte seiner Entwicklung in der griech. Philos. u. der christl. Literatur 1-2, Lp. 1896-99. *EBréhier*, Les idées philosophiques et religieuses de Philon d'Alexandrie, P. 1908.

2. Quae a recentioribus excogitata sunt et cotidie excogitantur ad Ev explicandum ex philosophia graeca aut mysteriis et religionibus orientalibus aut his omnibus simul sumptis, hic afferre longum est neque opus est, cum ea quae heri statuta et tamquam certa proposita sunt, hodie ab iisdem relinquantur. Quamcunque enim externam similitudinem se detexisse arbitrantur, eam amplectuntur, ut inde Ioannem explicent, etiamsi interna affinitas ne levissima quidem adest. Ita terminos *Lucis*, *Vitae* ex libris *Hermeticis* repetunt (*Norden*, *Reitzenstein*, *Bousset*, alii). *A Grill* (Untersuchungen über die Entstehung des 4. Ev, 1-2, Tb. 1902. 23) totum fere Ev ex cultu Dionysii repetit. Quod refutatione non indiget. Recentissime magis placet omnia undique colligere, ex religione babylonica, ex Parsismo, ex Hellenismo, ex mysteriis Aegyptiacis, et quia recenter Odae Salomonis et libri *Mandaeorum* innotuerunt, fieri non potuit, quin ex ipsis nunc tandem lux exspectetur vel iam dicatur oborta esse, qua Ev tamdiu sigillis septem occlusum nobis aperiatur. *Reitzenstein*, *WBauer*, potissimum *RBultmann* hanc viam ingressi sunt. Bultmann (ZNW 244 [1925] 100-146) omnes fere ideas Evangelii ex his libris derivat, totum mysterium incarnationis, redemptionis, glorificationis.

Nihil refert, quod apud Paulum, Synopticos haec omnia iam inveniun-

tur, quod libri Mandaeorum diu post quartum Ev orti sunt ; cf *MLidzbarski*, Das Johannesbuch der Mandäer, Gie. 1915 ; Mandäische Liturgien, B. 1920 ; Ginza, Der Schatz oder das grosse Buch der Mandäer, Gtt. 1925. Re enim vera, nisi quis negaverit genuinitatem omnium epistularum S. Pauli, Evangeliorum synopticorum, exsistentiam fidei in Christum Messiam et Dei Filium, non poterit ad haec conamina devenire, quae ab eorum auctoribus nomine scientiae venduntur. Praeterea Ev quartum habet perfectam unitatem idearum. Quomodo igitur fieri potuit, ut eius auctor suas ideas undique emendicans hanc unitatem creaverit, in quam pulcherrima quaeque et maxime sublimia congessit, ut omnes, qui ante eum fuerunt et eum secuti sunt, longe superaverit ? Cf *Knabenbauer* in J² 33ss, *Lagrange* in J CXLIII-CLXXXV, *CClemen*, Religionsgeschichtl. Erklärung des NT², Gie. 1924, 259-285.

3. Contra testimonia historica de exsistentia Evangelii quarti et eius auctore videtur stare silentium auctorum antiquissimorum de Ioanne apostolo. *Clemens Rom.* in sua epistula supponit nullum ex apostolis suo tempore fuisse superstitem, cf 42, 2ss ; 44, 1ss. At in contextu non erat ratio commemorandi Ioannem, cum ageretur de tuenda auctoritate eorum, qui ab apostolis aut eorum successoribus Corinthi instituti erant.

Ignatius M. laudat Ephesios πάροδός ἐστε τῶν εἰς θεὸν ἀναιρουμένων, Παύλου συμμύσται, τοῦ ἡγιασμένου, τοῦ μεμαρτυρημένου 12, 2. Cur autem non meminit Ioannis ? Ignatius martyrii desiderio tenetur et de Paulo *martyre* loquitur, quare hic Ioannes non erat commemorandus.

Polycarpus in sua ad Philippenses epistula Ioannis non fecit mentionem, quippe qui non habuit relationes cum illa ecclesia sicut Paulus. Eum autem in hac epistula allegare 1 J certum est. Neque in Polycarpi *Martyrio* exspectanda est narratio de consuetudine Polycarpi cum Ioanne, cum non ageretur de *vita* Polycarpi scribenda.

Corssen ad Vitam Polycarpi a Pionio scriptam provocat, in qua nulla Ioannis mentio fit (ZNW 5 [1904] 266-302). Vitam putat scriptam c. 250. Sed non probatur hanc vitam Pionii esse, a plerisque enim hoc negatur, cf *Bardenhewer*, Gesch. der altkirchl. Lit. 2², 1914, 671, similiter *Lightfoot*, *Funk*, *Duchesne*, *Hilgenfeld* (ZWTh 48 [1905] 444-468), *CSchmidt* (TuU 43 [1919] 705-25), qui censent vitam non esse priorem saeculo quarto. Certo diu ante Pionium indubia adsunt testimonia de Polycarpo et Ioanne et de Apostoli commoratione in Asia.

4. Gravissima difficultas in eo cernitur, quod Synoptici alium diem cenae ultimae et morti Domini assignare videntur quam Ioannes.

Iuxta Synopticos enim Christus pascha manducavit prima die azymorum, Mt 26, 17 ; Mr 14, 12 ; L 22, 7 ; proinde die 14 Nisan, et die 15 mortuus est. Secundum Ioannem vero 13, 1 cena illa, sed non cena paschalis, facta est « ante diem Paschae ». « Iudaei non introierunt in praetorium, ut

non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha » 18,28. « Erat autem parasceve Paschae » 19, 4. Deinde si Ioannes tam sollemniter post mortem Christi ad impletionem vaticinii de agno paschali provocat, 19, 36s, videtur insinuare Christum eo fere tempore esse mortuum, quo agnus paschalis occidi solebat.

Discrepantiae hae multis recentioribus tantae esse videntur, ut eas solvi posse negent. Sed sufficit, si solutionem *probabilem* afferimus. *a*) Antiquiores ex parte censent Dominum cenam celebrasse 14 Nisan secundum legem, Iudaeos autem ob rationem nobis non iam perspectam cenam paschalem in diem sequentem 15 Nisan transtulisse, quod Ioannes insinuet. Translationem autem illo anno factam esse innui a Mr 14, 12 verbis ὅτε ἔθυον τὸ πάσχα, et a L 22, 7 ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα, cf *Cornely* III 269ss. Hac suppositione discrepantia sane soluta est, sed non sunt exempla nota eiusmodi translationis.

b) Quapropter alii admittunt translationem per *anticipationem*, ita ut Christus cenam instituerit die 13 Nisan, Iudaei die legali 14. Secundum hanc sententiam Christus mortuus est die 14 Nisan, quod comprobari dicunt ex historia controversiae Paschalis actae exeunte saeculo secundo. De facto constat ex *Irenaei* ad Victorem epistula (*Eus.* HE V 24, 12-17), ex *Polycrate* (*Eus.* l. c. 24, 1-8), qui enumeratis testibus insignibus pergit οὗτοι πάντες ἐτήρησαν τὴν ἡμέραν τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης τοῦ πάσχα κατὰ τὸ εὐαγγέλιον. Alii quidem censent Galilaeis consuetudinem fuisse anticipare immolationem agni paschalis. Sed nullum vestigium talis consuetudinis in fontibus deprehenditur. Alii praeeunte *DChwolson* (Das letzte Paschamahl Christi², Lp. 1908) putant immolationem agni factam esse die 13 Nisan, cenam pro libitu eodem die aut insequenti, si 14 erat feria sexta et sollemnis dies Pascha sabbato celebrandus erat. Secundum principium « Pascha non pellit sabbatum » non licebat vespere (*inter duas vesperas*, inter solis occasum et tenebras agni occidebantur, secundum Ex 12, 6 ; quod tempus in Palaestina est brevissimum) post occasum solis, feria sexta cenam paschalem parare. Unde necessario immolatio anticipanda erat. Sed de hoc non constat, cum saltem post medium saeculum primum agnus paschalis offerretur ab hora nona usque ad undecimam (*Iosephus*, bell. iud. VI 9,3), eadem praxis in Mišna (Pesachim 5, 1) traditur. Haec interpretatio satisfacit modo loquendi Synopticorum et Ioannis. Eam non pauci sequuntur. Alii vero negant ex praxi ecclesiarum Asiae (Quartodecimanorum) argumentum sumi posse, cum in hac praxi non agatur de die 14 aut 15 Nisan, sed de accommodatione ad Iudaeos in festo Paschae celebrando. At hoc sustineri non potest, cf *CSchmidt* Gespräche Jesu, TuU 43, 598-611.

c) Alii tandem negant esse discrepantiam inter Ioannem et Synopticos. Secundum omnes cenam paschalem habitam esse die 14 Nisan et Dominum sequenti die mortuum esse. Verba Ioannis posse conciliari cum Synopticis. 13, 1ss non negari cenam paschalem, diem ante Pascha computari secundum modum loquendi Graecorum et Romanorum, J 18, 28

posse intellegi de esu epularum sacrificalium sensu latiore, cf 2 Par 35 2ss, Pesachim 9, 5 ubi differentia primae celebrationis et posterioris his verbis enuntiatur: « Pascha in Aegypto comedebatur in festinatione et una nocte, Pascha generationum comeditur septem diebus ». Difficultati ex praecepto requiei sabbatinae, quae ab aliis magnopere urgetur, ita occurrunt, ut dicant emptionem rerum necessariarum fuisse licitam, opera vero vere servilia non a Iudaeis peracta esse. Iudicium et exsecutionem poenae capitalis penes Romanos fuisse.

Immo apud Iudaeos quoque aliquando iudicia capitalia in festis acta esse probabile est, cf *Strack-Billerbeck*, Das Ev nach Mr, L u. J u. die AG erläutert aus Talmud u. Midrasch, M. 1924, 812-853, maxime 815-829 de iudicio instituendo die festo. Sententiae huic adhaerent ex recentioribus *Belser*, *vanBebber*, *Tillmann*, *Cladder*, *Zahn* alii. Sed concedendum est textus Ioannis non facile admittere hanc interpretationem, praxim ecclesiarum Asiae ei contradicere, facta a Synopticis narrata (Mt 27, 59s; Mr 15, 46; Luc 23, 55s) non favere huic solutioni. Quare altera videtur esse praeferenda.

VanBebber, Zur Chronologie des Lebens Jesu, Mst. 1898. *JSchneid*, Der Monatstag des Abendmahls u. Todes unseres Herrn Jesus Christus, Regensbg 1905. *CMommert*, Zur Chronologie des Lebens Jesu, Lp. 1909. *FPrat*, RScR [1912] 82-104. *JBach*, Monatstag u. Jahr des Todes Christi, 1912. *JSickenberger*, Kirchengesch. Festgabe A. de Waal dargebr., Fr. 1913, 289-298. *OGerhardt*, Der Stern des Messias, Geburts-u. Todesjahr J. Chr., Lp. 1922. *FKirmis*, Beiträge zur Frage nach dem Datum der Geburt, des Todes u. des Abendmahls Jesu, Br. 1915, et alia permulta, quae de hac materia scripta sunt.

5. De hora crucifixionis inter Mr 15, 25. 33s et J 19, 14 habetur aliqua discrepantia, secundum Mr Dominus iam hora tertia crucifixus est, secundum J hora fere sexta Pilatus Iesum condemnavit. Eusebius (Ammonius) et auctor Chron. Paschalis, alii suspicati sunt mendum librariorum, qui apud J litteram F (6) et Γ (3) permutaverint. *Hieron.* (Tract. in Ps 37, 2, Anecdota Maredsol. III 2,60) « error scriptorum fuit, et in Marco hora sexta scriptum fuit, sed multi pro ἐπισήμῳ graeco putaverunt esse gamma. Alia ratio solutionis desumitur ex diversa horarum computatione, cf *Knabenbauer* in Mr² 416-420, *Lagrange* in Mr³ 401, qui supponunt computationem magis indeterminatam apud Marcum, secundum quam non horae singulae numerabantur, sed ternae, hora tertia, sexta, nona. Proinde similis ratio computandi, ut adhibita est in computandis horis nocturnis prima, secunda, tertia vigilia.

Alia quaedam interpretationi relinquenda sunt.

§ 11. De Commentariis et subsidiis in quartum Ev

414. 1. Ex antiquis permulti Ev quartum commentariis instruxerunt. *Heracleon* gnosticus s. 2 initium videtur fecisse; eius interpretationes *Origenes* in suo Commentario saepe commemorat; Fragm. collecta ab *AE-Brooke*, The Fragments of Heracleon, Texts and Studies 1, 4. Ca. 1891.

Origenes c. a. 220 Alexandriae incepit suos commentarios, in quibus

perficiendis laboravit usque ad a. fere 232 Caesareae. Secundum *Euseb.* HE VI 28 in tomo 22 mentio fit persecutionis Maximini Caesaris (235-238). Ad nos pervenerunt tomi 1 2 10 12 20 28 32, partes 6 19, ex reliquis sola fragmenta, MG 14, ed. recent. *EPreuschen*, Lp. 1903.

S.Ioannes Chrys. Ev 88 (87) homiliis exposuit, in quibus maxime theologiam Evangelii attingit (contra Anomaeos), MG 59.

S.Cyrillus Alex. multa in suo commentario de Christi divinitate tradit, mysticam interpretationem non neglegens, MG 73s. *Nonnus Panopolit.* paraphrasin versibus exhibet, MG 43, 749-920. Chrysostomum sequuntur *Theophylactus*, MG 123, 1133-1347; 124, 10-317, *Euthymius*, MG 129, 1107-1501. *Theodori Mopsuesteni* fragmenta graeca ex catenis collecta apud MG 66, 727-785. *Theodori* commentarius in versione syriaca ed. a *Chabot*, P. 1897. Aliorum interpretum graecorum fragmenta leguntur in Catena *Corderii* (Antv. 1530) et *Cramer* (Ox. 1844).

S. Ephraem in Evangelii Expositione multa ex J fusius tractat. Scholia *Gregorii Barhebraei* e Thesauro Mysteriorum ed. *RSchwartz*, Gtt. 1878.

Ex *Latinis S. Augustinus* primo loco nominandus est, Tractatus 124 in J, ML 35, 1379-1976. *S.Beda* hunc commentarium in breviorem formam redegit, ML 92, 635-938, sec. alios Commentarius est *Alcuini*, ML 100, 733-1008.

Bruno Astensis, ML 165, 541-604. *Rupertus* Tuitiens., ML 169, 205-826.

B.Albertus M. diligenter sensum litteralem exponit et nexum indicat (Lugd. 1651), *S. Thomas* brevior est. *S.Bonaventura* praecipue tuetur sensum litteralem, ed. critica Operum t. 6 (Quaracchi 1893).

2. *Recentiores* quoque saepe operam dederunt Evangelio explicando, inter quos nominamus *Caietanum*, Evv, t. 4, Lugd. 1639; *FrToletum*, R. 1588; *Maldonatum*, sicut in aliis Evv in J quoque interpretando eminet (desideratur c. 18s); *Cornelius a Lapide* suo modo materiam copiosam tradit, Antw. 1681; *Natalis Alex*, P. 1703; paulo postea *ACalmet* O. S. B.

His addendi sunt qui omnium Evangeliorum Commentarium conscripserunt, quos antea enumeravimus.

3. Ab ineunte saeculo 19 plurimi de quarto Ev disseruerunt. *JKlee*, Mainz 1829. *AMaier* 1-2, Carlsruhe u. Fr. 1843-45. *Patrizi* S. I., R. 1857. *AMessmer*, Innsbr. 1860. *ABisping*, Mst. 1869. *DHaneberg-Schegg* 1-2, M. 1878-80. *Corluy* S. I.², Gandavi 1880. *FrXPoelzl*², Graz 1896. *PSchanz*, Tb. 1885. *Fillion*, P. 1887. *MacEvilly*, Dublin 1889. *Klofutar*², Viennae 1894. *IKnabenbauer* S. I.², P. 1906, CSS. *ThCalmes*, P. 1904, *JBelser*, Fr. 1905. *FrTillmann*, B. 1914. *MJLagrange*, P. 1925. *WvonKeppler-SWeber*², Unseres Herrn Trost, Fr. 1914. *A. Durand*, P. 1927.

4. Interpretatio *acatholica : Calvinus* interpretatus est Ev, *Luther* Sermones ultimos post cenam. *FrALampe* 1-2, 1725s. *ATholuck*⁷, Gotha 1857. *BWeiss-Meyer*⁹, Gtt. 1902. *EWHengstenberg* 1-3, B. 1861ss. *ChRLuthardt* 1-2², Nürnbg. 1875s. *FGodet* 1-2, 1864s, germ. *Wunderlich* u. *Schmid*³, Hannover 1890-92. *HJHoltzmann-WBauer*³, HC, Tb. 1908. *Fr-*

Overbeck, ed. a *Bernoulli*, Tb. 1911. *WBauer*[2], HB, Tb. 1925. *BFWestcott*[2], Ld. 1919. *ThZahn*[5/6], Lp. 1921. *WHeilmüller*[3], Gtt. 1918. *HBSwete*, The last Discourse and Prayer of our Lord, Ld. 1913. *PGardner*, Ld 1918. *Strack-Billerbeck* II, 1924.

2. Alia subsidia: *LVenard*, DThC 8,537-584. *FrBlass*, Ev sec. J cum variae lectionis delectu, Lp. 1902. *AdMerx (JRuska)*, Das Ev des J nach der syr. Palimpsest-Hs, B. 1911. *Keppler*, Das J-Ev u. das Ende des ersten Jahrhunderts, Rottenbg. 1883; Die Composition des J-Ev, Tb. 1884. *FrGutjahr*, die Glaubwürdigkeit des irenäischen Zeugnisses über die Abfassung des 4. kan. Ev, Graz 1904. *MLepin*, L'origine du quatrième Ev, P. 1907; La valeur historique du quatr. Ev 1-2, P. 1910. *BWeiss*, Das J-Ev als einheitl. Werk geschichtlich erklärt, B. 1912. *HAppel*, Die Echtheit des J-Ev, Lp. 1915. *JDrummond*, An Inquiry into the Character and Authorship of the fourth Gospel, Ld. 1903. *HGebhardt*, Die Abfassungszeit des J-Ev, Lp. 1906. *EStange*, Die Eigenart der johanneischan Produktion, Dresden 1915. *JHaussleiter*, Zwei apostol. Zeugen für das J-Ev, M. 1904. *ASchlatter*, Die Parallelen in den Worten Jesu bei J u. Mt, Gü. 1898. *JSchniewind*, Die Parallelperikopen bei L u. J, Lp. 1914. *FrXMonse*, Johannes u. Paulus, Mst. 1915. *WLütgert*, Die Johanneische Christologie[2], Gü. 1916. *GStellinger*, Textfolge der johann. Abschiedsreden, W. 1918; Geschichtlichkeit der Joh. Abschiedsreden, 1919. *WWrede* Charakter u. Tendenz des J-Ev, Tb. 1903.

CAPUT II

DE EPISTULIS S. IOANNIS

§ 12. De epistula prima

415. 1. S.Ioannes Apostolus trium epistularum auctor in catalogis ss. librorum habetur. Non omnium quidem epistularum eadem est ratio. Prima enim non solum multo maior est aliis, sed quod formam externam attinet, ab iis distinguitur, cum careat inscriptione, salutatione, nullam auctoris aut lectorum mentionem faciat. Quare multis non tam epistula quam commentatio esse videtur.

2. Quamvis autem epistula nullum prae se ferat auctoris nomen, tum externa testimonia tum interna argumenta originem Ioanneam indubiam reddunt.

a) *S.Polycarpus* ad Phil. 7. 1 allegat 1 J 4, 1s simul coniungens cum 2 J 7. *Papias* secundum *Euseb.* HE III 39, 17 ex 1 J testimonia profert. *Iustinus* Dial. 123, 9 manifeste alludit ad 1 J 3, 1 θεοῦ τέκνα ἀληθινὰ καλούμεθα καὶ ἐσμέν. *Irenaeus* pluries allegat epistulam III 16,5. 8, longiores textus exscribens et nomen auctoris tradens (1 J 2,18-22; 4,1ss; 5, 1). Fragmentum *Muratori.* 27-31 haec docet : « Quid ergo mirum, si Iohannes tam constanter singula etiam in epistulis suis profert dicens in semetipsum : Quae vidimus... » 1 J 1, 1ss. Fuse allegatur eadem epistula a *Tertulliano*, maxime de Pudicitia 19. Alexandrini, *Clemens*, *Origenes* in idem conveniunt testimonium. Unde patet epistulae accedere unanime testimonium antiquitatis.

b) Tanta porro est epistulae primae et quarti Evangelii affinitas, ut certissimum sit eundem utriusque esse auctorem. Non solum enim verborum et locutionum est summa similitudo, sed etiam modus concipiendi, ideae, sententiarum constructio conveniunt inter se, ita ut interpretes longum catalogum texere possint, quibus haec repraesentantur, cf *Holtzmann-Bauer*[3], 320s ; *Westcott*, The Epistles of St. John[4], XXXIX-XLIII ; *Brooke*, The Johannine Epistles, I-XXVII.

Satis clare enuntiatur idem *finis* J 20, 31 et 1 J 5, 13, et per totam epi-

stulam idem argumentum tractatur, Iesum esse Christum, Filium Dei, 1 J 1, 3 ; 2, 1. 22ss ; 3, 5. 8. 23 ; 4, 2s. 14ss ; 5, 1. 4-10. 13. 20. Idem inculcatur mandatum magnum et unicum J 13, 34s ; 15, 12ss. 17 ; 17, 21s; et 1 J 2, 7-10 ; 3, 10-18. 23 ; 4, 11. 20s ; 5, 1.

Praeterea epistula disertis verbis alludere videtur ad Ev, cf J 1, 14 ; 19, 35 et 1 J 1, 1ss ; 5, 6ss. Sunt etiam qui 1 J 2, 14 (ter ἔγραψα) ad Ev antea scriptum referant.

In epistula aliquae locutiones quidem occurrunt, quae in Ev non leguntur, κοινωνία 1 J 1, 3. 6. 7 ; ψευδοπροφῆται 4, 1 ; ἀντίχριστος 2, 18. 22 ; 4, 3 ; σπέρμα Θεοῦ 3, 9 ; τελείόω 2, 5 ; 4, 12. 17. 18 ; magis etiam in epistula redemptio effertur. Oppugnatio quoque falsorum doctorum in epistula magis explicita est quam in Ev. Sed haec ex diversa indole epistulae facile explicantur. Simul autem confirmatur fidelitas Evangelistae in referendis verbis Christi in Evangelio, cum in epistula suo ingenio indulgeat, quod non facit in Evangelio.

416. De *auctore, lectoribus, falsis doctrinis* in epistula impugnatis.

1. *Auctor* alloquitur lectores suos tamquam auctoritate inter eos praeditus, eis notus, cum iis familiariter agens. Manifestat se fuisse testem eorum quae docet, se habere communionem illam cum Deo et eius Filio, ad quam lectores perducere intendit ; cf 1, 1-4 ; 2, 7s. 12-15 ; 5, 6. 14ss ; 5, 13. Quam familiariter eis utatur, ostendit allocutionibus τεκνία μου 2, 1. 12. 28 ; 3, 7. 18 ; 4, 4 ; 5, 21 ; τέκνα 3, 1. 2. 10 ; 5, 2 ; παιδία 2, 14. 18 ; ἀγαπητοί 2, 7 ; 3, 2. 21 ; 4, 1. 11.

2. *Lectores* ex longiore tempore fidem habent, 1 J 2, 7. 18. 24 ; 3, 11 ; secundum 5, 21 sunt ethnicochristiani, quoniam ab idolorum cultu deterrentur. Praemuniendi sunt contra pericula. Sed Apostolus laudat eorum fidelitatem et constantiam, eos in veritate firmos stare gaudet, 2, 20ss. 27 ; 3, 15s. Cum autem sint iidem lectores, ac illi quibus Ev destinatur est, eos ex Asiae ecclesiis esse certum est.

Apud Latinos ex tempore S. Augustini 1 J saepe allegatur tamquam scripta *ad Parthos* (cf Quaest. evang. 2, 39, ML 35, 1353, et ipsi tractatus in epistulam ita inscribuntur). Graeci codices tres 62 (Soden α 453) 325 (antea 30, Soden α 111) 459 (antea 89, Soden α 104) 2 J ad Parthos scriptam habent. Unde autem haec inscriptio orta sit, nondum exploratum est. Cum sententia eorum qui putant Ioannem Parthis Ev praedicasse, nulla probabilitate gaudeat, inscriptio certo non refert veram traditionem. Quia Clemens Alex. dicit, epistulam alteram scriptam esse πρὸς παρθένους, fuerunt qui suspicarentur vocem παρθένους corruptam esse omissione duarum litterarum ad Πάρθους. Hanc autem inscriptionem corruptam translatam esse ad 1 J. Cum 1 J plerumque coniuncta esset cum aliis epistulis et inscriptione careret, hypothesis non videtur impossibilis esse, quamvis sit artificiosa et quod plus est, in traditione graeca nullum huius rei vestigium habeatur. *Zahn* alio modo solutionem tentavit ipse quoque provocans ad Clementem, qui scriptam habet 2 J ad quandam *Babyloniam Electam*. Hanc autem Electam eandem fuisse Clementi, quam

Coëlectam 1 P 5, 13, quae est Babylone. Electam igitur 2 J Babyloniam habuit, ergo epistula ad Parthos destinata. Latinos autem falso interpretatos esse πρὸς παρθένους, et ita inscriptionem ad virgines in Adumbrationibus ortam esse, Augustinum vero et alios inscriptionem *ad Parthos* ad 1 J applicasse. Sed fatemur hanc interpretationem esse magis artificiosam quam veri similiorem, cf *Bludau*, ThGl 11 [1919] 223-236.

3. Aperte in epistula impugnantur falsae doctrinae, multi enim pseudoprophetae in mundum exierunt, 4, 1 *antichristi* appellantur, mendaces 2, 21s ; ergo Christi persona impetitur. Quod crimen gravissimum est 2, 18. 22. Error vero in eo est, quod de Christo falsa pronuntiant, unitatem solventes, dum negant Iesum esse ὁ Χριστός (2, 22), Christum in carne venisse 4, 2s. Proinde agitur de eadem haeresi, quam Apostolus in Evangelio impugnat. Consequenter negant ipsum quoque Patrem, qui caritatem suam maxime in Filio mittendo manifestat 2, 22 ; 4, 15s ; 5, 10. 20. « Deus caritas est » 4, 8. 16. Non autem agitur de doketismo, cum adversarii non negent humanam naturam Iesu, sed unitatem Iesu hominis cum Christo. Propterea negant veram redemptionem per sanguinem Christi. Videntur praeterea oppugnasse necessitatem redemptionis, non se agnoscunt peccatores, 1, 7-10 ; 4, 1-6.

Cum his erroribus dogmaticis coniungitur error moralis ex illis descendens, caritatem potissimum neglegunt, et spiritum mundi fovent 2, 15ss ; 3, 18ss.

Propugnatores vero harum doctrinarum ex ipsis ecclesiis christianis exorti sunt, 2, 19. 26 ; 3, 6.

417. Epistulae *argumentum* ex his colligitur : vindicatur divinitas et unitas Iesu Christi, veritas redemptionis per sanguinem Christi, necessitas redemptionis ex peccato, fides in Christum et caritatem Patris, praeceptum caritatis proximi et odium mundi. Haec autem ita tractantur, ut inter se coniungantur, quia inter se cohaerent.

Dispositio difficilius quidem agnoscitur, sed recte videmur nobis cum aliis tres distinguere partes, quae omnes idem fere argumentum, sed sub alio respectu et progrediendo tractant.

Brückner, 1 J, 1863 ; *ABisping*, 1 J, 1871 ; *ThHäring*, Gedankengang u. Grundgedanken des I J, Theolog. Abhandl. f. *CWeizsäcker*, Fr. 1892, 173-200 ; *ZNW* 18 [1917] 163s ; *Wiesinger*, ThStKr 72 [1899] 575-581 ; *Erasmus Nagl* O. Cist., BZ 16 [1922] 77-92.

Exordium (1, 1-4) : Apostolus tamquam finem enuntiat *Societatem* lectorum cum Patre et Filio, vitam aeternam, quam *annuntiat* (κοινωνία, ζωὴ αἰώνιος, ἀπαγγέλλομεν, ἀγγελία).

I. *Annuntiatio* est (1, 5-2, 28) : *Deus lux est*, ergo societas cum Deo postulat vitam lucis, quae includit agnitionem peccati et necessitatis

redemptionis, fugam peccati et observationem mandatorum, praecepti caritatis, fugam mundi, et eorum qui veritatem negant Iesum esse Christum, qui et Patrem et Filium negant 2, 22s, qui non habent societatem cum Patre et Filio. ὁ ὁμολογῶν τὸν υἱὸν καὶ τὸν πατέρα ἔχει 2, 23; ἐν τῷ υἱῷ καὶ ἐν τῷ πατρὶ μενεῖτε 2, 24. αὕτη ἐστὶν ἡ ἐπαγγελία, ἣν αὐτὸς ἐπηγγείλατο ἡμῖν, τὴν ζωὴν αἰώνιον 2, 25; cf 1, 2-3.

II. *Deus iustus est*, et qui facit iustitiam, ex Deo natus, filius Dei est, tanta caritas Dei (2, 29-4, 6). Ex filiatione Dei obligatio sanctificationis sequitur, quia Deus sanctus est (3, 3), et obligatio praecepti caritatis verae et efficacis secundum exemplum Christi, in qua caritate et observatione mandatorum est *societas* (ἐν αὐτῷ μένει καὶ αὐτὸς ἐν αὐτῷ 3, 24), criterium autem societatis est Spiritus Dei, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse 4, 2.

III. *Deus caritas est* (4,7-5,21), et omnis caritas ex Deo est, qui misit Filium suum, ut vitam et propitiationem in eo habeamus (4, 9s). Proinde praeceptum caritatis, ut societatem cum Deo habeamus (4, 12. 16). Caritas timorem expellit (4, 17ss).

Caritas autem proximi est caritas erga eos, qui ex Deo nati sunt, qui credunt, quoniam Iesus est Christus (5, 1ss). Haec vero fides habet firmissimum testimonium Dei, in ea est victoria mundi et vita aeterna (5, 5-13).

In fide vera est radix fiduciae, tutela contra peccatum et mundum, societas cum veraci Deo et Filio eius Iesu Christo, qui est verus Deus et vita aeterna (5, 14-21). Ita Apostolus redit ad initium epistulae.

Modus loquendi magnam similitudinem habet cum Evangelio, facile enim ostendi possunt stichi paralleli, similis, immo maior etiam concatenatio, repetitiones, difficilius autem strophae veri nominis distingui possunt.

418. De *integritate* textus 5, 7, de Commate quod dicitur *Ioanneum* : « Tres sunt, qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra ». Ita legitur textus Vulgatae 5, 7s, dum graeci codices ita habent ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες, τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ αἷμα καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν (Vg *et hi tres unum sunt*). De genuinitate textus latini et eius origine multum disputatum est.

1. Rationes autem addubitandi Comma sunt testimonia codicum graecorum, versionum, Patrum. Codices *graeci* carent textu, nam pauci illi, qui eum tradunt, potius latini dicendi sunt quam graeci. Cod. 173 (Soden α 161, Gregory 635), Neapol. saec. 11 habet Comma in margine scriptum manu saeculi 16/17. Cod. 629 (Gregory, α 460 Soden); Vatic. Ottobon. 298, saec. 15, graeco-latinus textum ex Vg desumpsit; cod. Dublinensis scriptus c. 1520; Ravianus descriptus e Polyglottis Complutensibus. Unde patet omnes hos codices nullius esse auctoritatis.

Versiones orientales Comma non continent, quantum codices examinati sunt. Editiones autem aliquae, ut posteriores syrae^{p} aut armeniacae ab Oskean et Zohrab editae textum e Vg susceperunt fatentibus editoribus.

Patres graeci nullam faciunt commatis mentionem, ne illi quidem, qui contra Arianos et Macedonianos dogma catholicum defendebant. Exponentes autem nostram epistulam omittunt textum, *Clemens* Alex. (MG 9, 738), *Didymus*, sed eius testimonium non probat, cum omittatur 5, 6-13, *Oecumenius*, *Theophylactus*, *Euthymius*. Auctores, qui allegant textum 5, 6-8, aut de tribus testibus loquuntur, nihil tradunt de commate, *Hippolytus*, *Origenes*, *Gregorius Naz.*, *Cyrillus Alex.*, *Germanus*, alii.

Versio *latina vetus* non habet comma, excepto fragmento Frisingensi *r*, saec. 6/7 (*de Bruyne*, Collect. Biblica lat. 5, R. 1921), ubi legitur post 5, 8, et codice *p* saeculi 13, qui fere textum Vulgatae exhibet.

Codices *Vulgatae* antiquissimi *Amiatinus*, *Fuldensis*, *Armachanus*, *Sangermanensis*, *Vallicellanus* non habent comma. Textum habent *Cavensis*, *Lemovic.*, *Complut.*, *Toletan.* praeterea in Prologo in epistulas catholicas (canonicas) codicis fuldensis, qui *Hieronymo* adscribitur, sed eius non est, trium testium caelestium mentio fit. Ex his videtur consequi textum non fuisse primitus in Vg S. Hieronymi. Hieron. ipse commomorat quidem disputationes inter fratres, quomodo Pater et Filius et Spiritus Sanctus et tres sint et unum sint, sed loquitur de Mt 28, 19 (Anecdota Maredsol. III 3, 74).

Latini *patres Hilarius*, *Augustinus*, *Leo M.* non habent comma ; Leo in ep. ad Flavianum (ep. 28, 5, ML 54, 77) allegat totum contextum, quin comma afferat. *Tertullianus* (adv. Prax. 25), *Cyprianus* (de Eccl. unitate 6) habent verba « tres unum sunt », sed aut alludunt ad J 10, 30 aut ex 1 J 5, 8 illationem faciunt. Idem apud *Augustinum* in I tr. 36, 10 et alios.

2. Primus testis videtur esse *Priscillianus* (Liber apolog. 4, ed. *Schepss*, Vindob. 1889, 6), qui ita exhibet : « tria sunt quae testimonium dicunt in terra, aqua, caro et sanguis et haec tria in unum sunt ; et tria sunt, quae testimonium dicunt in caelo pater, verbum et spiritus et haec tria unum sunt in Christo Iesu ». Ergo ordine inverso testes terreni et caelestes, sicut codex *r*. In nostra forma textus allegatur primum in Symbolo Africano a. 484, eodem tempore a *Victore Vitensi* africano, a *Fulgentio Ruspensi* africano (s. 6).

Quomodo textus paulatim ortus sit, non satis constat, sed videtur originem ducere ex 5, 8 et varias induisse formas, donec ad eam, quae in posterioribus Vulgatae codicibus legitur, formam et eum ordinem pervenerit.

3. De *genuinitate* textus decretum S. Officii 13 Ianuarii 1897 egit (ASS 29 [1897] 637) et proponens dubium : « Utrum tuto negari aut saltem in dubium vocari possit, esse authenticum textum S. Ioannis in epistola prima cap. V. vers. 7., qui sic se habet : Quoniam tres sunt qui testimonium dant in coelo : Pater, Verbum et Spiritus S., et hi tres unum sunt ? respondit *Negative*. De sensu huius decreti multum disputatum est.

Nuper edita est sequens declaratio ipsius S. Officii : Declaratio ab eadem Suprema Sacra Congregatione inde ab initio privatim data ac postea pluries repetita, quae nunc ipsius auctoritate publici iuris fit : « Decretum hoc latum est, ut coerceretur audacia privatorum doctorum ius sibi tribuentium authentiam commatis Ioannei aut penitus reiciendi aut ultimo iudicio saltem in dubium revocandi. Minime vero impedire voluit, quominus scriptores catholici rem plenius investigarent atque argumentis hinc inde accurate perpensis, cum ea, quam rei gravitas requirit, moderatione et temperantia, in sententiam genuinitati contrariam inclinarent, modo profiterentur se paratos esse stare iudicio Ecclesiae cui a Iesu Christo munus demandatum est Sacras Litteras non solum interpretandi, sed etiam fideliter custodiendi ».

Feria V, die 2 Junii 1927. Aloisius Castellano, Supremae S. Congr. S. Officii Notarius (*Enchiridion Biblicum*. Documenta ecclesiastica Sacram Scripturam spectantia, auctoritate Pontificiae Commissionis de Re Biblica edita, R. 1927, n. 121).

4. A recentioribus saepius in genuinitatem Commatis inquisitum est. *KKünstle*, Das Comma Joanneum, Fr. 1905, *ABludau*, Or. christ. 3 [1903] 126-47 ; BZ 13 [1915] 26-50. 130-62. 222-43 ; ThGl 11 [1919] 9-15. 379-86 et alia. *EMangenot*, Le Comma Joanneum, Extrait de la *Rev. des Sciences eccles.*, 1907. *Höpfl*, III, 403-11. *Ruffini*, Introductio, II, 1, 407-16. *JLebreton*, Les Origines du Dogme de la Trinité [6], 645-52. *Cornely*, III, 668-82.

Plerique auctores catholici hodie inclinant in sententiam genuinitati contrariam et censent Comma paulatim ad eam formam pervenisse, quam Vulgata nostra prae se fert.

§ 13. De secunda et tertia epistula Ioannis

419. 1. De 2 et 3 epistula Ioannis olim testibus *Origene*, *Eusebio Hieronymo* et aliis et versionibus antiquis dubia erant. Sed habent non minus quam prima antiquissima testimonia.

Fragmentum *Muratori* asserit : « et superscripti Iohannis duae in catholica habentur » (68s). Quae duae epistulae, cum antea prima commemoretur, duae minores intellegendae esse videntur. Quod eo certius est, quia ubicunque secunda epistula agnoscitur, tertia quoque agnosci solet. *Irenaeus* secundam epistulam sub nomine Ioannis allegat (I 16,3), iterum III 16, 8 (in *praedicta* epistula, antea allegata erat *prima* epistula). *Polycarpus* ad Phil. 7, 1 videtur coniungere 1 J 4, 3 et 2 J 7. *Clemens Alex.* primam epistulam appellans *maiorem* ostendit se minores novisse, quod verbis Eusebii comprobatur asserentis Clementem omnes epistulas catholicas interpretatum esse, et reliquiis Hypotyposium demonstratur (MG 9, 737ss, cf *Cassiodori* de institut. divin. litt. 8, ML 70, 1120). *Origenes* loquitur de *epistulis* Ioannis (hom. 7 in Jos), *tres* autem esse docet in J tom

5,3. Ibi secundum *Euseb.* (HE VI 25,9s) dubia de genuinitate vel canonicitate secundae et tertiae epistulae refert. *Dionysius Alex. (Euseb.* HE VII 25,11) loquitur de secunda et tertia epistula, *quae feruntur*, insinuans, epistulas non esse ab omnibus receptas, antea locutus de epistula *catholica* (prima) 25, 7. 8. 10. *Eusebius* III 25,3 commemorat secundam et tertiam J sive Evangelistae sunt, sive alterius eius cognominis. Demonstrat. Evang. 3,5 dicit Ioannem in suis epistulis nomen suum non apponere aut Seniorem se appellare. *Hieron.* haec dubia de auctore ita enuntiat, ut dicat a *plerisque* reliquas duas epistulas Ioannis Presbyteri asseri (de vir. ill. 9). Quae verba, nisi vox *plerique* sensu valde restricto sumitur, sane non sine exaggeratione dicta sunt. Sed revera illa vox iam eo tempore incipit sensum latiorem induere, ut significet *aliquos*. Nam aliqui tantum epistulas Ioanni *Presbytero* tribuunt neque certam sententiam, sed opinionem enuntiant. Nam praeter eos, quos modo allegavimus, in solo decretali Romano a. 384, quod probabiliter est Damasi, legimus : « Ioannis Apostoli epistula una, alterius Ioannis presbyteri epistulae duae » (D 84). Sequentia vero concilia omnia hanc distinctionem omiserunt, omnes tres epistulas Ioanni apostolo attribuentes. Ipse *S.Hieron.* pluries epistulas Apostolo adscribit, ep. 53, 8 ; 123, 12 ; 146, 1, alibi. Nihilominus fuerunt, qui propter eius auctoritatem alteram sententiam repeterent.

Veteres Latini *Tertullianus* et *Cyprianus* epistulas non allegant, et Tertullianus ita loquitur, ut solam primam epistulam agnoscere videatur, de Pudicit. 19, de Praescript. haeret. 33, « Ioannis epistula ». At veteres saepius ita loquuntur, v. g. *Irenaeus*, ubi manifestum est eos plures epistulas novisse. Tempore autem Cypriani in Africa alterum epistulam fuisse agnitam constat ex verbis Aurelii episcopi Chullabensis, qui in concilio Carthaginensi a. 256 coram Cypriano allegat 2 J 10s, hac forma : « Ioannes apostolus in epistula sua posuit », cf Cypriani opera, ed. Hartel, Vindob. 1868, 459s. Cyprianus ipse epistulas numquam allegat, testimonia ex prima, quam frequentissime adhibet, saepe introducit : « Ioannes in epistula sua ». At nihil legitime ex hoc modo loquendi deduci potest, cum Cyprianus saepe ita loquatur, e. g. ep. 55, 18 Paulum allegans dicit : « in epistula sua » (G 6,1s, mox « Paulus in epistula sua » (R 5, 8s).

2. Externis autem testimoniis accedit *internum*, quod utrique epistulae eadem ratione suffragatur. In *secunda* epistula sermo est de eisdem pseudodoctoribus ac in prima (7), sermo est de praecepto novo, de praecepto, quod ab initio audierunt (6s), de agnitione veritatis, de vita in veritate (4. 6), Patrem et Filium habent (9). *Tertia* materiam dogmaticam quidem vix attingit, sed non desunt similes locutiones, « veritati testimonium exhibere, in veritate ambulare » (3. 4. 6), « ex Deo est, Deum non vidit » (11), cf 1 J 3, 10 ; 4, 1. 3ss ; 5, 19 ; J 1, 18 ; 5, 37 ; 6, 46 ; 14, 7, « testimonium perhibemus (12), testimonium nostrum verum est » (12), cf J 5, 31s ; 8, 13s. 17 ; 19, 35 ; 21, 24. Secunda et tertia epistula inter se conveniunt in conclusione, 2 J 12 et 3 J 13s. Ergo idem est auctor

epistularum et Evangelii. Praeterea notamus nullam posse probabilem rationem fictionis tam parvarum epistularum assignari.

420. Utraque epistula a prima eo distinguitur, quod formam epistularum prae se ferunt cum inscriptione et salutatione initio et in fine. Auctor in utraque epistula nomen quidem reticet, sed appellatione lectoribus familiari incipit Ὁ Πρεσβύτερος, et ex toto modo loquendi apparet eum esse virum magnae auctoritatis, et elucet illa cum Patre et Filio *societas*, quae in prima epistula tantopere commendatur, et quam auctor ipse sibi adscribit.

1. Secundae epistulae **inscriptio est]** ἐκλέκτῃ Κυρίᾳ [καὶ τοῖς τέκνοις αὐτῆς, 4 ἐκ τῶν τέκνων σου, 5 ἐρωτῶ σε, Κυρία, 13 ἀσπάζεταί σε τὰ τέκνα τῆς ἀδελφῆς σου τῆς ἐκλεκτῆς. Quae sit *electa Domina* ignoratur, sed nulla probabilitate gaudere eorum opinionem censemus, qui mulierem intellegunt *Electam* aut *Dominam* nomine, potius cum plerisque interpretibus (*Clemens Al.*, *Hieron. Beda*, et recentiores passim) ecclesiam aliquam Asiae minoris designari tenemus, quae ab iisdem haereticis in periculum adduci videtur, qui in prima epistula oppugnantur. Simul commendatur caritas mutua, ut in prima epistula.

Appellatione Κυρία apud *Hermam* saepe Ecclesia designatur, Vis. I 2, 2; 3, 3; 4, 2; II 1, 3; III 1, 3. 8; III 3, 3 traditur interpretatio. Ecclesia Trallensium ab *Ignatio* appellatur ἐκλεκτή (Inscript.).

Inscriptione Ioannes testatur suam et omnium, qui veritatem agnoverunt, caritatem erga *Dominam* propter veritatem, quam habent, et imprecatur veritatem et caritatem 1-3.

a) Monet, ut custodiant mandatum caritatis, quod ab initio acceperunt 4-6.

b) ut caveant seductores, ne mercedem amittant, et participes fiant operum eorum 7-11.

Concludit spem enuntians, se ecclesiam visurum esse et salutationes suae ecclesiae adscribens 12s.

2. *Tertia* epistula inscribitur *Caio*, cui Apostolus bona imprecatur 1-2. Laudatur, quia in caritate ambulat et fratres, Evangelii praecones inter ethnicos benigne suscepit 3-8.

Vituperatur *Diotrephes* (φιλοπρωτεύων), qui Apostolum ipsum verbis carpit et fratres peregrinantes non recipit et eos qui hospitalitatem exercere volunt, ex ecclesia eicit 9-11.

Demetrius quidam commendatur, qui fortasse est ex fratribus illis peregrinantibus, 12.

Conclusione spes visendi ecclesiam enuntiatur et salutationes adscribuntur 13-15.

In epistula *tertia* Apostolus mentionem facit epistulae ad ecclesiam missae, ἔγραψά τι (9), ex qua locutione consequi videtur agi de parva

epistula. Proinde omnino probabilis est sententia hanc esse nostram secundam, quae in modo loquendi et forma adeo cum tertia convenit. Utraque autem epistula videtur scripta esse paulo post primam. Cum in NT nomen *Caii* pluries recurrat, A 19, 29; 20,4 ; 1 C 1, 14 ; R 16, 23, fuerunt qui de uno ex his cogitaverint, sed inquisitio est otiosa, cum nomen frequentissimum fuerit. In Constit. Apost. 7,46 commemoratur Caius a Ioanne institutus episcopus Pergami, sed unde haec traditio hausta sit, non constat.

§ 14. De commentariis et subsidiis in Epistulas Ioannis

421. Veterum interpretationes paucae sunt. *Clementis* Alex. Hypotyposes in 1 et 2 J *Cassiodori* mandato retractatae sunt (MG 9,729-740, *Zahn*, Forschungen 3, 79-92). *Didymus Alex.* Enarrationes scripsit in Epistulas, quarum tantum fragmenta ad nos pervenerunt. Collecta sunt ab Euthymio, et aliae Graecorum interpretationes in catenis traduntur. (Oecumenius, Theophylactus).

Ex latinis S. *Augustinus* primam exposuit Epistulam, *Cassiodorus* omnes tres brevissime (ML 70, 1369-76). Commentarium scripsit *Beda* (ML 93,86-124), ex quo dependet *Wal. Strabonis* Glossa ordinaria.

Posterioris aetatis interpretes praecipui sunt Card. *Hugo*, *NLyranus*, praecipue *Nicolaus de Gorham* O. P., Antwerp. 1617. *Dionysius Carth.*, Col. 1533. Saeculis 16ss praeter eos qui totam SScr aut NT interpretati sunt, *GEstius* et *BarthPetri*, Duaci 1614; *ILorinus* S. I., Lugd. 1909; *IHesselius* 1 J, Lov. 1568; *IPricaeus*, P. 1646 ; *Mich. de Palacios*, Salmant. 1581, alii.

Saeculo 19 et nostro *MANickel*, Mainz 1853. *IMacEvilly*[3], Dublin 1875. *ABisping*, Mst. 1871. *GCMayer*, W. 1851. *JBelser*, Fr. 1906. *PDrach*, P. 1873. *AFrMaunoury*, P. 1888. *APiffard*, S. I., Lille 1904. *VanSteenkiste-Camerlynck*[5], Brugis 1909. *FCCeulemans*, Mechliniae 1904. *ThCalmes*[3], P. 1907. *WVrede*, B. 1915. *HPoggel*, 2 et 3 J, Pdb. 1896.

Acatholici : Luthardt, KC[2], M. 1895. *BWeiss-Meyer*[6], Gtt. 1899. *HWindisch*, HB, Tb. 1911. *Holtzmann-Bauer*[3], HC, Tb. 1908. *OBaumgarten* (JWeiss)[3], Gtt. 19[1]8. *AHarnack*, 3 J (TuU 15, 3), Lp. 1897. *HHWendt*, *Halle* 1925.

BFWestcott[4], Ld. 1902. *RLav*, The Tests of Life[3], Ld. 1914. *CWalson*, 1 J, Glasgow 1910. *AEBrooke*, ICC, Edb. 1912. *IBaljon*, Utrecht 1905.

Alia subsidia: AWurm, Die Irrlehrer im 1. J-Brief, Fr. 1910. *BBresky*, Das Verhältnis des 2. J-Briefes zum 3, Mst. 1906. *JChapman* O. S. B., The historical Setting of the second and third Epistles of St. John, JthSt 5 [1904] 357-368. 517-534. *LVenard*, DThC 8, 584-593.

CAPUT III

DE APOCALYPSI S. IOANNIS

§ 15. De auctore Apocalypsis

422. 1. Ioanni Apostolo adscribitur praeter Ev et Epistulas liber propheticus, alius omnino indolis quam priores, de quibus egimus. Ab ipso auctore liber appellatur *Apocalypsis, Revelatio* (Ap 1,1), et est Prophetia (1, 3 ; 22, 7. 10. 18s). Auctoris nomen est Ioannes (1, 1. 4. 9 ; 22, 8). Alloquitur ecclesias Asiae et se dicit fratrem eorum et socium in tribulatione, qui propter verbum Dei et testimonium Iesu in Patmo insula exsul degit (1, 4. 9).

2. Librum ab antiquissimis scriptoribus agnitum esse ut sacrum et genuinum Ioannis Apostoli opus, permultis testimoniis probatur.

Papiae librum notum fuisse non solum patet ex interpretationibus chiliasticis (cf *Philipp. Sidet.* fragm. 11, 1, *Funk*), sed ex explicito testimonio Andreae Caesariensis (Praef. in Ap, ML 106, 217). Accedit *Iustinus M.*, cuius verba supra retulimus (n. 396, 3), qui Ioannem Apostolum dicit auctorem. Paulo postea ecclesia Smyrnensis in *Martyrio* S. Polycarpi narrando allegat precationem Polycarpi ultimam, quae plures ad Ap allusiones continet. *Melito* autem Sardensis teste Eusebio (HE IV 26. 2) commentarium in Ap conscripsit (c. 170). Eodem fere tempore *Apollonius* scriptor ecclesiasticus, fortasse episcopus Ephesinus (sec. Praedestinati auctorem) contra Montanistas (c. 197, cf *Eus.* HE V 18, 1.12ss) utitur testimoniis ex Ap. *Theophilus* Antioch. sec. Euseb (HE IV 24) contra Hermogenem allegat Ap.

In *occidente* epistula ecclesiarum Lugdunensis et Viennensis allegat Ap 22, 11 verbis « ut scriptura impleretur », praeterea Ap 14, 4 ; 1, 5 ; 3, 14 (*Eus.* HE V 1, 58. 10 ; 2, 3). Maxime autem *S. Irenaeus* utitur Ap, multos textus affert, auctorem explicitis verbis designans, prophetiam non ante multum temporis visam esse, pene sub nostro saeculo, πρὸς τῷ τέλει τῆς Δομετιανοῦ ἀρχῆς, V 20, 3. Praeterea nota est doctrina Irenaei de regno millenario, eius expositio de numero bestiae V 28, 3 ; 30, 1-4. *Hippolytus* librum fere interpretatus est.

Canon *Murator.* loquitur de septem ecclesiis, quibus J scripsit (57ss), et Ap Ioannis recipi docet (71s). *Tertullianus* (adv. Marc. 3, 14 ; 4, 5), *Cyprianus* (de Bono pat. 24 ; ep. 26, 4 ; in Testimoniis) librum allegant et Ioanni tribuunt.

Clemens Alex. libro saepe utitur (Quis dives salv. 42 ; Strom. 4, 25 ; 5, 6 ; 6, 13 ; Paed. 2, 10, 12), *Origenes* (passim, in Jos hom. 7, 1 ; in J 5, 3) praeterea asserit in Mt (Commentariorum Series 49, MG 13, 1673s) se Ap expositurum esse. Num autem hunc commentarium scripserit, non constat (cf *Diobouniotis-Harnack*, TuU 38, 3, 1911).

In *occidente* consensus de genuinitate Apocalypsis excepto Caio Romano numquam infirmatus est. *Victorinus* Petavionensis primum scripsit commentarium latinum in Ap. Auctores vero sequentes saepe librum allegant neque dubia de auctore aut canonicitate emittunt.

3. In *oriente* vero exeunte saeculo secundo ab Alogis, quibus accedit *Caius* Romanus, genuinitas omnium scriptorum Ioannis negata est. *Hippolytus* vero, ut tradit *Dionysius* Bar Salibi (comm. in Ap, P. 1909, 4), contra Caium demonstravit doctrinam Ioannis in Ev et Ap aliam esse ac Cerinthi. Post medium autem s. 3 *Dionysius Alex.* impugnans eos, qui testimoniis Ap abutebantur, Apocalypsim Apostoli esse negat et alii auctori homonymo adscribit, quem tamen virum sanctum et a Deo inspiratum agnoscit (*Eus.* HE VII 25, 7. 26). Ex eius modo loquendi autem evidens est eum non sequi traditionem, sed novam adstruere opinionem, quae apud Orientales quosdam aliquo tempore recepta est, ita ut *Eusebius* dubius sit (HE II 25, 2. 4). *Cyrillus Hieros.*, *Gregorius Naz.* Ap omittunt, *Chrysost.* eam numquam allegat. Sed eodem tempore *S. Athanasius*, postea *Epiphanius*, *Gregorius Nyss.*, *Basilius*, *Cyrillus Alex.* librum agnoscunt. Initio vero saeculi 4 *Methodius* Ap saepius allegat. Postea apud Graecos quoque communi assensu recepta est. *Andreas* episcopus Caesar. s. 6 ineunte librum interpretatus est, *Arethas* s. 9 exeunte secutus est Andream. Concilium *Trullanum* Apocalypsim reliquis NT^1 libris adnumerandum decrevit.

Copti librum agnoverunt, in utraque enim versione habetur. *Armeni* vero Ap non ab initio ut canonicam agnoverunt. Neque *Syri* eam primitus in canone habuerunt, cum in versionem Pešitto non sit recepta et canon *Sinaiticus* Ap omittat. Ex *Aphraate* nullae allegationes afferri possunt, ex *Ephraem* solum allusiones quaedam ; nam de genuinitate operum graecorum non constat. Versio *Philoxeniana* Ap recepit, *Syropalaestinensis* vero eam fortasse non habuit, cum nulla fragmenta inventa sint, cf n. 26s. 29. In *Chronico Arbelae* mentio fit persecutionis Domitiani et Ioannis his verbis : « Quomodo illa manus, quae scripsit sententiam Ioannis apostoli, non statim obriguit et ab omni motu cessavit, et quomodo poenae, quas ille in sua Apocalypsi denuntiat super malos et impios ; non statim irruerunt super eum et in profundum inferni demerserunt » (p. 24).

423. Testimonium externum *internis* argumentis eatenus confirmatur, quatenus nullus est liber NT[1], qui ideis, locutionibus et tota ratione et indole tantopere accedat ad Ev et epistulas Ioannis ac Ap.

Christus apud solum J vocatur *Verbum Dei* 1, 1. 14 ; Ap 19, 13, ubi magna cum emphasi haec appellatio Christo tribuitur, cf 1 J 1, 2. Gloria autem Christi, de qua in Ev toties est sermo, nullibi tam magnifice describitur ac in Ap. Christus est Agnus Ap 5, 6. 8. 12, cf Ev 1, 29. 36 ; 19, 36s. Christus est sponsus et Ecclesia sponsa, Ap 21, 2. 9 ; Ev 3, 28.

In terminis quoque est affinitas, voces μαρτυρία, μαρτυρεῖν, ἀληθινός, τηρεῖν, ζωή, θάνατος, νικᾶν, διψᾶν, ὄψις, et alia quaedam ab auctore Evangelii et epistularum et Apocalypsis peculiari modo et sensu adhibentur, ut aliqua affinitas agnoscenda sit. Quare ex hac parte traditio, quae eundem Apostolum auctorem Evangelii et Apocalypsis habet, commendatur.

424. Sed *Dionysius Alex.* in sua ad Nepotem epistula maxime ad *interna* criteria provocat, ut ostendat Evangelii et epistulae primae auctorem non posse eundem esse ac auctorem Apocalypsis.

1. Nihil autem ex eo concludi potest, quod in Ev et epistulis auctor nomen suum non posuit, in Ap id fecit. Non enim omnino eadem est ratio Evangelii et primae epistulae et aliarum epistularum et Ap. In 2 et 3 J, quae sunt proprie epistulae, nomen quidem ipsum non legitur, sed auctor ita loquitur, ut statim agnoscatur (*Presbyter*). Ap autem est secundum formam externam epistula, cf 1, 4 ; 21, 21.

Recentiores notant Ap 18, 20 non posse scriptum esse ab Apostolo : « Exsulta super eam (Babylon) caelum et Sancti et Apostoli et prophetae ». Sed nihil ex his verbis concludi potest, cum agatur de iudicio de urbe, quae Apostolos et prophetas persecuta est et occidit, Ioannes sine dubio hic mentionem facit Petri et Pauli Romae occisorum. Nec 21, 14 numerus duodenarius Apostolorum, qui sunt duodecim fundamenta muri civitatis, insoliti quid habet, cum sciamus imaginem fundamenti ad Apostolos in Evv et in epistulis S. Pauli transferri.

2. Contra idearum et locutionum similitudinem supra laudatam iam Dionysius opposuit diversitatem linguae et totius indolis libri. Non negamus permulta in hac ratione proferri posse, quae non leves differentias inter Ev et Ap ostendunt. Primo enim dicitur Ev scriptum esse lingua satis pura et eleganti, Ap barbarismis et soloecismis abundare. Quae cum aliqua veritatis specie dici concedimus. At linguae puritas in Ev non leviter exaggeratur, cum in Ev quoque locutiones duriores, quae potius hebraismi sunt, occurrant. In Ap autem offendimus saepe constructiones incongruas, quae ostendere videntur auctorem ignorasse primas grammaticae leges, cf 1, 4. 5 ; 2, 20 ; 3, 9. 12 ; 4, 1 ; 7, 9 ; 9, 13 et alia. Quare quis posset suspicari auctorem nullo modo tenere leges linguae. Sed

melius inspicientem non fugit pluries agi de locutionibus sollemnibus, quae ut indeclinabiles adhibitae esse videntur, 1, 4s ἀπὸ ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, καὶ ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ μάρτυς, ὁ πιστός, cf 1, 8 ; 4, 8. Alibi vero agitur de constructione secundum sensum, ubi post locutionem abstractam aut metaphoricam ponitur concretus terminus, cf 3, 8 ἐκ τῆς συναγωγῆς τοῦ σατανᾶ, τῶν λεγόντων ἑαυτοὺς Ἰουδαίους εἶναι, cf 4, 1 ; 7, 9 ; 9, 13s. Aut appositio additur non eodem casu, sed in nominativo, quae est constructio minus stricta, ut fere aequet sententiam relativam, cf 2, 20 ἀφεῖς τὴν γυναῖκα Ἰεζάβελ, ἡ λέγουσα ἑαυτὴν προφῆτιν, καὶ διδάσκει, aut 3, 12 τῆς καινῆς Ἰερουσαλήμ, ἡ καταβαίνουσα, cf 21, 2. 10. Nescio an haec plerumque ex intentione auctoris determinata procedant, quia haec ratio loquendi fortasse maiorem vim habet. Sane qui centies leges grammaticas observat non censendus est eas ignorasse. Aliquomodo fortasse lingua cum indole apocalyptica libri cohaeret.

Quod autem *hebraismos* attinet in nostro libro frequentissimos, linguam, imagines adeo ab Evangelio diversa, hoc eo facillimam habet explicationem, quod ipsae visiones proponuntur lingua et forma propheticorum librorum VT[1]. Sufficit inspexisse editiones Apocalypsis a Hetzenauer aut Scrivener aut Nestle factas, in quibus ad marginem notantur loci VT[1] paralleli aut typis similitudo repraesentatur.

Hanc vero similitudinem censemus ab auctore esse intentam, ut lectores relationes inter prophetias VT[1] et NT[1] facilius perspicerent, immo non improbabile esse putamus hoc ab ipso S. Spiritu suggestum esse. Nam etsi omnino concedimus saepe similes imagines et locutiones in Apocalypsi ad aliud referri quam apud Ezechielem aut Danielem aut Zachariam, tamen hac similitudine demonstratur eundem esse spiritum et ea quae in VT° leguntur, ad alia posse transferri.

3. Tandem ex *doctrinae* diversitate auctorum Evangelii et Apocalypsis diversitas affirmatur.

a) *Iudaismum* ab auctore Apocalypsis propugnari contendunt. Sed non solum universalitas ubique in libro docetur (cf 5, 8ss ; 7, 9ss ; 21, 24), sed etiam Iudaei ipsi acriter oppugnantur, 2, 9 ; 3, 9. Si autem ex omnibus tribubus Israel multi signantur et in portis novae urbis Ierusalem nomina duodecim tribuum Israel descripta esse dicuntur, nihil aliud significatur, nisi Israel quoque habere partem in nova urbe. Quae doctrina plane respondet doctrinae Domini et S. Pauli. Civitatem vero novam Ierusalem esse Ecclesiam glorificatam manifestum est.

b) Cum quorundam opinio sit in Ev doceri spiritalem tantum adventum Christi, spiritale iudicium internum, ex hac quoque parte oppositionem inter Ev et Ap statuunt. At Apocalypsim totam esse *imaginem* patet, neque in Ev vera corporum resurrectio negatur, sed saepe asseritur, 5, 21. 28s ; 6, 39. 44. 54 ; 11, 24 ; 12, 48 ; 1 J 2, 17s. 28 ; 3, 2 ; 4, 17. Tum in

Ev et epistula tum in Ap autem docetur iudicium futurum esse secundum opera et ipsius hominis liberam electionem.

c) Christi munus porro in Ev non aliter describitur, quam in Ap. Neque enim in Ap solum ut vindex et iudex depingitur, sed in epistulis ad ecclesias simul promittit salutem 2, 7. 9ss. 17. 25-29 ; 3, 4s. 11s. 20s ; 5, 9s. 12 ; 7, 17 ; 21, 23 ; 22, 12. 16. Ceterum ipsa libri indoles, cum sit prophetica et consolatoria servis Dei et promittat victoriam contra omnes hostes, necessario postulat, ut Christus describatur tamquam victor et triumphans de omni potestate diaboli. In Ev autem Christus non minus se iudicem venturum esse denuntiat vel iudicium exercet, cf 3, 26 ; 5, 22-29 ; 7, 33s ; 8, 15s. 21. 24s. 34s. 44 ; 9, 41 ; 12, 48. Immo aliqui ex recentioribus asserunt Christum a Ioanne in Ev ita describi severitate Iudaeos castigantem, ut a Synopticis longe differat.

d) Saepius quidem in Ap de angelis et diabolo sermo est. At hoc facile intellegitur, cum agatur de apocalypsi, in qua res futurae imaginibus exhibentur et tum adiutores Dei et hominum tum adversarii et potestates inimicae nobis proponuntur. Sed ne in hac quidem re est discrimen inter utrumque librum, cum in Ev non raro sit sermo de angelis 1, 51 ; 5, 4 ; 12, 29 ; 20, 12, de principe huius mundi 12, 31 ; 16, 11 ; 14, 30, de potestate daemonum Ev 13, 2. 27 ; Ap 12, 9 ; 13, 14 ; 2, 9s. 13 ; 3, 9, homines peccatores filii diaboli J 8, 38. 41 ; 1 J 3, 10 ; Ap 12, 9s ; 20, 2. 10.

§ 16. De argumento et ordine Apocalypsis

425. 1. Argumentum libri esse propheticum iam diximus, sed ita est propheticum, ut praesentia quoque tangat. « Scribe ergo quae vidisti, et quae sunt et quae futura sunt post haec » 1, 19. Ea autem quae *sunt*, potissimum describuntur 2, 1-3, 22, attamen in sequentibus praesentia aliquoties tangi videntur, et in priore parte futura praedicuntur aut comminationes enuntiantur, 2, 5. 10. 16. 22s ; 3, 5. 9ss, et in fine singularum epistularum promissiones vitae futurae traduntur.

Secundum formam *externam* vero Apocalypsis est *epistula*, quae suam habet inscriptionem et in fine salutationem. Prior pars tamquam introductio habenda est 1,9-3,22. Sed pars haec secundum mentem auctoris essentialiter ad librum pertinet et intime cum eo coniuncta est. Principalis tamen pars est 4,1-22,5, quae primario agit de futura Ecclesiae sorte. Haec autem sors descripta est in libro divino, septem sigillis obsignato, *testamentum* Dei est ad homines, quod resignatur coram propheta (5,1.6-10).

2. *Argumentum* hoc fere modo proponi potest.

Libri Inscriptio 1, 1-3.

Exordium quod duplici sectione constat (1, 4-8 et 9-20), continet *salutationem*, exhibet *auctorem* Ioannem (1, 4. 9s), eius condicionem, ultimum auctorem Deum ipsum et Iesum Christum, qui venturus est, determinat ecclesias septem Asiae, quibus liber destinatus est (1, 11-20, septem candelabra aurea et septem stellae).

I. Pars prior : Septem epistulae ad septem ecclesias 2, 1-3, 22.

Quae epistulae omnes eadem ratione dispositae sunt, ut ab initio nomen ecclesiae ponatur, sequatur Christi descriptio secundum ea, quae antea (1, 5-8. 12-18) de eo dicta sunt, praesens status ecclesiae exhibeatur et concludatur admonitione et promissione, quae promissio quaedam ex ultimis libri capitibus, ex descriptione aeternae felicitatis continere solet.

Ecclesiae hoc ordine sequuntur : Ephesus 2, 1-7, Smyrna 2,8-11, Pergamum 2, 12-17, Thyatira 2, 18-29, Sardes 3, 1-6, Philadelphia 3, 7-13, Laodicaea 3, 14-22.

Cum in epistulis ad has ecclesias scriptis plurima narrentur, quae ad eorum statum praesentem historicum pertinent, certum est epistulas primario ad has ecclesias esse destinatas. Nihilominus numero *septenario* videtur insinuari has septem ecclesias repraesentare *omnes* Asiae ecclesias et aliquomodo *totam* Ecclesiam Christi. Ex 1, 4 autem patet totum librum, alteram quoque eius partem immediate ad has ecclesias scriptam esse.

II. Pars altera : Testamentum Dei 4, 1-22, 5.

Introductio : 1. Visio caelestis, thronus Dei, 24 seniores, 7 spiritus, animalia, laudes divinae, 4, 1-11. 2. Liber in manu Dei 7 sigillis signatus, solus Agnus dignus librum aperire, ipsi et Deo laus ab omni creatura 5, 1-14.

Liber resignatur 6, 1-8, 6 (-22, 5).

1. Agnus aperit sex priora sigilla 6, 1-17. Sigilla 1-4 quattuor equi : equus albus, eques victor 6, 1s ; equus rufus, gladius magnus 6, 3s ; equus niger, statera, fames 6, 5s ; equus pallidus, Mors et Infernus 6, 7s.

Sigillo *quinto* resignato martyres sub altari conspiciuntur petentes vindictam, differuntur donec numerus fratrum compleatur 6, 9ss.

Sigillo *sexto* resignato signa magna in natura, planctus hominum, venit dies magnus irae 6, 12-17.

2. *Septimi* sigilli resignationem praecedit signatio servorum Dei ex Israel et omnibus populis, qui venerunt ex magna tribulatione et salvati sunt per Agnum 7, 1-17.

Aperitur septimum sigillum, silentium in caelo, 7 angeli cum 7 tubis praeparantur 8, 1-6. *Septem tubae* :

Tubae 1-4, grando et ignis cum sanguine in terram 8, 7 ; mons magnus in mare 8, 8s ; stella magna in flumina 8, 10 ; sol et stellae percutiuntur 8, 12 (tertia pars).

Tubae quinta usque ad septimam annuntiantur triplici Vae 8, 13.

Tuba quinta, primum Vae, plaga locustarum 9, 1-12 (rex earum angelus Abyssi).

Tuba sexta, Vae secundum 9, 13-11, 14 : quattuor angeli solvunt exercitum equitum, tertia pars hominum occiditur 9,13-21. Propheta accipit novum librum, ut praeparet consummationem mysterii 10, 1-11. Propheta templum metitur, duo testes prophetant, occiduntur a bestia, resurgunt, pars decima civitatis destruitur, homines pereunt, reliqui dant gloriam Deo 11, 1-14.

Tuba septima (Vae tertium) 11, 15-14, 20. Annuntiatur iudicium futurum in caelo, arca foederis, tempestas 11, 15-19.

Magnum signum, mulier et draco, filius ad Deum abreptus, draco e caelo deiectus. *Vae* terrae propter iram draconis, bellum contra mulierem et semen eius 12, 1-17.

Duae bestiae (draconis ministri) e mari et e terra ascendentes, quae bellum gerunt cum sanctis et eos seducere conantur 12, 18-13, 18 ; prima bestia 13, 1-10, altera 13, 11-18, *numerus* bestiae.

Agnus in monte Sion, qui bestias devicturus est, cum redemptis 14, 1-5. Annuntiatio Evangelii aeterni, *interitus Babylonis*, admonitio ad homines, ne seducantur per bestiam (tres angeli) 14, 6-13. Descriptio iudicii proleptica, sedens super nubem, tres angeli 14, 14-20.

3. Septem angeli, *septem plagae novissimae.* a) Antequam describitur effusio phialarum, ostenduntur salvati in caelo 15,1-4, exeunt septem angeli et iubentur effundere phialas suas 15, 5-16, 1.

b) *Effusio phialarum* breviter absolvitur usque ad sextam 16, 2-16, post tertiam et sextam brevis aliqua interiectio 16,5ss. 15. Quattuor primae phialae (16, 2-9), similes sunt tubis primis quattuor 8, 7-12.

c) Effusionem septimae phialae sequitur tempestas et terraemotus, et annuntiatur iudicium magnae urbis Babylon 16, 17-21 (similia post sexti sigilli solutionem 6, 12-17, et post septimam tubam 11,19).

d) *Iudicium meretricis magnae Babylon* 17, 1-19, 10.

Ostenditur vati meretrix, Babylon magna, et visio explicatur 17, 1-18.

Angelus de caelo descendens annuntiat interitum Babylonis 18, 1-3.

Alius angelus monet populum Dei relinquere Babylon, et exhortatur ad vindictam et describit interitum et planctum, gaudium caeli et sanctorum 18, 4-20.

Alius angelus actione symbolica absolutum interitum urbis repraesentat 18, 21-24.

In caelo cantatur laus Deo de iudicio meretricis et regno Dei instanti et nuptiis Agni cum sponsa 19, 1-10.

4. *Pugna Verbi Dei* et victoria et regnum Verbi 19, 11-20, 6.

Verbum Dei, Rex Regum 19, 11-16, pugna bestiae et regum terrae, bestia et pseudopropheta vivi in stagnum mittuntur, draco ligatur per mille annos 19, 17-20, 3. Prima resurrectio, regnum cum Christo 20, 4-6.

5. *Consummatio* 20, 7-22, 5.

Satan post mille annos solutus ultimum bellum movet (Gog et Magog), devictus in stagnum mittitur, ubi bestia et pseudopropheta in aeternum cruciantur 20, 7-10.

Iudicium secundum librum vitae, mors et infernus in stagnum missi 20, 11-15.

Novum caelum et nova terra, in quam nova Ierusalem descendit 21, 1-8.

Sponsa Agni describitur, gloria et regnum cum Deo 21, 9-22, 5.

Epilogus : Veritas prophetiae, eius imminens impletio affirmatur ab angelo, a Ioanne, a Christo 22, 6-17. Contestatio prophetae 22, 18s.

« Venio cito, veni Domine Iesu », benedictio 22, 20-21.

§ 17. De compositione et unitate libri

426. Ex libri dispositione modo descripta constat Apocalypsim esse maxime artificiose compositam. Quod sub multiplici respectu ostendi potest.

1. a) Ab initio habetur duplex illud exordium 1, 4-8 et 9-20, in quo eadem fere ratione ut in aliis libris Ioannis eadem materia bis exponitur, ita tamen ut progressus habeatur, cum et ea quae de Ioanne dicuntur 1,4, fusius et clarius dicantur 1,9s ; et quae de ecclesiis 1,4 fusius 1,11.20 ; et quae de Christo 1, 5-8 similiter 1, 12-18.

b) Antea notavimus epistulas septem eandem formam prae se ferre et initio describere Christum secundum varias proprietates ex 1, 5-18 aut ex fine libri desumptas, et promissiones in fine epistularum enuntiatas simili modo recurrere in descriptione felicitatis novae Ierusalem.

c) Magna autem ars cernitur in compositione partis principalis tum in numero septenario pluries adhibito, tum in parallelismo singularum partium, tum in tota compositione. *Numerum septenarium* esse sollemnem in Ap facile evincitur. Septem sunt ecclesiae et angeli ecclesiarum, septem spiritus Dei 1, 4 ; 3, 1 ; 4, 5 ; 5, 6. Agnus habet septem cornua et septem oculos 5, 6 ; septem commemorantur tonitrua 10,3s, septem millia hominum occiduntur terraemotu 11, 13, draco habet septem capita et diademata 12, 3, bestia de mari ascendens septem capita habet 13, 1, meretrix habet septem capita, septem montes et septem reges 17, 3. 7. 9.

Potissimum autem numerus septenarius in ipsa libri compositione valet. Liber *testamenti* obsignatus est septem sigillis, quae resignanda sunt coram lectore. Ex solutione vero sigilli septimi oritur novus septenarius tubarum, et septimam tubam excipiunt septem phialae novissimae. Haec autem esse ab auctore ita intenta patet.

d) In ipsa deinde descriptione singulorum cernitur magna similitudo, quae non exorta est casu. Primus enim septenarius sigillorum et alter tubarum ita disponuntur, ut primus quisque quaternarius (6, 1-8 et 8,7-12) breviter absolvatur et a sequentibus omnino differat (6, 9-8, 1 et 8, 13-11, 14). Progressus autem et ars in eo quoque agnoscitur, quod cum solutione sexti sigilli, cum sexta tuba, cum sexta phiala alia quaedam coniun-

guntur, quibus attentio magis excitatur et nova praeparantur, cf 6, 12-7,17 ; 9, 13-11, 14 ; 16, 12-16.

e) Quod vero descriptio plagarum saepe interrumpitur, ideo factum esse videtur, ut lector varietate hac, dum modo in caelum elevatur, modo in terra versatur, eventus secundum diversos respectus diiudicet et ex contemplatione consilii divini res in terra gestas melius intellegere possit. Quapropter pluries eventus anticipando describuntur, ut decursum rerum perspiciamus, antequam gestae sunt, et sciamus Christi causam futuram esse victricem et electos, quamvis summis periculis et hostibus atrocissimis exponantur, non esse perituros. Ideo exhibentur signati illi plurimi ex Israel et multitudo innumera ex omnibus gentibus 7, 1-17, qui cum angelis laudes Deo canunt et quorum beatitudo describitur. Similiter ante descriptionem tubae septimae annuntiatur regnum Dei et remuneratio sanctorum 11, 15-18. Draconi porro et bestiis illis ex mari et terra (12, 3-13, 18) opponitur Agnus circumdatus turba eorum qui empti sunt de terra 14, 1-5.

Antequam septem angeli effundunt phialas suas 16, 1ss, ostenduntur salvati, qui canunt canticum Moysis 15, 1-4. Similia valent de descriptione interitus meretricis magnae 18, 1-24.

Haec omnia si perpenduntur, argumenta certa sunt deliberati consilii et ostendunt auctorem secutum esse hoc consilium ab initio neque illud umquam reliquisse. Ergo de unitate auctoris et compositionis ex his factis omnino constat.

2. Eadem conclusio confirmatur ex linguae, idearum et symbolorum unitate.

Supra notavimus in epistulis locutiones cum terminis aliarum partium perfecte convenire. Idem observatur in multis vocibus, quae auctori familiares sunt et passim per totum librum leguntur.

IRohr, ThQ 88 [1906] 497-541 ; 89 [1907] 321-365. *MKohlhofer*, Die Einheit der Ap, Fr. 1902. *Allo*, Commentarius in Ap LXVIII-XCVI, CXXIX-CLXIII. *Zahn*, Einleitung II 594-610.

427. Hac autem unitate operis, quae tum ex compositione tum ex lingua manifesta est, non excluditur dependentia auctoris a fontibus. Libros enim VT[1] Ioanni imagines, ideas, locutiones saepius subministrasse patet, neque est, cur negemus Apostolum terminos quosdam linguae religiosae orientalis recepisse. Sed fere omnia ex VT° repeti possunt. Quae omnia cum unitate libri optime componere licet.

1. Sed recentiores quidam longius procedunt. Postquam enim *H Grotius* (1644) operis unitatem addubitavit, saeculo 18 quaestio fontium denuo

agitata est. *Vogel* (1811ss) et *Schleiermacher* (1845) librum ex pluribus fontibus coaluisse asserebant, recentiores fontium indolem sive iudaicam sive christianam definiunt aut Apocalypsim antiquiorem exeunte saeculo primo retractatam esse contendunt. *DVölter* (Die Entstehung der Ap, Fr. 1882; 2. ed. 1885, Die Offenb. Joannis, 1904; Die Offenb. Joh. neu untersucht, 1911) postquam sententiam suam pluries mutavit, docet Ap primitivam c. 65 scriptam esse, paulo postea (68) additas esse visiones de interitu urbium Romae et Ierusalem, mox Cerinthum quaedam apposuisse, tandem sub Domitiano a redactore opus esse absolutum. Haec sententia, quatenus statuit primam compositionem tempore Neronis, pluribus ex recentioribus arridet, cum bestiam intellegant Neronem et Ierusalem urbem nondum destructam esse asserant. Cui opinioni adhaerent *Barth*, *Bruston*, aliquomodo *Spitta*, *JWeiss*, *Jülicher*. Sed ex parte dissentiunt supponentes Apocalypses iudaicas a christianis retractatas, *EVischer*, *Harnack*, *Herm. von Soden*, *JWeiss*, *OHoltzmann*, *Spitta*, alii. Plerique ex auctoribus allegatis praeterea statuunt permultas interpolationes, similiter alii qui unitatem libri admittunt, e. g. *Charles*, *Lohmeyer*.

Primitivae Apocalypsis auctorem plures censent esse Ioannem Marcum, alii Ioannem Apostolum, redactorem Cerinthum aut Presbyterum Ioannem aut ignotum aliquem.

Quae sententiae omnes neglegunt perfectam unitatem compositionis libri et supponunt falsam eius interpretationem, cum ea quae de Ierusalem dicuntur, ex mente auctoris symbolice intellegenda sint. Idem valet de Nerone, si interpretatio nominis est accipienda. Quare omnia illa conamina determinandi accurate tempus originis harum sectionum sunt irrita. Si vero ostendi posset Ioannem in libro componendo adhibuisse fontes scriptos, vel sua ipsius scripta priora, unitas libri non destrueretur, dummodo retinemus Apostolum haec ad suum finem ordinasse et vero sensu esse auctorem.

2. Aliam viam ingressi sunt, qui ideas et linguam Apocalypsis ex religionibus orientalibus derivant et mythos babylonicos vel alios quoscunque in Ap inveniunt. Quam viam primus secutus est *HGunkel* (Schöpfung u. Mythus, Gtt. 1895; Zum religionsgesch. Verständnis des NT², Gtt. 1910), similia proferunt *AJeremias* (Babylonisches in NT, Lp. 1905), *HGressmann* (Ursprung der israelitisch-jüdischen Eschatologie, Gtt. 1905), *FrBoll* (Aus der Offenbg Joannis, Stoicheia I, Lp. 1914). Haec et similia, quantum ostendere student, ideas aliquas orientales in Ap sua habere vestigia, modum concipiendi caelum et mundum visibilem esse fere eundem, linguam sequi locutiones illo tempore communes, aliqua ex parte admitti possunt, sed haec saepe exaggerantur. Si vero ex linguae similitudine concludunt ad idearum convenientiam, ac si Ioannes illas quoque ideas mythologicas sequeretur, falluntur, neque ullo probabili argumento talem relationem demonstrare possunt. Hoc autem iam ideo prorsus incredibile est, quia supponendum esset Ioanni originem mythologiae babylonicae aut aegyptiacae fuisse cognitam. Alia quae ab aliis recentioribus excogitata

sunt, utpote omnino absurda, omittimus (*NMorosow-ADrews*, Die Offenbg Joh. 1912).

3. Unitate autem libri demonstrata et admissa de *tempore* originis quoque constat, quod ex traditione *(Irenaeus)* est regnum Domitiani.

Irenaeus autem accuratius definit tempus loquens de fine imperii (81-96). Quod eo confirmatur, quia Ioannes se dicit exsulem in insula Patmo propter testimonium Iesu. Domitianus vero circa finem imperii sui fere ab anno 94 Christianos vexare coepit. Status porro ecclesiarum, qui in Ap supponitur, argumentum est librum non scriptum esse ante finem saeculi primi. *S.Epiphanii* vero sententia, qui Ap imperante *Claudio* Caesare scriptam esse censet (haer. 61, 12), nullo modo sustineri potest.

§ 18. De interpretatione Apocalypsis

428. Cum ab antiquissimis interpretibus usque ad recentissimos ne apud catholicos quidem sit sententia unanimis de prophetiae explicatione et sensu, tantum proponere possumus, quid cum aliqua verisimili ratione dicere liceat. Nam quavis ab omnibus catholicis Ap agnoscatur tamquam liber propheticus, circa alia omnia fere differunt sententiae.

1. Non enim consentiunt in definiendis epistulis (Ap 2-3), an argumentum ab illis incipiat aut potius a capite quarto, an tribulationes in epistulis praedictae (2, 10; 3, 10), sint eaedem, quae postea tam late describuntur. Hoc enim suaderi videtur, praesertim cum promissiones epistulis adnexae tantopere respondeant beatitudini in fine libri descriptae. Multo magis autem haec interpretatio commendari videtur, si cum permultis in septem ecclesiis cernimus totam Ecclesiam. At res non est certa.

2. Altera vero quaestio magnopere agitatur, num ordo symbolorum sit ordo quoque eventuum, ita ut eventus inter se sequantur et se excipiant, sicut sequuntur in libro resignatio septem sigillorum, tubae septem, phialae septem. Sic permulti dicunt omnia secundum ordinem temporis esse disposita; inter recentiores *Belser*, *Cornely*.

Atque huic interpretationi favere videtur ipsa libri compositio, cum singula symbola ita se excipiant, ut nova ex prioribus quasi enascantur.

3. Nihilominus ab antiquitate fuerunt, qui ordinem temporis in Ap non agnoscerent, sed eosdem eventus vel similes sigillis, tubis, phialis praenuntiari crederent. Fortasse prima huius interpretationis vestigia inveniuntur apud *Tertullianum*. *Victorinus* vero docet: « Tuba verbum est potestatis, et licet repetat per fialas, non quasi bis factum esse dicit, sed quoniam semel, quod futurum est ad eos, decretum est eis ut fiat, ideo bis dicitur.

Quidquid igitur in tubis minus dixit, id in fialis propensius dixit. nec aspiciendus est ordo dictorum, quoniam septiformis Spiritus S., ubi ad novissimum temporis finemque percucurrit, redit rursus ad eadem tempora et supplet quae minus dixit. nec requirendus est ordo in Apocalypsi, sed intellectus requirendus » (8, 2, ed. *Haussleiter*, Vindob. 1916, 84ss). In eandem sententiam *S.Augustinus* loquitur, de Civit. Dei 20, 14-17. Quae ratio interpretationis multis placuit, ita ut haec *recapitulatio* variis quidem formis exposita multos habeat asseclas. Ex antiquis *Ticonius*, *Andreas Caesariensis*, *Primasius*, *Beda*, *Alcuinus*, *Walafridus Strabo*, et plerique *interpretes latini*. Ex acatholicis *ICocceius* (1668), *ThBrightman* (1616), *INewton*, alii. Inter eos sunt qui perfectam identitatem sigillorum et tubarum admittunt, aut etiam phialarum, alii autem solas quasdam partes inter se identicas esse volunt, aut solum generatim aliquam repetitionem statuunt, quin asserant agi de iisdem omnino eventibus. Sed in sigillis et tubis et phialis vident seriem fere eandem eventuum praedictam, qui tamen sub aliis considerationibus describuntur.

4. Huic sententiae mitigatae ut probabiliori accedimus non perfectum parallelismum singulorum sigillorum, tubarum, phialarum statuentes, sed recapitulationem aliquam eorundem eventuum admittentes. Censemus enim in Apocalypsis compositione idem observari posse, quod antea pluries maxime apud Ioannem vidimus, eadem bis aut ter repeti progrediente quidem sermone, sed non simpliciter nova enuntiante. *a*) Cui interpretationi ipse modus loquendi favere videtur. Tubae 1-4 (8, 7-12) et phialae 1-4 (16, 2-9) tantam habent inter se similitudinem, ut omnes interpretes eam agnoscant. Si autem tum tubae hae tum phialae singulae inter se comparantur, manifestum est numerum quaternarium non exhibere seriem quattuor eventuum sibi succedentium, sed esse tantum descriptionem magnae alicuius plagae, quae terram, mare, flumina, stellas afficiat, id est universum mundum sensibilem creatum. Hae plagae proinde non secundum ordinem eventuum describuntur. Iam si intra singulas series ordo rerum non habetur, ne in serierum consecutione quidem exspectandus est. *b*) Accedit quod in prima serie, in sigillorum resignatione, simile quid observatur. Quae sigillo secundo, tertio, quarto annuntiantur, non magis ordinem aliquem chronologicum insinuant, quam ea quae de tubis et phialis diximus. *c*) Porro interpretes non fugit has plagas primas respondere in fere omnibus iis, quae Christus in sermone eschatologico docet, cf Mt 24, 6-7. 14. Sextum autem sigillum ea enuntiat, quae secundum Mt 26, 29s immediate praecedere videntur parusiam Christi (Ap 6, 12-17). Quare ex hac quoque consideratione elucere videtur Ioannem iam in primo septenario eventus perducere usque parusiam immediate instantem. Novae proinde series non tam eventus omnino novos denuntiant, quam prius descriptos ulterius evolvunt.

Quaedam autem ab auctore non ordine historico narrari ab omnibus conceditur, neque id prudenter negari potest. Quomodo enim vates eventus anticipet, primi sigilli solutio ostendit, ubi describitur Ev per mundum

suum triumphum agens 6, 1s. Omnibus autem fatentibus mulier illa 12, 1ss est Ecclesia, sive mater omnium credentium. Haec autem describitur eo loco tamquam parturiens id est in suis primis initiis. Post sigilli quinti resignationem conspiciuntur martyres petentes vindictam 6, 9ss, sed postea demum (12, 3ss; 13, 1ss. 11ss) exhibentur potestates inimicae, draco et bestiae, quae bellum gerunt cum sanctis et eos vincunt et occidunt 13, 7. 15. Alia ratione ordo historicus excluditur in longa illa serie visionum, quae agunt de interitu meretricis magnae; incipit haec a capite 14, 6 (8) et tandem finitur 19, 8, in qua serie potius dramatica descriptio habetur quam historicus decursus. Quapropter his perpensis longe probabilior nobis videtur esse interpretatio illa, quae principio recapitulationis nititur.

Eam recentiores aliqui simili ratione tuentur, e. g. *Allo*.

429. Ex iis quae modo exposuimus, elucet a nobis teneri illam interpretationem Apocalypsis, quae in ea videt ultimam Ecclesiae aetatem potissimum praedictam et descriptam. Sed maxima in hac re est interpretum discrepantia. Alii enim nobiscum ultima Ecclesiae tempora tangi putant, alii totam Ecclesiae historiam ab initio usque ad finem, alii Ecclesiae initia solum usque ad saeculum fere quintum.

1. Ad *prima* Ecclesiae *saecula* referunt Ap eatenus antiqui, quatenus de imperio romano librum interpretantur. Sed alio sensu posteriores, qui sola prima tempora vaticiniis delineata esse volunt. Maxime in hac interpretatione versatur *LdeAlcazar* (Vestigatio arcani sensus in Ap, Antv. 1614-19), qui a praedicatione Apostolorum usque ad Constantinum fata Ecclesiae descripta esse censet, Constantinum esse angelum, qui ligat Satanam et adducit regnum millenarium. Similia exponunt *ASalmeron* S. I. (Colon. 1616), *ACalmet* O. S. B., *Bossuet*, *Allioli*, alii.

2. *Totam* vero Ecclesiae *historiam* libro esse delineatam permulti a saeculo 12 exeunte usque recentissima tempora docent, qui nova semper excogitantes secundum temporum progressum singulas aetates singulis sigillis, tubis, phialis attribuunt. Primus *Ioachim de Floris* († 1202) septem Ecclesiae aetates distinxit, et recapitulationem perfectam docet. Prima aetas est Apostolorum et persecutionis iudaicae, Ap 2-3; secunda Martyrum a Nerone usque ad Diocletianum, 4-7; tertia Doctorum Ecclesiae et haereticorum Arianorum, 8, 1-11, 18; quarta Virginum, vitae contemplativae et eius adversarii Mahometanismi, 11, 19-14, 20; quinta pugnae Ecclesiae contra Imperium Romanum depravatum, 15-18; sexta aetas Antichristi, 19; septima regnum Millenarium cum ultimis bellis; sequitur Consummatio (Expositio in Ap, Venet. 1527). Plures secuti sunt hac via, sed alio modo aetates definientes, inter quos *Petrus Ioannis Olivi*, s. 13 exeunte, qui primus videtur Antichristum dixisse Papam et Fredericum II; *Ubertinus de Casale*, s. 14, duas Bestias declaravit esse Bonifa-

cium. VIII et Benedictum XI; similia docent Wicleffitae, Hussitae, Reformatores.

3. Aliam viam ingressi sunt, qui reiciunt recapitulationem, sed totam Ecclesiae historiam descriptam esse censent a Ioanne usque finem mundi. Quae interpretatio invenitur apud *Aureolum*, s. 14 ineunte, *Nicolaum Lyranum*, *BHolzhauser* (s. 17). Alii catholici, maxime praeeunte *FrRibeira* S. I. s. 16 exeunte, putant auctorem loqui de suo tempore et de ultimo et omittere tempora intermedia, eius vestigia sequuntur *BPereyra* S. I., *BIViegas*, *Cornelius a Lapide*, S. I., *AMenocchio* S. I., alii. Ex acatholicis plures ad similes interpretationes accesserunt, sed plerumque Antichristum aut Bestias interpretantur Papam et Imperium *(Luther, Osiander, Calovius)*.

4. Quam interpretationem ex protestantibus primus reiecit *HGrotius* (Adnotationes in NT, P. 1644), qui sequitur in multis Alcazar, sed magis quam ille singula exponit et exquirit et consequenter a vero magis recedit. Eorum interpretatio ab aliis acceptata est, catholicis et acatholicis. Aliquomodo his adnumerandus est *Mariana* S. I., qui antiquos et Alcazar sequitur in exponenda Bestia et eius vulnere, quae intellegit de Nerone et eius reditu (Scholia in V et NT, 1619-24).

5. *Regnum millenarium* hac in terra ab antiquis *Iustino*, *Irenaeo*, *Hippolyto*, *Tertulliano*, aliis, *Ioachim*, postea a protestantibus *Vitringa*, *Bengel* defenditur, catholici quoque aliqui in eandem redeunt sententiam, ut *REyzaguirre* (Apocalypseos interpretatio litt., R. 1911), maxime autem sectae recentissimae. At de earum opinionibus non est hic disputandum, cum nimis absurda sint quae proponunt.

6. Explicationem vero *eschatologicam*, secundum quam ultima Ecclesiae tempora praedicuntur, permulti ex antiquis profitentur, etsi alii ex aliis suppositionibus, *Irenaeus*, *Hippolytus*, *Primasius*, *Theodoretus*, *Gregorius M.*, et ex recentioribus plerique catholici *Bisping*, *Fillion*, *Cornely*, et aliqui ex protestantibus, *Kliefoth*, *ThZahn*. Quam sententiam probabiliorem habemus. Sed ex aliis quoque interpretationibus aliquid veri in nostram assumimus. Censemus enim recte a multis cerni allusiones in Ap ad historiam primae Ecclesiae, ad pericula et persecutiones illius temporis, praeterea bestia e mari ascendenti significari imperium romanum, meretrice magna Romam urbem, et capite illo vulnerato, cuius vulnus sanatum est (13,3), Neronem in Dominatiano reducem, maxime cum et nomen Neronis gesserit et divinos honores postulaverit et propter suam crudelitatem portio de Neronis crudelitate dictus sit (*Suetonius*, Domit. 13, *Tertull.* Apologet. 5). Sed haec omnia, quamvis ex historia desumpta sint, intellegimus sensu potius symbolico quam historico, et supponimus eis repraesentari potestates illas magnas Deo et regno Christi inimicas, quae eo tempore imperio romano exhibebantur, et per totum historiae decursum contra Ecclesiam pugnabunt, incitante dracone et semper nova ratione utramque bestiam, imperium et pseudoprophetiam, excitante. Secundum S. Paulum enim mysterium iniquitatis iam operabatur suis diebus, 2 Th

2, 7. Neque cessabit operari, quamvis non semper eadem ratione vires suas exerat.

7. Sub hac vero consideratione aliquid veri tribuimus sententiae eorum, qui *totam* Ecclesiae *historiam* in Ap adumbratam vident. Bella numquam cessabunt et mysterium iniquitatis semper operabitur. Attamen nulla ratione admittimus applicationem ad certos eventus historiae, ut eos singulos et in particulari praedictos concedamus. Sed tenemus prophetam prospicere ita ultima tempora, ut quamvis intermedia non omittat, singula tamen non notet. Neque probabilem habemus eorum opinionem, qui putant ultimis temporibus magnum aliquod imperium futurum esse simile romano, aut regem aliquem determinatum similem Neroni, aut duos illos testes futuros esse duos prophetas aut principes Ecclesiae determinatos. Nullo enim argumento idoneo et efficaci probari potest hanc esse Ioannis mentem.

8. Quod *Regnum millenarium* attinet, magna est auctorum catholicorum dissensio, etiam eorum qui chiliasmum reiciunt. Nos cum S. Augustino consonanter cum interpretatione proposita intellegimus regnum spiritale, et resurrectionem primam (20, 4s) resurrectionem credentium ad vitam et eorum victoriam de virtute diabolica. Mille autem annos significare longam durationem Ecclesiae hic in terra, hunc vero numerum non minus numerum symbolicum esse quam alios in libro occurentes, e. g. 10 dies 2, 10 ; 24 seniores 4, 4 ; numerus septenarius toties recurrens ; 12 millia signatorum 7, 5ss ; tertia pars 8, 7ss ; dies tres et dimidius 11, 11 ; 1260 dies 11, 3 ; 12, 6. 14 ; 13, 5 ; numerus duodenarius in descriptione urbis caelestis et beatitudinis 21, 12. 14. 16. 21 ; 22, 2. Secundum hoc etiam explicandi sunt loci illi, in quibus dicitur impletionem prophetiae mox esse futuram 1, 3 ; 22, 20. Cf *Addenda*.

§ 19. De fine et utilitate Apocalypsis

430. Si Ap *primario* continet vaticinia de ultimis Ecclesiae temporibus, quaeritur quidnam habeat utilitatis, cum haec tam longe a primorum lectorum aetate distent. Liber enim primario scriptus est ecclesiis Asiae et ipsis confortandis destinatus.

1. Cum hae ecclesiae versarentur in magnis periculis tum internis, ut Ap probatur, tum externis, quod ex Ap et aliunde notum est, sane quam maxime indigebant exhortatione et consolatione. Quae iam eo ipso offerebatur, quod ipsis nova revelatio donata est, qua promissiones Christi prius datae tam magnifice confirmabantur. Hae promissiones per Ioannem traditae, cuius auctoritas et fidelitas ecclesiis comprobata erat, animos ad novam spem erigebant et fiduciam corroborabant, maxime contra eos, quid de impletione promissionum divinarum dubitabant : « Ubi est promissio aut adventus eius », 2 P 3, 4.

Cum ecclesiae autem opprimi viderentur ingenti fortitudine et potestate romani imperii et falsis religionibus, quibus undique circumdatae

erant, aptissime divina revelatio potestates inimicas sub imagine huius imperii et pseudoprophetiae repraesentat, ut demonstret Ecclesiam tum parvam et exiguam non modo non succubituram esse, sed aliquando plenissimam victoriam esse reportaturam. Unde iam in singulis epistulis ad septem ecclesias scriptis in fine legitur promissio praemii aeterni depicti iisdem coloribus, quibus aeterna felicitas novae Ierusalem describitur.

2. *Universali* vero Ecclesiae Apocalypsis tradita est, ut eadem ratione ac ecclesiae illae Asiae fidelibus omnium temporum sit consolationi in omnibus tribulationibus, quae ab eodem dracone et ope earundem bestiarum semper contra Ecclesiam excitabuntur, donec Agnus omnes hostes devicerit.

Neque hac consolatione privamur, quia plurima in Ap sunt incertae interpretationis, cum constet omnia bella ab eisdem hostibus moveri, qui numquam invaluerunt contra Ecclesiam et tandem devicti iacebunt. Quod Christus Dominus promisit, portas inferi non praevalituras esse, toties eventu comprobatum est, quoties persecutiones aut internae tribulationes Ecclesiam potius corroboraverunt quam deiecerunt.

3. Optime autem Ap revelationem NT[1] concludit, cum confirmet doctrinam Evangeliorum et S. Pauli de Christo Filio Dei, redemptore generis humani, victore et triumphatore. Christi descriptio et angelorum beatorumque laudes et cantica illustrant quam efficacissime illud Pauli : « Datum est ei nomen super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur et omnis lingua confiteatur, quia Dominus est Iesus Christus, in gloriam Dei Patris », Ph 2, 9ss.

Angelorum autem ministerium in Ap non sine consilio tam fuse ostenditur, ut fideles intellegant contra diaboli insidias et insectationes caelestes nobis datos esse adiutores.

4. Non inepte Ap dicta est *magna mundi liturgia*, in qua Christus, Agnus Dei tamquam *sacerdos* munere suo fungens exhibetur et *victima*. Unde tot allusiones ad Christi sacerdotium 1, 13, vestis talaris 1, 7. 18 ; 3, 21, agnus qui occisus est 5, 6. 9. 12 ; 13, 8 ; ad pugnam exiens Christus vestitus est veste aspersa sanguine 19, 13. Redempti describuntur tamquam mundati sanguine Agni 1, 5 ; 5, 9 ; 7, 14 ; 12, 11. Saepe commemoratur templum Dei 3, 12 ; 7, 15 ; 11, 19 ; 14, 15. 17 ; 15, 5-8 ; 16, 1. 17 ; 21, 22 ; tabernaculum 13, 6 ; 15, 5 ; 21, 3 ; altare 6, 9 ; 8, 3. 5 ; 9, 13 ; 11, 1 ; 14, 18 ; 16, 7 ; arca 11, 19 ; thymiamata 5, 8 ; 8, 3s ; thuribulum 8, 3. 5. Multa legimus *cantica* laudis Dei et gratiarum actionis 4, 9. 11 ; 5, 9s. 12ss ; 7, 10-14 ; 11, 15. 18 ; 12, 10ss ; 14, 2s. 7 ; 15, 3s ; 16, 5ss ; 18, 20 ; 19, 1-8. Totum iudicium describitur tamquam mysterium Dei 10, 7.

5. At hic non est unicus adspectus, quem Ap nobis exhibet. Christus enim ostenditur nobis tamquam *victor* et debellans omnes inimicos, iram suam effundens in eos, suos castigans et mundans, maiestate divina refulgens, Rex regum 1-3 ; 14, 14-16 ; 19, 11ss. 19. Felicitas describitur imagine *desponsationis* 19, 7. 9 ; 21, 2. 9, atque hac descriptione beato-

rum, qui fruuntur visione Dei et Agni liber concluditur, ut lectores consolati et ad spem erecti in tribulationibus prospiciant consummationem et victoriam aeternam.

§ 20. De Commentariis et subsidiis

431. 1. *Antiquorum* interpretationes habentur apud *Irenaeum*, qu potissimum in libro V plura tradit de Ap, *Hippolytus* multa habet in opere de Antichristo et in Comm. in Dn. Scholia in Ap 1-14, 5 quae ab Harnack *Origeni* tribuuntur (TuU 38, 3, Lp. 1911), non sunt omnia Origenis, neque commentarius in hac compositione, qua innotuit, potest esse Origenis. Posteriores Graeci multa ex prioribus collegerunt, primus videtur esse *Andreas Caesar.* ineunte s. 6, quem sequuntur *Oecumenius* s. 7, *Arethas* s. 10.

Latini primum commentarium acceperunt a *Victorino Petav.* († c. 304), ed. in forma primitiva a *Haussleiter*, 1916 ; ab *Hieron.* retractatus. Sequitur *Ticonius*, Donatista, *Augustinus* nonnulla satis fuse exponit in opere de Civit. Dei, accedunt *Primasius*, *Gennadius*, *Beda* (ML 93, 129-206).

Mediae aetatis commentatores plerosque antea numeravimus. *Posteriores* permulti operam dederunt libro interpretando, ex quibus praeter eos, quos supra allegavimus, nominamus *Petrum Serranum* (Compluti 1536), *GDLindanum* (Lov. 1590), *Ariam Montanum* (Antv. 1588), *DHerveum* (Lugd. 1684), *LEDupin* (P. 1712), *IPhLallemant*, S. I. (P. 1725).

2. *Nostra aetate* : *LMBridon*, P. 1818 ; *RParisi* S. I., Palermo 1847 , *KStern*, Schaffhausen 1854 ; *ABisping*, Mst. 1876 ; *PDrach*, P. 1879 ; *FrSTiefenthal* O. S. B., Pdb. 1892 ; *PGallois* O. P., P. 1895 ; *APiffard* S. I., Lille 1904 ; *ThCalmes*, P. 1907 ; *IRohr*, B. 1915 ; *EBAllo* O. P.², P. 1923.

3. *Acatholici* : *JHerder*, MARAN AΘA, Riga 1779 ; *AHengstenberg* 1-3 ; B. 1840-51 ; *CAAuberlen*, Der Prophet Dn u. die Offenbar. J², Ba. 1857 ; *AVolkmar*, Zürich 1862 ; *ThKliefoth* 1-3, Lp. 1874 ; *WMilligan*, Ld. 1886 ; *HBSwete*³, Ld. 1909 ; *WBoussel-Meyer*⁶, Gtt. 1906 ; *Holtzmann-Bauer*³, HC, Fr. 1908 ; *AReymond*, Lausanne 1908 ; *JWeiss-Heilmüller*³, Gtt. 1918 ; *JTBeckwith*, N. Y. 1919 ; *RHCharles*, ICC, Edb. 1920 : *Th-Zahn*, Lp. 1924-26. *ELohmeyer*, HB, Tb. 1926. *Strack-Billerbeck* III 1926.

De aliis **cf** *Cornely* III 721-731, *Allo* CCXXVIII-CCXLVIII, *Zahn* 100-128. *DBuzy*, Antéchrist, DBbl Suppl. I. 297-305. *IBFrey*, Apocalyptique, DBbl Suppl. I 306-25.

DISSERTATIO IX

De Epistulis S. Pauli Apostoli

CAPUT I

DE EPISTULIS S. PAULI UNIVERSE SPECTATIS

§ 1. De S. Pauli Apostoli vita

432. 1. «Saulus, qui et Paulus » (A 13, 9), ex ipso nomine demonstratur originis israeliticae, quod explicitis ipsius testimoniis plurimis comprobatur et ex tota eius vita confirmatur. A 21, 39 Paulus coram tribuno romano se profitetur Iudaeum, in omnibus fere sermonibus suis idem asserit saltem implicite, A 13, 17.33; 21, 26. Plura tradit in epistulis (2 C 11, 22; G 1, 13s). Ph 3, 5 dicit se ex genere Israel, Hebraeum ex Hebraeis, de tribu Beniamin, secundum legem Pharisaeum; A 23, 6 Pharisaeum, filium Pharisaeorum, cf 24, 14; 26, 5. Suam erga legem observantiam et fidelitatem saepius testatur, G 1, 14; Ph 3, 6; A 22, 3.

Patriam habuit Tarsum, Ciliciae urbem non ignobilem, A 21,39; cf A 9, 11; 22, 3 natus in Tarso. Proinde non recte *Hieron.* asserit: « de oppido Iudaeae Giscalis fuit, quo a Romanis capto cum suis parentibus Tarsum Ciliciae commigravit (de vir. ill. 5; in Phm 23s, ML 25, 617). Quo autem tempore natus sit, tantum coniectando assequi possumus. Cum Paulus dicatur νεανίας tempore lapidationis Stephani A 7, 58, et ipse se dicat πρεσβύτην Phm 9, eo tempore, quo epistulam ad Phm scripsit, 60 annos iam natus erat. Unde fere circa initium aerae christianae natus est. Ex termino νεανίας (Vg *adolescens*) nihil concludi potest, cum satis late pateat; apud Graecos significat iuvenem usque 40 (42) annos

Civitatem romanam a nativitate habuit, A 22, 28. Sed quando parentes eam acceperint, non est traditum, illud autem videtur supponendum, familiam sive divitiis sive alia ex causa non ignobilem fuisse.

2. Saulus ut permulti Iudaei illius temporis duplex gessit nomen. Nomen vero romanum *Paulus* in A primo legitur 13,9, deinceps semper adhibetur, ipse Apostolus in suis epistulis numquam nomine hebraico utitur. Rationem autem duplicis nominis iam antiqui diversam dederunt. Alii, quos *Origenes* commemorat et *Hieronymus* (de vir. ill. 5 ; in Phm 1, ML 26, 604) sequitur, censent Paulum nomen assumpsisse in memoriam victoriae reportatae in conversione Pauli Sergii proconsulis. Quae sententia longo tempore fere communis fuit eique hodie non pauci adhaerent, cf *HDessau*, Hermes 45 [1910] 347-368. *Origenes* autem hanc opinionem non approbat, sed censet utrumque nomen iam antea Paulo inditum fuisse (in R praef.). Quam sententiam probabiliorem esse putamus, maxime cum civi romano nomen triplex necessarium fuerit (*Macrobius*, Saturn. 1, 16. 36 ; Artemidorus, Oneirocrit. 5, 91, cf *LHahn*, Rom u. Romanismus, Lp. 1906).

Sine dubio non sine speciali providentia divina factum est, ut Apostolus gentium civitate romana praeditus esset, ad quam postea pluries provocavit, ut iniustos persecutores coerceret, A 16, 37ss ; 22, 24-29 ; 25, 10ss. Praeterea cum Tarsus illo tempore studiis litterarum floreret, aliquomodo litteris graecis imbutus esse videtur, quod manifestatur epistularum indole et allegationibus ex auctoribus profanis (A 17, 28 ex Arato ; 1 C 15, 33 trimeter iambicus, ex Menandro-Euripide ; Tt 1, 12 ex Epimenide Cretensi, cf *AMarth*, ZkTh 37 [1913] 889-895 ; et *HBöhlig*, Die Geisteskultur von Tarsos, Gtt. 1913 ; *ASteinmann*, Zum Werdegang des Pl, Fr. 1928.

Iuvenem praeter legem et scientiam opificium quoque didicisse, prout patrius mos ferebat et a rabbinis observabatur, traditum est A 18, 2s, ubi narratur, Paulum ad Aquilam et Priscillam accessisse et cum ipsis laborasse, διὰ τὸ ὁμότεχνον εἶναι· ἦσαν γὰρ σκηνοποιοὶ τῇ τέχνῃ, *scenofactoriae artis* Vg. Quam locutionem *Origenes* et alii interpretantur de constructione tabernaculorum, alii cum *Chrysostomo*, *Theodoreto* (in Is 51, 5, MG 81, 436) de conficiendis tegumentis tabernaculorum (σκυτοτόμος), alii demum de tegumentis texendis, quae ex pilis caprarum conficiebantur, unde eis nomen *cilicia*. A Paulo artem hanc per totam vitam suam et in mediis laboribus apostolicis tractatam esse, eius epistulae passim docent, 1 Th 2,9 ; 2 Th 3,7-10 ; 1 C 4,12 ; 9,6. 15 ; 2 C 11, 7ss. 23. 26 ; 12,13 ; A 20, 34s.

3. Saulus post pueritiam Tarsi exactam venit Ierusalem, ut in civitate sancta, sede cultus et legis, institueretur in litteris sacris. A 22, 3 asserit se esse ἀνατεθραμμένον in civitate hac, πεπαιδευμένον κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου ; 26, 4 τὴν βίωσίν μου ἐκ νεότητος τὴν ἀπ' ἀρχῆς γενομένην ἐν τῷ ἔθνει μου ἔν τε Ἱεροσολύμοις ἴσασιν πάντες Ἰουδαῖοι. Annos igitur fere quindecim natus videtur in Palaestinam venisse, et nanctus Gamaliel I

magistrum illam SScr^ae scientiam sibi comparavit, quam eius epistulae manifestant. Quamdiu Saulus ad pedes magistri tam eximii eruditus sit, ignoramus, neque constat, num tempore praedicationis Christi in Palaestina commoratus sit. Etsi enim modus loquendi A 22, 3 et 26, 4 videtur insinuare, Paulum numquam ante conversionem suam recessisse a Iudaea, brevior aliqua absentia non excluditur, immo ex modo, quo postea de Christo loquitur, videtur consequi eum Dominum numquam vidisse. Neque enim credibile est Saulum potuisse manere indifferentem erga doctrinam et personam Christi, si illo tempore Hierosolymis fuisset. Quare probabilius esse censemus Saulum per annos aliquot rediisse in patriam et demum post Christi ascensionem et Ecclesiae fundationem rediisse. Quam partem habuerit in morte Stephani, non satis definiri potest. Ex A 7, 58 non sequitur Saulum fuisse quasi legatum synedrii in lapidatione Stephani.

433. 1. *Pauli conversio.* Paulum fuisse hominem vere religiosum, qui Legi et Revelationi VT[1] deditus erat et spem Messianicam nutriebat, ex ipsius verbis agnoscimus.

Cum autem iustitiam et salutem ex fidelissima observatione Legis se consecuturum esse speraret, et eam tamquam mercedem et retributionem operum Legis exspectaret, religionem christianam, quae hunc Legis et operum valorem negabat, sibi inimicam et adversariam expertus est, neque solum contempsit, sed summo odio prosecutus est. Fidem vero in Christum, qui mortem ignominiosam crucis, ipsi scandalum, subierat, abominabatur. Suam enim quaerens statuere iustitiam, iustitiae Dei non subiciebatur, R 10, 3. Unde exsistimabat se debere adversus nomen Iesu Nazareni multa contraria agere (A 26, 9), et supra modum persequebatur Ecclesiam, devastabat eam, abundantius aemulator exsistens paternarum traditionum, G 1, 13s ; A 8, 3. Persecutus est fideles usque ad mortem A 22, 4, compellebat blasphemare eos, cum occiderentur tulit sententiam, 26, 10s ; cf 8, 1. Stephani neci consensit, cf 7,58; 1 C 15, 9 ; 1 T 1, 13. Neque solum Hierosolymis intrabat per domos et tradebat viros ac mulieres in custodiam, sed usque in exteras civitates persecutionem extulit, A 26, 11. Tandem Damascum usque profectus, postquam a sacerdotum principe litteras petiit, ex persecutore subito in apostolum mutatus est.

2. Conversionis subitaneae narratio in Actis ter exhibetur, 9, 3-19 ; 22, 6-16 ; 26, 12-18. Primo auctor Actuum conversionem narrat, deinde Paulus coram Iudaeis et Agrippa. In epistulis apparitio Christi pluries commemoratur et subitanea mutatio insinuatur, sed particularia non traduntur, cf G 1, 13. 16 ; 1 C 9, 1 ; 15, 8s ; 1 T 1, 13.

Singulae narrationes in aliquibus differunt, quod nullam creat difficultatem, cum eadem res possit fideliter referri, etiamsi non omnia in singulis relatio-

nibus dicuntur. Lucas sine dubio nullam vidit contradictionem in narrationibus, quas ipse omnes recepit. Differentia videtur esse inter A 9, 7, comites Pauli « stabant stupefacti » et 26, 14 « omnes ceciderunt in terram ». Quod ita conciliari potest, ut dicamus statim ab initio omnes cecidisse, sed alios mox surrexisse. Aliud est 9, 7 omnes audierunt vocem (ἀκούοντες τῆς φωνῆς), sed neminem viderunt, 22, 9 lumen omnes viderunt, vocem autem non audierunt (τὴν φωνὴν οὐκ ἤκουσαν). Sed Graeci saepius distinguunt solam perceptionem sonus (adhibent genitivum) et perceptionem sensus (adhibent accusativum), quod in NT quoque obtinet, J 5, 37 ; A 22, 14 ; 28, 22 et alibi saepe, dum Lucas genitivum eo sensu adhibet, quo 9, 7 supponitur, cf L 15, 25 ; 18, 36. Sed distinctio non semper observatur.

Quod Christi verba et mandatum ad Paulum 26, 16ss attinet, dum 9, 6 et 22, 19 Paulus iubetur in civitatem ingredi, ut audiat, quid ipsi faciendum sit, haec ita inter se facile componuntur supponendo, Paulum 26, 16 statim ea addidisse, quae fortasse per Ananiam aut a Domino ipsi postea dicta sunt. Si Apostolus tantopere urget, se non ab hominibus neque per hominem vocatum esse (G 1, 1-12. 16-20), haec non pugnant cum ministerio ab Anania exhibito, cum ipsa vocatio immediate per Christum facta sit. Ea autem quae Paulo praestanda erant, ut agnosceretur tamquam Christianus, baptismus et institutio aliqua, non sunt ipsa vocatio. Praeterea Ev ipsum a Christo edoctus est, in quo saltem includitur mors et resurrectio, redemptio, fides et legis abrogatio, probabilius alia, cf 1 C 11, 23.

3. *Visio* Apostolo facta a Luca describitur tamquam obiectiva, non solum subiectiva. Alii quoque habuerunt luminis perceptionem, vocem aliquomodo audierunt. Paulus semper ita loquitur, ut appareat hoc ipsi persuasum fuisse. Adiuncta autem, in quibus visio accidit, excludunt subiectivam hallucinationem. Porro Paulus ita loqui solet de manifestatione Christi, ut supponenda sit visio obiective realis. Cum enim visionem sibi factam comparet cum apparitionibus Christi apostolis post resurrectionem concessis, et eam cum his aequiparet in demonstranda vera resurrectione Domini (1 C 15, 5-9. 14s ; cf 9,1), eandem indolem ipsi adscribit. Neque in hac re fallitur, nisi quis crederet Paulum non distinxisse inter visiones (2 C 12, 2s) aut totam eius novam vitam fundari falsa persuasione. *EMoske*, Die Bekehrung des hl. Paulus, Mst. 1907. *Wikenhauser*, Die Apostelgesch. u. ihr Geschichtswert 177-183. *Prat* I 30-33.

4. Pauli vocationem sequitur brevis commoratio Damasci, qua statim in synagogis Iesum, Filium Dei praedicavit, A 9, 19ss. Ex Paulo ipso autem discimus, eum mox in Arabiam secessisse (G 1, 17), quod Lucas non tradit, et deinde iterum Damascum rediisse, quod cum Luca congruit, cum dicat, Iudaeos tandem post multos dies (ἡμέραι ἱκαναί) A 9, 23ss, consilium iniisse Pauli interficiendi. In quo consilio habuerunt adiutorem ethnarcham Aretae IV, regis Nabataeorum, 2 C 11, 32s. Apostolus noctu effugit per murum in sporta. Tum tandem Ierusalem petiit, ut videret Petrum (A 9, 26ss ; G 1, 18ss). Hoc factum est post tres annos, qui a conversione computandi esse videntur. Hierosolymis fuit diebus quindecim, G 1, 18. Ex A 9, 26ss intellegimus Paulum a Barnaba introductum esse

ad apostolos et illo tempore cum Hellenistis disputasse 9, 29. Paulus ipse narrat (A 22, 17-21). Dominum sibi in templo oranti apparuisse, et apostolatum inter gentes demandasse. A 26, 20 asserit, se Damasci et Hierosolymis et in Iudaea praedicasse. At hoc non eodem tempore factum esse censendum est, cum G 1, 18. 22s testetur se tantum 15 diebus tum Hierosolymis versatum esse et ecclesiis Christi in Iudaea facie ignotum mansisse. Sed ex A 26,20 nulla difficultas creatur, quia Paulus coram Agrippa totum tempus a sua conversione usque ad captivitatem paucis complectitur. Propter insidias Iudaeorum autem brevi tempore elapso abiit in Syriam et Ciliciam, G 1, 21 ; A 9, 30. His verbis Paulus videtur totum tempus et praedicationem comprehendere usque ad ea, quae G 2,1ss narrantur, spatium 14 annorum. Eo autem includitur commoratio Tarsi, prima muneris apostolici periodus Antiochiae, postquam a Barnaba in auxilium vocatus est (A 11, 25s), et primum iter apostolicum cum Barnaba, A 13, 1ss.

Quam vero vitam egerit Tarsi, quam antea in Arabia, non est traditum. Plerique censent Paulum illo tempore praeparationi ad munus apostolicum praecipue vacasse. Sed non est improbabile eum Tarsi et fortasse in Cilicia Ev praedicasse. Antiochiae cum Barnaba per annum versatus est.

Postea Paulus cum Barnaba defert eleemosynas Antiochenorum ad presbyteros hierosolymitanos, A 11, 30. Cum eorum reditus 12, 25 narretur post commemoratam persecutionem et mortem Agrippae I (a. 44), iter hoc eo fere tempore accidisse videtur.

434. *Itinera apostolica usque ad captivitatem priorem.*

1. *Primum iter* apostolicum et Concilium Apostolorum, A 13-15. Antiochiam reduces Barnabas et Paulus a S. Spiritu designantur ad opus novum, quod suscipiunt Ioanne Marco comitante.

In Cyprum profecti Sergium Paulum proconsulem ad fidem adducunt, transfretant Pergen, unde Marcus discedit, 13, 13, fundant ecclesias Antiochiae Pisidiae, Iconii, Lystris, Derbe, redeuntes eadem via Ev praedicant Perge, descendunt Attaliam et revertuntur Antiochiam Syriae, 14, 26ss. Lucas nihil de duratione huius itineris tradit; sed biennium fere apostoli videntur his provinciis, Cypro, Pamphylia, Pisidia, Lycaonia, peragrandis consumpsisse aut longius etiam tempus. Hae provinciae, excepta Cypro eo tempore partes provinciae romanae Galatiae erant.

Dum Paulus et Barnabas Antiochiae ecclesiae aedificandae incumbebant (διέτριβον χρόνον οὐκ ὀλίγον 14, 28), mota est quaestio de obligatione Legis 15, 1ss. Paulus et Barnabas mittuntur Ierusalem, ut ab apostolis et presbyteris responsum reciperent. Contra aliquos de haeresi Pharisaeorum, qui crediderant, Petrus libertatem praedicat, Iacobus consentit, sed eo auctore fratribus Antiochiae, Syriae et Ciliciae traditur praeceptum abstinendi ab idolothytis, sanguine, suffocato, fornicatione, 15, 20. 28. Epistula defertur per Iudam et Silam. Paulus et Barnabas redeunt Antiochiam comitante ut videtur Marco, propter quem Barnabas a Paulo discedit cum

Marco in Cyprum profecturus 15, 37ss. Quamdiu Paulus Antiochiae moratus sit, non narratur, sed falleretur, qui propter 15, 36 μετὰ δέ τινας ἡμέρας crederet, commorationem tantum paucorum dierum fuisse. Antea enim dictum est Iudam et Silam fecisse aliquantum tempus, ποιήσαντες χρόνον 15, 33, et de Paulo et Barnaba διέτριβον ἐν Ἀντιοχείᾳ, διδάσκοντες καὶ εὐαγγελιζόμενοι μετὰ καὶ ἑτέρων πολλῶν τὸν λόγον τοῦ Κυρίου 15, 35. Nihil proinde obstat, quominus cum multis statuamus, illo tempore Petrum venisse Antiochiam et tum accidisse, quod Paulus G 2, 11-21 narrat. Certo supponendum est factum, dum Barnabas quoque Antiochiae fuit, G 2,13.

2. *Iter secundum*, quod Paulus aggreditur comite *Sila* (Silvano, 1 Th 1, 1 ; 2 Th 1, 1 ; 2 C 1, 19), accedente postea *Timotheo* (A 16, 1ss) et *Luca* (Troade 16,10, aut iam Antiochiae, cf *Irenaeus* III 14, 1), in quo primae ecclesiae in Macedonia et Achaia fundantur.

Perambulat Syriam et Ciliciam ecclesias prius fundatas confirmans 15, 41, tradit praecepta apostolorum 16, 4. Transeunt Phrygiam et Galatiae regionem (τὴν Φρυγίαν καὶ Γαλατικὴν χώραν) 16, 6, descendunt Troadem, Paulus per visum invitatur in Macedoniam (« statim quaesivimus proficisci » 16, 10). *Philippis* fundat primam ecclesiam (Lydia, puella obsessa), in carcerem coniecti liberantur, discedunt 16,11-40. *Thessalonice*, praedicatio in synagoga per tria sabbata, civitatis commotio, noctu Paulus et Silas dimissi veniunt *Beroeam*, ubi novis perturbationibus obortis Paulus relinquit Silam et Timotheum, ipse profectus *Athenas* 17, 1-9. 10-15. Athenis praedicat in synagoga, adducitur ad Areopagum, ubi Areopagitas alloquitur 17, 16-34.

Non constat, num in collem deductus sit an ad stoam regiam in foro, cf *ECurtius*, Sitzungsberichte der Kgl. Akademie d. W., B. 1893, 925-938.

Inde venit *Corinthum*, ubi diu resedit (per annum et sex menses 18, 11, et probabiliter praeterea προσμείνας ἡμέρας ἱκανάς 18, 18). Aquila et Priscilla, Gallio, rediens visitat breviter *Ephesum*, Caesaream (Ierusalem) et descendit Antiochiam, ubi aliquo tempore manet (ποιήσας χρόνον τινὰ 18, 23). Hoc iter videtur saltem tres annos durasse.

3. *Iter tertium.* Antiochia profectus perambulat ex ordine Galaticam regionem et Phrygiam 18, 23. Sicut promiserat (18,21), venit *Ephesum*, ubi tribus mensibus in synagoga docet 19,8 , deinde secedit in scholam Tyranni 19, 9s, per duos annos.

Discipuli Ioannis, exorcistae Iudaei, libri magici. Biennio expleto statuit proficisci in Macedoniam, Achaiam, Ierusalem, sed remanet Timotheo praemisso in Asia (ἐπέσχεν χρόνον εἰς τὴν Ἀσίαν 19,22) (tota commoratio per triennium). Demetrius seditionem movet, Paulus discedit Troadem (2 C 2, 12 ad Ev Christi), sed mox in Macedoniam abit, unde 2 C scri-

bit et Titum denuo Corinthum mittit. Tempore hiemali per tres menses versatur in Graecia (A 20, 2). Redit in Macedoniam, post dies azymorum Philippis profectus venit Troadem, ubi iuvenem ad vitam revocat (20, 7-12), Mileti presbyteris Ephesinis ultima monita tradit (20, 17-38), Tyri per septem dies, monetur, ne Ierusalem ascendat (21, 3-6), Caesareae in domo Philippi ab Agabo captivitas praedicitur (21, 11-14), venit Ierusalem, a Iacobo suscipitur (21, 17-26). Videtur paulo ante festum Pentecostes advenisse, postquam plus quam quadriennium itineri dedit.

435. *Captivitas prior.* Paulus monente Iacobo cum aliis votum implens in templo a Iudaeis capitur, a Romanis eripitur, populum alloquitur, 21,27-22, 21.

Coram synedrio testimonium reddit et propter insidias Iudaeorum Caesaream perducitur ad Felicem procuratorem, apud quem a Iudaeis accusatur, sed non condemnatur, post biennium captivitatis Portius Festus succedit 22,22-24,27.

Paulus ad Caesarem appellat 25,10s, coram Agrippa II et Berenice rationem reddit et testimonium Christo exhibet 25,13-26, 32.

Iter romanum autumno eiusdem anni incipit ; A 27, 9 dicitur ieiunium iam praeteriisse, quod celebrabatur die 10 mensis Tisri, circa initium mensis octobris. Post multa pericula naufragium faciunt ad Melitam insulam, sed omnes Paulo a Deo donantur (27,24), post menses tres, tempore verno anni sequentis brevi et fausto itinere Romam veniunt, Paulus a Foro Appii deductus a fratribus 28, 15. Romae in custodia libera tenetur in domo ab ipso conducta per biennium, cum Iudaeis de Christo disputat ; cum iis, qui ad eum accedunt, loquens de Regno Dei, 28, 30s. Quando Pauli causa acta sit, quid biennium illud secutum sit, a Luca non iam traditur. Ex iis, quae mox dicenda sunt, constat Paulum tum fuisse absolutum et denuo muneri apostolico redditum.

436. *De ultimis Apostoli annis.* Quoniam Lucas nihil de causae exitu narrat, multi ex recentioribus et aliqui quoque ex antiquis censent, Paulum suam captivitatem post biennium morte gloriosa finivisse. Sed propter testimonia traditionis de morte Apostoli anno Neronis 14 et de profectione in Hispaniam, tum propter ultimas eius epistulas, certo constat eum non longe post biennium expletum e captivitate esse dimissum.

1. Paulus ad Romanos scribens locutus erat de consilio suo proficiscendi in Hispaniam, R 15, 24. 28. In NT nihil quidem dicitur de hoc itinere. Epistulae enim posteriores Apostoli nullam mentionem eius faciunt. Sed ex verbis Clementis Rom. (5, 6s) recte concludimus Paulum consilium suum exsecutum esse. Clemens enim non solum asserit Paulum praeconem factum esse ἐν τε τῇ ἀνατολῇ καὶ ἐν τῇ δύσει, sed etiam testatur

cum venisse ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως. Quae verba ab eo scripta, qui Romae degit, non possunt Italiam significare, sed solebant adhiberi de Hispania. Quare dubium non est, Romanos triginta fere annis post Pauli mortem habuisse traditionem de hoc Pauli itinere. Quae traditio non potest non esse vera, cum Apostolus vitam suam Romae finierit. Neque omittendum est Paulum cum ad Romanos scriberet, eos invitasse, ut ipsum in Hispaniam proficiscentem deducerent. Quod sine dubio fecerunt, postquam Apostolus libertati redditus est. Hoc autem iter videtur mox post causam feliciter absolutam instituisse. Sed diu in Hispania non est commoratus.

Alterum testimonium romanum itineris hispanici exhibet *fragm. Muralor.* his verbis: « Lucas optimo Theophilo comprendit, quae sub eius praesentia singula gerebantur, sicuti et semota passione Petri evidenter declarat, sed et profectione Pauli ab urbe ad Spaniam proficiscentis » 35-39. Quae verba testantur Lucam ea non iam scripsisse, quibus non praesens ipse fuit, Petri passionem et Pauli profectionem in Hispaniam. Ergo haec supponitur facta esse. Testimonia posteriora redduntur ab *Athanasio* (ad Dracont. 4, MG 25, 528), *Chrysost.* (in 2 T hom. 10, 3, MG 62, 659), *Hieron.* (in Is 2, 10, ML 24, 151), *Epiphanio* (haer. 27, 6, MG 41, 373), *Theodoreto* (in 2 T 4, 17, MG 82, 856).

2. Ultimis enim annis status ecclesiarum orientalium Paulum iterum ad ecclesias olim ab ipso fundatas revocavit. Sed videtur solam Asiam, Macedoniam, Achaiam, Cretam adiisse. Nullam saltem legimus allusionem eum denuo in Syriam aut ipsam Palaestinam pervenisse. Ex epistulis, quae dicuntur *pastorales*, colligimus Paulum primo Ephesi aliquo tempore resedisse, ubi Timotheus fortasse iam diutius versatus erat, cf 1 T 1, 3. Verisimile enim est Timotheum in Hispaniam cum apostolo non esse profectum sed ab eo in orientem missum esse. Quas ecclesias Paulus viderit, antequam Ephesum venit, ignoramus. Epheso autem profectus est in Macedoniam, inde videtur in Achaiam abiisse et in Cretam insulam (Tt 1, 5), quo eum Titus comitatus est. Tito autem curam commisit, ecclesias ordinare et perfecte constituere. Cum Tito Zenas et Apollos in Creta versabantur, Tt 3, 13. Paulus Titum ad se arcessit, postquam alium ipsius loco in Cretam miserit, Artemam aut Tychicum, 3, 12, et Titus ipse iubetur ad Paulum venire Nicopolim, ubi hiemare constituerat. Ex 2 T 4, 9ss concludimus Paulum antequam Nicopolim venit, denuo brevi tempore in Asia et Achaia fuisse, aut post hiemem Nicopoli peractam eo profectum esse. Nicopoli Titus fortasse abiit in Dalmatiam 2 T 4, 10, Paulus ipse in Italiam profectus est, ubi videtur mox in vincula esse coniectus, 2 T 1, 8. 11s. 16s (Onesiphorus). Ex hac captivitate scripta est secunda ad Timotheum epistula, in qua Paulus suum discipulum hortatur, ut cito ad eum veniat 4, 9, ante hiemem 4, 21. Apostolus scribens hanc epistulam mortem propinquam exspectat 4,6ss.18. Proinde epistula supponitur scripta ultimo ante mortem anno.

Mortem autem Paulus teste Hieronymo passus est 14 Neronis anno,

anno trigesimo septimo post passionem Christi (de vir. ill. 5) una cum Petro. Idem testatur Eusebius-Hieron. in Chronico ad 14 Neronis annum. Quod eo magis notandum est, quia Hieronymus asserit Paulum iam secundo Neronis anno vinctum missum esse Romam (de vir. ill. 5). Idem dicitur in Chronico.

§ 2. De Chronologia vitae S. Pauli

437. 1. Ex iis quae antea disputavimus (n. 433ss) elucet pauca tantum quae ad chronologiam S. Pauli spectant, posse haberi aliquomodo certa. Constat Gallionem fuisse proconsulem Achaiae ab anno 51/52 aut 52/53, et Paulum Corinthum venisse c. annum 50. Alterum est, captivitatem priorem probabiliter initium sumpsisse anno 58, non postea, fortasse paulo antea. Hoc etiam abstrahendo a computatione illa ostendi potest, quae ex itinere hierosolymitano A 20, 6ss instituitur. Nam Paulus anno 63 videtur libertatem recuperasse, certo ante aestatem a. 64, non postea, cum persecutio contra Christianos iam inciperet saevire. Proinde Romam venit verno tempore anni 61, et captivitas palaestinensis initium habuit a. 58, saltem non postea. At neque multum antea, cum Porcius Festus non post 60 magistratum inierit, neque diu ante hunc annum, quia Felix non ante a. 52 in Iudaeam missus est et Paulus A 24, 10 dicit, eum iam ex multis annis iudicem populi esse. Quia praeterea de anno mortis constat, aliquomodo chronologiam a secundo itinere apostolico instituere licet.

Si supponimus Apostolum a. 63 dimissum esse ex captivitate, fortasse eodem anno in Hispaniam profectus est, sequenti rediit in orientem, hiemavit Nicopoli a. 65/66, aut praecedenti, anno 66 in Italiam redux iam ante hiemem in vincula conicitur, sequenti anno sanguinem pro Christo fudit.

2. Tertium iter absolutum est anno 58 (aut 56/57). Cum fere quinquennium duraverit, si Paulus illud aggressus est anno 52 aut 53, omnia facile peragi potuerunt, quae secundum Acta gesta sunt. Quia Apostolus anno 50 aut 51 Corinthum venit, concilium Apostolorum fere a. 49 vel paulo antea fuit. Iam si A 15 et G 2, 1-10 ad eandem quaestionem referuntur, ex Pauli verbis 14 anni fluxerant inter hoc concilium et primum iter hierosolymitanum (G 1, 18) aut ex conversione. Dubitant enim, num 14 anni a conversione an ab illo itinere numerandi sint, quo Paulus Petrum invisit. Sed ex contextu posterius magis commendatur, ut tres et quattuordecim anni a conversione computandi sint. At nihilominus annus conversionis manet satis incertus, cum secundum modum numerandi orientalium non necessario annos plenos supponere oporteat. Fortasse non plures quam 15 anni et aliqui menses a conversione fluxerant ; cfn. 365.

3. Quare ex hoc capite annum conversionis non cum certitudine determinare licet. Fuerunt autem, qui ex G 1, 18 et 2 C 11, 32 tempus accuratius definire conarentur, cf *A Steinmann*, BZ 7 [1909] 174-187. 312-341. Quia putant ex 2 C 11,32, ubi sermo est de ethnarcha Aretae regis, con-

cludi posse Damascum eo tempore sub dicione Aretae fuisse, et quia hoc ante mortem Tiberii impossibile fuerit, fugam Apostoli anno 37 aut paulo postea accidisse censent. Sed argumentatio est inefficax, cum suppositio sit incerta. Ethnarches enim potuit esse Damasci, quin urbs esset sub dicione Aretae. Fuga Pauli diu post a. 37 non fuit, fortasse antea. At terminus accuratius definiri non potest. Cum non sit necessarium tres annos a conversione usque ad iter primum hierosolymitanum plenos supponere, ultimus terminus conversionis erit annus 35, primus autem potest esse a. 31, si mors Domini supponitur anno 30 accidisse, quod multis probatur.

Alia quae ad singulas epistulas pertinent, tractabimus agentes de his epistulis. Unam quaestionem autem hic tangere placet, quae moveri solet occasione textus R 15, 19, ubi Paulus rationem sui apostolatus in oriente peracti exhibet scribens ὥστε με ἀπὸ Ἰερουσαλὴμ καὶ κύκλῳ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ πεπληρωκέναι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ. Cum Apostolus alibi non faciat mentionem Illyrici neque ex Actis quidquam de ministerio ibi exercito hauriri possit, quaeritur, quando Paulus in hac provincia Ev praedicaverit. Sunt qui iter Illyricum tempore primae commorationis Corinthiacae institutum esse velint, *Baronius*, ex recentioribus *Cornely*, alii, id quod considerato modo narrandi Lucae, non obstante A 18, 11, non excluditur. Paulum vero nutrivisse consilium et spem Corintho invisendi ecclesias Macedoniae constat, 1 Th 2, 17s; 3, 11. Si forte hoc consilium exsecutus est, facile fuit ex Macedonia in provinciam vicinam pedem inferre. Sed positive hoc non suadetur. Potius crediderim Paulum in tertio itinere, postquam Epheso in Macedoniam venit, inde in Illyricum transiisse, praesertim cum illo tempore, antequam in Achaiam profectus est, plus quam dimidium annum habuerit. Quoniam vero de interpretatione verborum Pauli non certum est, tota quaestio omitti potest. Quaeritur enim utrum Apostolus dicat se in Illyricum transiisse, an solum usque fines huius provinciae pervenisse. Atque haec interpretatio fortasse probabilior est, maxime cum prior terminus *a Ierusalem* sensu latissimo sit intellegendus. Paulus enim secundum sua ipsius verba (G 1, 22s) non eadem ratione Ev in Iudaea praedicavit, ut in Syria et Asia.

§ 3. De numero et o dine epistularum S. Pauli

438. S. Paulus pro suo amore et studio erga omnes ecclesias non solum verbo et sermone, sed etiam epistulis eas iuvare et in fide confirmare, pericula amovere, peccata et scandala corrigere indefesso labore contendit. Unde ortae sunt epistulae illae praeclarae et tantopere celebratae, quas ab initio religionis passim notas et lectas esse videmus. Ad nos autem pervenerunt quattuordecim epistulae, sive ad ecclesias sive ad amicos et adiutores scriptae.

Quot vero epistulas Apostolus scripserit, ignoramus. Eae quae nobis

traditae sunt, omnes posterioris sunt temporis, a secundo itinere usque ultimum fere vitae annum. De sola epistula ad Galatas quaeritur, num aliquot annis antea, ante concilium Apostolorum edita sit. Ex ipsis epistulis autem, quae nobis innotuerunt, certo concludimus Paulum plures scripsisse, quae interiisse videntur.

Apostolus enim si scribit ad Thessalonicenses : « Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistula. ita scribo » (2 Th 3, 17), sine dubio illo tempore non tantum unicam epistulam ad Th scripserat. Supponitur enim modus determinatus et proprius scribendi suum nomen, quem iam ex aliquo saltem tempore tenet. Deinde ex 1 C 5, 9 ἔγραψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ, 5, 11 νῦν δὲ ἔγραψα ὑμῖν, manifestum est non agi de illa ipsa prima ad Corinthios, quam habemus epistula, sed de praecedente, quae a Corinthiis male intellecta est, quam Paulus interpretatur. Permultis porro videtur epistula alia ad eandem ecclesiam scripta supponenda esse, quae praecedat secundam canonicam. Similiter ex Ph 3, 1 : « eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum », ad aliam priorem epistulam concludere licet, cum monitum gaudendi antea non ita legatur. Quod confirmatur verbis Polycarpi asserentis Paulum absentem Philippensibus scripsisse ἐπιστολάς, εἰς ἃς ἐὰν ἐγκύπτητε, δυνήσεσθε οἰκοδομεῖσθαι 3, 2. Tandem commemoranda est epistula Apostoli ad Laodicenses (C 4, 16) scripta, quae nisi est epistula ad Ephesios, periit.

Unde dubium non est, quin Paulus multo plures epistulas ad ecclesias miserit, quam ad nos pervenerunt.

439. *De epistulis quattuordecim Paulinis*, quae in canonem receptae sunt, et earum *genuinitate.*

Epistulas quattuordecim ab antiquissimis temporibus tamquam genuinas et canonicas receptas fuisse ex historia canonis demonstratur. In antiquitate sola ep. ad Hb addubitata erat. Aliae, quae pastorales dicuntur, a Marcione quidem reiectae sunt, sed intra Ecclesiam numquam auctoritate canonica destitutae erant.

1. Epistulae vario modo distinguebantur. Aliae sunt, quae ad ecclesias, id est ad totam communitatem fidelium destinatae aut etiam pluribus ecclesiis scriptae erant. Aliae quae ad personas privatas scriptae, ad Timotheum, Titum, Philemonem. Quae plerumque corpus Paulinum concludunt. Ita in fragm. Murat. 59-63, sed ordine inverso, Phm Tt 1-2 T. Epistula ad Hb in codicibus graecis antiquissimis, B S A C et sat multis posterioribus (fere 55) legitur ante pastorales, in reliquis post eas. Ordinem codicum antiquiorum sequuntur Athanasius, Epiphanius, Cyrillus Alex., Euthalius, Theodoretus, canon 60 concilii Laodiceni a. 364. Hieron. ep. 2 ad Paulinum. Epistulae ad ecclesias in canone *Murat.* dicuntur scriptae « ordine tali » C E Ph C G Th R (47-57), antea sub alio respectu C G R (39-46). Epistula ad Hb in canone Murat. non habetur. Ex numero capitum autem in codice B adscriptorum constat, Hb in archetypo huius codi-

cis scriptam fuisse post G, ante E. In codice sahidico rom. legitur inter 2 C et G. Ex *Tertulliano* hic fere ordo erui potest : 1-2 C G Ph 1-2 Th E C R, *Marcion* autem hunc videtur tenuisse ordinem : G 1-2 C R 1-2 Th E (Laod) C Ph Phm. Hodiernus ordo, qui in omnibus codicibus habetur, R 1-2 C G E Ph C 1-2 Th, videtur sequi tum ambitum epistularum tum ecclesiarum dignitatem. Canon syrus *sinaiticus* habet ordinem G 1-2 C R Hb C E Ph 1-2 Th, Canon *Claromontanus* C et Phm post Tt, decretum *Gelasii* ita : R 1-2 C E 1-2 Th G Ph C.

2. Quod textum epistularum attinet, multo minores difficultates creat, quam Evangeliorum et Actuum textus. *HLietzmann* censet epistulas Paulinas non singulis voluminibus traditas esse, sed omnes mox in unum corpus esse collectas et ita ad nos pervenisse (Handbuch zum NT, Römer[2], 1919, 1ss). Papyrus Oxyrh. 657, quae continet Hb magna ex parte, olim cum esset integra exhibuit alium NT librum aut libros, qui Hb praecedebant. Secundum computationem nostram, columnae enim numeratae sunt, prior papyri pars quae deperdita est, ep. ad Rom aut epistulas ad G E Ph excipere poterat. Probabile enim esse videtur, corpus Paulinum plerumque non in uno volumine descriptum esse, antequam forma codicum inventa est. Nam unum volumen suppositis mensuris codicum B S A fere 20 metrorum longitudinem postularet, aut etiam maiorem, quod sane valde incommodum fuisset. Quare crediderim epistulas duobus vel pluribus voluminibus descriptas esse, donec codex inventus est. Nota sunt quidem volumina multo longiora quam 20 metrorum, sed in libris, qui toties legebantur et revolvebantur ut libri NT[1], tanta longitudo legentem magnopere impediebat.

Nihilominus mox corpus Paulinum tamquam una collectio librorum sacrorum considerabatur. Iam antiquitus enim omnes epistulae una cum Hb unica numeratione comprehendebantur. Quae computatio secundum codicem B antiquissima est, cum sit eo antiquior, ut ante diximus.

§ 4. De genuinitate epistularum Paulinarum in universum

440. Quamvis aliquae ex epistulis Paulinis postulent tractationem specialem propter speciales quaestiones, quae de earum genuinitate aguntur, tamen in universum ex testimoniis tum externis tum internis de pluribus epistulis constat. Unde haec tractamus simul.

Testimonia externa. 1. *a)* Paucis decenniis post Pauli mortem *Clemens R.* ad Corinthios scribens explicitis verbis provocat ad primam epistulam ab Apostolo huic ecclesiae scriptam, quam Corinthi conservatam scit : Ἀναλάβετε τὴν ἐπιστολὴν τοῦ μακαρίου Παύλου τοῦ ἀποστόλου. τί πρῶτον ὑμῖν ἐν ἀρχῇ τοῦ εὐαγγελίου ἔγραψεν ; ἐπ' ἀληθείας πνευματικῶς ἐπέστειλεν ὑμῖν περὶ ἑαυτοῦ τε καὶ Κηφᾶ τε καὶ Ἀπολλῶ, διὰ τὸ καὶ τότε προσκλίσεις ὑμᾶς πεποιῆσθαι 47, 1-4. Ex eadem epistula plures aliae allegationes aut allusiones

habentur, potissimum ad 2, 9 (34, 8) ; 12, 21 (37, 5) ; 13, 4-7 (49, 5) ; 15, 23 (37, 3). Aliae epistulae non explicite quidem allegantur, sed evidens est usus R 1, 29-32 (35, 5s) ; 9, 3 (32, 2). Epistula ad Ephesios quoque adhibetur, cf 1, 18 (59, 2) ; maxime 4, 4ss. 25 (46, 6s). Ad Ph 4, 15 allusio 47,2. Saepe autem allegatur ep. ad Hb, plura ex capite primo 36,2-5. Antea 36, 1 manifesta allusio ad 2, 18 ; 4, 15s ; 5, 1. Ad 6, 12 et 11, 37 allusio 17, 1, et alia quaedam. Cum praeterea ad epistulas pastorales indubiae allusiones inveniantur, a Clemente corpus Paulinum septem vel octo epistularum testimonium habet, quod in Corinthiorum ecclesia agnitum esse supponitur.

b) Apud *Ignatium* Antiochenum occurrunt permultae allusiones ad plures epistulas, ex quibus magis perspicuae sunt eae ad 1 C, aliae ad E, C, R, 1 Th, Ph et G non tam evidentes. Cum enim Ignatius potius ideis et modo loquendi imitetur Paulum, non eius verba formaliter alleget, eius testimonium non tantam certitudinem creare videtur quam Clementis, quamvis accuratius inspicienti nullo modo dubium esse possit.

c) S. Polycarpi epistula ad Philippenses paulo post Ignatii epistulas scripta tot testimonia clarissima continet, ut evidens sit Polycarpum non solum novisse epistulas complures Apostoli, sed eas tam familiares sibi reddidisse, ut ideae et ipsa verba se sponte offerrent. Leguntur autem allegationes indubiae ad R, 1-2 C, G, E, Ph, C, 2 Th, Hb et Pastorales epistulas. Explicitis vero verbis commemorat epistulas ad Philippenses, loquens de Paulo beato et glorioso, ὃς καὶ ἀπὼν ὑμῖν ἔγραψεν ἐπιστολάς, εἰς ἃς ἐὰν ἐγκύπτητε, δυνήσεσθε οἰκοδομεῖσθαι 3, 2, alludens ad Ph 1, 27 ; praeterea 2, 1 ; 9, 2 ; 12, 3 quaedam ex Ph affert. Ex omnibus epistulis Paulinis desiderantur tantum allegationes ex 1 Th, Tt, Phm. Sed patet nihil posse ex hoc concludi, cum habeamus 2 Th, alias pastorales. Summopere autem commendatur auctoritas epistularum Paulinarum, quod in tam parva epistula, quae brevior est epistula ad Galatas, tot documenta fere omnium epistularum habeantur, quae argumento certo sunt agnitionis et maximae familiaritatis. Quod eo magis notandum est, quod Polycarpus pro sua cum apostolis consuetudine tam multa ex traditione orali desumere poterat et nihilominus in epistulis Paulinis tantopere versatus est. Idem autem corpus Paulinum apud lectores suos Philippis supponit.

2. In his testimoniis Clementis, Ignatii, Polycarpi habemus testes eximios et antiquissimos, quorum relationes cum viris apostolicis et ipsis apostolis certissimae sunt. Proinde de veritate et genuinitate traditionis nullum potest esse dubium. Si vero non omnes epistulae, sed paucae solae expressis verbis afferuntur, tamen certum est omnes habitas esse Paulinas, saltem eae, qua Pauli nomen prae se ferunt, id est omnes excepta epistula ad Hb. Nam cum ex inscriptione Paulinam originem sibi vindicent, Clemens, Polycarpus, alii has epistulas non allegassent, nisi ipsis de earum genuinitate persuasum fuisset. Praeterea paucis annis post Polycarpi epi-

stulam videmus saltem decem ex his epistulis a *Marcione* haeretico fuisse agnitas ut Paulinas (c. a. 140); alias, Pastorales et ad Hb reiecit. Marcionem autem in agnoscendis his epistulis secutum esse traditionem veterem, in reiciendis Pastoralibus eam reliquisse, ex ipsius adversariis catholicis discimus, Irenaeo, Tertulliano.

3. Ex medio saeculo secundo testimonia habentur apud *Pastorem Hermae* omnium fere epistularum, exceptis Pastoralibus, Epistula ad *Diognetum* Pastorales affert, nihil ex 1-2 Th et Hb. *Iustinus* M. ex omnibus non exclusis Pastoralibus et Hb sua argumenta eligit. Alia inveniuntur apud *Aristiden*, in *Martyrio Polycarpi*, in epistula ecclesiae *Lugdunensis*, apud *Athenagoram*, *Tatianum*, *Theophilum* Antiochenum, antea in 2 *Clementis*, epistula *Barnabae*. Tandem versus finem saeculi in *canone Muratoriano* omnibus epistulis excepta Hb testimonium exhibetur et earum genuinitas statuitur. *Martyres Scilitani* (a. 180) habent secum epistulas Pauli viri iusti in capsa (Acta Mart.).

Itaque externa documenta tot et tam praeclara adsunt, ut undique genuinitas epistularum Paulinarum comprobetur. Testimonia ex parte coram iis redduntur, quibus epistulae dicuntur scriptae, aut ab iis, qui contra haereticos aut earum auctoritatem tuentur aut ex eis contra eorum doctrinas argumenta desumunt. Tandem sunt magna ex parte inter se independentia.

4. Illud fortasse mirum apparebit, quod epistula ad Philemonem fere nullum testimonium apud antiquissimos scriptores habet. Ex *Tertulliano* scimus hanc epistulam evasisse « falsarias manus Marcionis » (c. Marc. 5, 21). Ille igitur eam recepit, ideo sane, quia erat passim recepta. Et si eius brevitas causa fuit, propter quam Marcion abstinuit ab ea adulteranda, haec eadem brevitas ratio fuit, cur tam raro allegetur. Ceterum notamus apud *Clementem*, *Ignatium* duas epistulas vix ullum vestigium reliquisse, quae inter Paulinas quam maxime insignes et genuinae sunt, 2 C et G. Nihil proinde mirum, si epistula ad Phm pauca habet testimonia externa.

Sed si haec omnia deessent, interna criteria huic epistulae plenam auctoritatem conciliarent. Nam in enumerandis sociis Pauli habet tantam cum ep. ad Col. affinitatem, ut non possit non esse scripta ab eodem auctore et eodem tempore. Indoles autem Paulina tam manifesta, ut falsario nullo modo adscribi potuerit. Neque ex materia tractata ratio falsificationis apparet. Proclamatio enim libertatis servorum, quae ab aliquibus tamquam finis epistulae et ratio falsificationis statuitur, a Paulo non enuntiatur, sed Philemoni solum leviter insinuatur.

Eadem argumenta interna omnes epistulas priores eiusdem auctoris esse demonstrant. De epistulis pastoralibus autem postea dicendum est.

441. *Argumenta interna.* Etiamsi omnia documenta externa deficerent, epistulis ad Galatas, Corinthios, Romanos, Philippenses, Colossenses, Philemonem, Thessalonicenses, Ephesios ex solis internis criteriis omnimoda auctoritas concedenda esset.

1. Impossibile enim esset, hominem fingere indolis Paulinae, in quo omnia tam vera, tam sincera, fingere virum ingenio summo praeditam et nihilominus affabilem, demissum, patientem, eximium sanctitate et homine m, a quo nihil humani abest. Qui omnia in Deo et secundum principia suprema diiudicat, qui nihil aestimat secundum humanas rationes, et tamen paterno affectu suos omnes complectitur, eorum amorem sollicite quaerit, fiduciam expostulat, omni qua potest ratione auctoritatem suam tuetur, ut fidelibus viam ad Christum demonstrare possit.

2. Deinde ea quae Paulus de se, de statu ecclesiarum tradit aut supponit, excludunt fictionem. *a*) Incredibile est enim falsarium adscripsisse Paulo ea, quae narrat de sua vocatione, de suis relationibus ad priores apostolos, ad ecclesiam primitivam, eum in hac vita Dominum non vidisse, ultimo loco vocatum esse, eum fuisse Ecclesiae persecutorem. Falsarius sine dubio multo plura de revelationibus Domini scripsisset.

b) Saeculo secundo nemo difficultates et infestationes finxisset, quas Paulus in ecclesiis suis ex parte aliorum praedicatorum fere semper invenit. Nemo finxisset auctoritatem tanti apostoli in suis ecclesiis fuisse vehementer oppugnatam et aliquos saltem suspicionibus locum dedisse. Praeterea status tam indignus ecclesiae Corinthiacae non potuit fingi et ita describi, ut in 1-2 C nobis depingitur, tanta peccata, scandala, dissensiones, quae in ecclesia Paulina ex paucis annis fundata et fere sub oculis Apostoli acciderunt. Corinthii autem non solum alios praedicatores maioris faciebant propter dona eloquentiae aut eorum vocationem, sed Apostoli et patris sui constantiam, sinceritatem addubitaverunt.

c) Quod ecclesiam Romanam attinet, Paulus in sua epistula docet, hanc ecclesiam nullo modo a se aut suis discipulis esse fundatam, dum iam exeunte saeculo primo Paulus cum Petro inter martyres ecclesiae Romanae enumeretur et in sequenti saeculo fere semper cum Petro hanc ecclesiam fundasse dicatur, cf *Iren.* III 1, 1 ; 3, 2. Ex aliis porro NT[1] libris aut traditione nemo suspicari potuit, Paulum iter romanum ea potissimum intentione cogitasse, ut brevi tempore Romae moratus Romanis comitantibus in Hispaniam proficisceretur, R 15,24. 28 ; cf A 19,21. Eiusdem rationis est, si Apostolus ad Colossenses scribit, eos non vidisse faciem suam, C 2, 1, quibus verbis significatur ecclesiam hanc non esse immediate a Paulo fundatam. Quod eo minus exspectandum erat, cum Apostolus tribus annis in Asia permanserit, et Colossae brevi tantum itinere Epheso distarent. Similia fere innumera ex singulis epistulis afferri possunt, quibus demonstratur nullum esse locum fictioni, sed has epistulas omni ex parte habendas esse genuinas.

Haec de epistulis prioribus. Quaestiones vero, quae epistulas pastorales, ad Hb, ad Ephesios et Colossenses spectant, suis locis tangentur.

Quomodo autem epistulae fingantur, videmus ex epistula ad Laodicenos, tertia ad Corinthios, Actis Pauli, Epistula Apostolorum.

§ 5. De forma externa epistularum Paulinarum

442. 1. Antequam ad epistularum formam considerandam accedimus, pauca de quaestione recentius agitata dicemus, cuius *indolis* sint epistulae Pauli. Sintne generis privati an stricte litterarii, litterae singulis personis aut communitatibus destinatae, an commentationes potius theologicae, quae sub forma epistulae opus litterarium sunt et ab initio omnibus destinantur, quales sunt epistulae poëticae Horatii, Livii, aut prosaicae aliquae Ciceronis, Senecae, Hieronymi, aliorum, cf *Deissmann*, Licht vom Osten[4], 1923, 193-208 ; Paulus[2], 1925, 5-11.

Pauli epistulae sine dubio sunt aliquo sensu epistulae vere privatae, quia omnes scriptae sunt aut singulis personis aut determinatis ecclesiis, ex earum quaestionibus aut statu occasionem sumunt, haec respiciunt et supponunt, ita ut certa adiuncta historica ex ipsis agnosci possint et ex plurimis occasio, causa, finis satis demonstrari possit. Ipsa theologica expositio semper cum adiunctis et praesuppositis cohaeret, ex eis occasionem sumit, aut saepius solum ad illustrandam doctrinam practicam adhibetur. Hoc valet de ipsa quoque epistula ad Ephesios, magis etiam de epistulis ad Romanos et ad Hb. Quae ultima, quamvis quoad linguam et modum demonstrationis magis ad genus stricte litterarium accedat, nihilominus supponit certa adiuncta historica apud lectores, ex iis argumentatur, unam determinatam ecclesiam in periculo constitutam ad constantiam et fidelitatem hortatur, cf Hb 2, 3s ; 5, 11s ; 6, 9-12 ; 10, 23ss. 32-39 ; 12, 1-10. 12s ; 13, 7. 18ss.

Sed omnibus epistulis Pauli aliquid convenit, quo non sunt epistulae mere privatae, etiamsi abstrahimus ab inspiratione, ex qua hae epistulae ex parte continent revelationem divinam Ecclesiae factam. Nam S. Paulus ipse his epistulis tribuit indolem magis universalem, cum vel illam parvam ad Philemonem scriptam coram tota ecclesia domestica praelegendam destinaverit, Phm 2. Epistulam autem alteram ad Corinthios, quamvis res tractet, quae certo non omnes ecclesias Achaiae tangunt, nihilominus praelectioni in tota provincia inscripta est, 2 C 1,1. Epistulae ad Colossenses et Laodicenos in utraque ecclesia legendae erant, C 4, 16. Porro Paulus doctrinae suae adscribit in epistulis suis auctoritatem absolutam (cf G 1, 8ss), neque unquam concedit suum Ev posse subiectum esse mutationi. Immo ipsas quoque monitiones et institutiones practicas pluries ab omnibus ecclesiis servari vult, cf 1 C 4, 17 ; 11, 16 ; 14, 33-36 ; 15, 1ss. Tandem rationes, ex quibus quaestiones solvere solet, sunt fere semper naturae universalis, cum quam maxime proprium sit Pauli omnia reducere ad ultima principia theologica, quod eius epistulis saepissime comprobatur. Proinde ad epistulas has rectissime applicatur verbum Paulinum : « Quaecunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt » R 15, 4 ; cf *Prat* I 76-80.

2. *Linguam* in omnibus epistulis adhibuit Apostolus *graecam*. Fallun-

tur enim, qui olim putarent epistulam ad R scriptam esse latine ; sed ne Hb quidem primitus hebraice aut aramaice scripta est, quod quibusdam ex antiquis *Clementi* Alex., aliis, et ex recentioribus quoque placuit.

a) Apostolus ipse se dicit *imperitum sermone*, 2 C 11, 6. At his verbis non negat ipsi linguam graecam esse familiarem. Optime enim ea utitur et grammaticae leges plerumque bene observat. Magnam habet copiam verborum et ita linguae dominatur, ut sua sensa et ideas optime exprimat. In epistulis hebraismi aut aramaismi sane non desunt, quod vel ex familiaritate, qua utitur VT facile explicatur. *S. Hieronymus* putat quidem Paulum, Hebraeum ex Hebraeis profundos sensus aliena lingua exprimere non potuisse (in G 6, 1), soloecismos in verbis fecisse (in E 3, 1), aut locutionibus « iuxta morem urbis et provinciae suae » usum esse (ep. 121, 10 ad Algas.). At haec non nimis urgenda sunt, cum nullus sit auctor NT[1], cui tanta vis et tanta facilitas linguae competat. Synonyma multa adhibet, cf 2 C 6, 14ss (idea societatis) ; E 1, 19 ; G 1, 11s, praepositiones optime distinguit, paronomasias frequenter usurpat, cf R 1, 19s. 23. 29. 31 ; 2, 1. 8.

b) Proinde si Apostolus se dicit imperitum sermone, alio sensu id accipimus, cum verba sint explicanda ex suppositione epistulae illius. Paulus enim non curat illam elegantiam sermonis, quam Graeci tantopere desiderabant et qua delectabantur, cf A 18, 25. 27. Hanc Paulus non coluit, neque fere colere potuit propter ingenii et idearum abundantiam et animi affectuumque facilem commotionem. Unde fit, ut in sententiis efformandis saepius a regulis grammaticis recedat. Utitur hyperbatis, propositionum partes invertit, ut iam *Irenaeus* notat (III 7, 1s), provocans ad 2 C 4, 4 ; G 3, 19 ; 2 Th 2, 8 ; « propter velocitatem sermonum suorum et impetum, qui in eo est Spiritus ». *Origenes* (in R praef.) Paulum interdum elocutionibus confusis et minus explicitis uti censet. Ellipses sunt apud eum frequentes, at plerumque facile suppletur verbum omissum. Difficilius vero saepe est sensum attingere, quia Paulus ideas inter se coniungit, quarum nexus legenti non tam manifestus est, ut laboremus in percipiendo progressu sermonis. Hoc maxime in illis epistulis occurrit, in quibus maior apparet commotio, v. g. in 2 C, in qua permulta huius rei exempla leguntur.

Anacoluthi vero habentur permulti, cum novis ideis abreptus, sententiam inceptam non ad finem perducit, sed ad aliam constructionem transit, cf R 2, 17-23 ; 3, 7s ; 5, 12-15 ; 9, 22ss ; 15, 22-25 ; 16, 25ss ; 1 C 9, 15s ; 2 C 5, 6ss ; 6, 13 ; 9, 10s. 12ss, alia.

Verborum deinde complexiones nimis protractae saepe leguntur, non solum in ep. ad Eph aut Col, sed etiam ad R 1, 1-7 ; 3, 24-27 et alibi, quae eo exortae sunt, quod Paulus ideas ipsi affluentes unica propositione complecti conatur aut eadem aliis verbis et locutionibus repetit, ut ea magis inculcet.

c) Ex eisdem causis oritur frequentia interrogationum, interpellationum in scribendo, quibus lectores aut adversarios alloquitur, confutat,

ut epistulae saepius magis sermones, quam litterae esse videantur. At notamus similem rationem inveniri tum in disputationibus rabbinorum tum in Stoicorum commentationibus, et ubicunque homo indolis Paulinae docet, argumentatur, monet, idem genus dicendi quasi sponte se offert. Porro cum indole Pauli cohaeret frequens usus antithesium, comparationum, parallelismi. Sed pro sua natura Apostolus saepius plures imagines coniungit, ut se invicem fere perturbent, parallelismus non raro in altero membro relinquitur aut imperfecte tantum continuatur. Frequentes quoque habentur apud Paulum *digressiones*, si ad alias res abripitur. Quod tum potissimum fit, cum ex re particulari ad applicationem universalem transit, v. g. 1 C 7, 17-24, aut 6, 9ss, ubi ex iniustitia, quae a regno Dei excludit ad alia peccata devenit, quae eundem effectum habent, ut his commemoratis ipsos Corinthios alloquatur, qui olim talibus peccatis obnoxii erant, sed iam in Christo abluti et sanctificati sunt, cf R 3, 4-8.

d) Pauli *interpretationem* propter suum genus loquendi esse admodum difficilem, iam antiqui experti sunt. Sed considerata eius indole, comparatis aliis locis, multa lucem accipiunt. Praeterea accurate perspectis adiunctis epistularum finis melius cognoscitur, et ex hoc Apostoli verba et doctrinam facilius assequi licet.

At his difficultatibus non obstantibus epistulae Paulinae manifestant mentem vere religiosam, hominem Dei amore flagrantem, salutem animarum unice quaerentem. Lingua singulari eminet vi et vigore, quod antiqui quoque agnoverunt. *S. Ioannes Chrys.* (de stat. hom. 1, 1, MG 49, 15ss ; de laud. Pauli hom. 1, MG 50, 473s), *Hieron.*« Quotiescunque Paulum Apostolum lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua... Videntur quidem verba simplicia et quasi hominis innocentis et rusticani, et qui nec facere nec declinare noverit insidias, sed quocunque respexeris fulmina sunt» (ad Pammachium ep. 48, 13), cf *Photii* ad Amphilochium Quaest. 92, MG 101, 576s. *Prat* I 80-84.

443. 1. Paulus in epistulis suis sequitur *formam* ab antiquis passim adhibitam.

Unica enim excepta ep. ad Hb, quae caret exordio epistulari, incipiunt a nomine auctoris, quod aliquando magis determinatur aut cui nomen discipuli vel socii adiungitur, exhibetur nomen ecclesiae aut personae, cui epistula destinata est, hoc quoque pluries appositione auctum, tandem salutatione aut imprecatione exordii prior pars absolvitur. Paulus autem non solum voci etiam a sacris auctoribus adhibitae (A 15, 23 ; Jac 1, 1) χαίρειν substituit vocem sacram χάρις, sed etiam addit εἰρήνη ; in epistulis 1-2 T praeterea ἔλεος (secundo loco), cf 2 J 3 ; Jud 2 ; et fontem gratiae et pacis nominat Deum Patrem (excepta sola 1 Th) et Iesum Christum Dominum (excepta fortasse Col 1, 2).

Altera exordii pars continet plerumque gratiarum actionem aut benedic-

tionem Dei propter gratias lectoribus concessas (G 1, 6 « Miror »), ex qua pluries transitus fit ad materiam propositam.

Materia autem pro fine epistulae diversa ratione tractatur, sed in ep. ad R G E C clare distinguitur pars didactica (dogmatica) a morali (paraenetica), etsi in his quoque epistulis ut in Hb admonitiones saltem breviores saepius expositiones didacticas sequantur.

In epilogo Apostolus solet nuntios de sua persona, intentionibus, et alia quaedam practica addere, salutationes ad personas determinatas adscribit, ad ecclesiam, quibus aliquando addit adhortationem vel mandatum, aut amicorum et ecclesiae, in qua degit, salutationes mittit. Suam ipsius salutationem saepius coniungit cum monitione ultima aut imprecatione et benedictione, cui adnectitur doxologia R 16, 25ss.

2. Epistulas suas Paulus *dictare* solebat, quod ex 1 C 16, 21 ; 2 Th 3, 17 ; C 4, 18 ; R 16, 22 ; G 6, 11 elucet, nisi haec ultima epistula integra a Paulo scripta est, quod cum probabilitate asseritur propter 6, 11. Idem certum esse videtur de Phm (cf Phm 19). Sunt qui putent epistulam ad Phil quoque Pauli manu esse scriptam.

Quia Apostolus epistulas suas dictare solitus erat, verba alta voce enuntiabat. Quapropter facilius intellegimus sermonem habere saepe indolem illam sollemnem, quam nos quoque experimur eas alta voce legentes. Quantum temporis epistularum compositio postulaverit, a nobis hodie non iam determinari potest. Pro materiae gravitate et difficultate et pro epistularum ambitu et Apostoli occupationibus plus aut minus temporis postulabatur. Epistula ad Rom certo Apostolus diutius occupatus erat, dum epistula prima ad Thess vel ea ad Phil non tam intensum laborem et meditationem requirebant.

Cum veteres iam tenerent morem epistulas suas colligendi et in libris describendi, non est improbabile Paulum quoque suas epistulas collegisse et occasione data in novis scribendis adhibuisse. Ex qua suppositione facilius intellegitur idearum et ipsius linguae similitudo in aliquibus epistulis, v. g. R et G, aut 1 et 2 Th, aut E et C, cf *Deissmann*, Licht vom Osten[4], 200 ; *UWilcken*, Archiv f. Papyrusforschung 1 [1901] 168. 372.

3. Quoniam Paulus multis curis distinebatur, epistulas suas vix potuit exarare, quin in eis dictandis identidem ad alia vocaretur. Quod non solum de maioribus epistulis valet, quibus scribendis permultae horae necessariae erant, — epistulae ad R et Cor postulabant plus quam decem horas, — sed etiam de minoribus. Proinde verisimile est Apostolum in epistulis suis dictandis plures laborasse dies. Suppositis autem intervallis permultae difficultates, quae in nexu idearum et sententiarum inveniuntur, facilius explicantur. 2 C 10, 1 insinuatur, Paulum antequam ad hanc partem accederet, intermisisse laborem dictandi et postea demum ad eum rediisse ; idem in aliis quoque eiusdem epistulae partibus accidisse videtur et in aliis epistulis, cf *EStange*, Diktierpausen in den Paulusbriefen, ZNW 18 [1917-18] 109-117.

§ 6. De Commentariis et aliis subsidiis in Pauli epistulas

444. *Commentarii* : I. Interpretatio *catholica*. 1. Inter *Graecos* interpretes tempore primus est *Clemens Alex.*, qui teste *Eusebio* (HE VI 13, 2 ; 14, 1) breves scripsit interpretationes in omnes ss. libros, *Hypotyposes*, Adumbrationes. Sed ex Pauli epistulis nihil ad nos pervenit. Omnes epistulas *Origenes* videtur exposuisse. Graece sola fragmenta supersunt ex commentariis in G Tt Hb. Ex *Rufini* interpretatione habetur Comm. in R. *Hieron.* in sua interpretatione ep. ad G et E Tt Phm sequitur Origenem, in ep. 119, 9 ad Minervium et Alexandrum tradit Origenis interpretationem 1 Th 4, 15ss ; Origenis huius commentarii mentionem facit c. Celsum 2, 65. Praeclarae sunt *S.Chrysostomi* homiliae in Paulum, in quibus omnes epistulas tractat, excepta ad G, quam commentario instruxit, MG 60ss. *Theodori Mopsuest.* commentarios in epistulas minores edidit latine *HBSwete* 1-2, Ca. 1880-82. Fragm. MG 66. *Theodoretus* Cyr. scripsit breves commentarios summa laude dignos, MG 82, 36-878. Pauca supersunt ex *S.Cyrilli Alex.* commentariis in R 1-2 C Hb, MG 74, 773-1006 ; *Didymus* commentarios scripsit in 1 C G E, fragm. supersunt ex 2 C, MG 39, 1680ss ; cf *Hier.* ep. 119.5. *Hieronymus* commemorat praeterea *Theodorum Heracleoten* et eius commentariolos Apostoli ep. 119, 2, *Diodorum Tarsensem* ep. 119, 3, *Apollinarim*, 119, 4. *Photius* pauca fragmenta reliquit, MG 101, 1233-53.

Chrysostomum sequuntur Graeci posteriores *Ioannes Damasc.*, MG 95, 441-1033, *Oecumenius*, MG 118s, *Theophylactus*, MG 124s, *Euthymius Zigabenus* (ed. NCalogeras 1-2, Athenis 1887). Quibus addimus *Catenas*.

Ex *Syris S. Ephraem* omnes epistulas excepta ad Phm (cum apocrypha 3C) interpretatus est, commentarius in versione armeniaca nobis servatus est, Venet. 1836, latine Venet. 1893.

2. Ex *Latinis* nominandus est auctor saeculi 4,qui *Ambrosiaster* solet appellari, quia commentarii inter S. Ambrosii opera edi solent (ML 17, 45-508) ; non exposuit ep. ad Hb, quae eo tempore in occidente nondum plenam auctoritatem habuit. Easdem epistulas interpretatus est *Caius Marius Victorinus*, cf *Hieron.* de vir. ill. 101. Supersunt in G Ph E, ML 8, 1145-1294. *S.Hieron.* exposuit ad G E Tt Phm, ML 26, 307-618. Inter eius opera (ML 30, 645-902) est commentarius in 13 Paulinas, a *Pelagio* scriptus, a *Souter* in forma primitiva editus (1926). *S.Augustinus* breviter G, et initium ad R et quosdam locos ep. ad R exposuit, ML 35, 2063-2148. *Primasio Adrumetino* (s. 6) adscribitur commentarius in omnes Paulinas (ML 68, 413-794), sed commentarius est retractatio Pelagii ; expositio Hb sec. *Riggenbach* est *Haimonis Antisiodorensis*, s. 9 (Die ältesten latein. Kommentare z. Hb, Lp. 1907, Zahn, Forschungen 8, 1).

Cassiodorus scripsit breves complexiones, ML 70, 1321-62. *Rabanus Maurus* composuit « quemdam collectarium de Patrum opusculis ». ML

111s. *Sedulius Scottus* († c. 850) et *Haimo Halberst.* (c. 850) similes interpretationes adornaverunt, ML 103, 9-70; 117, 361-938) *Wal. Strabo* in Paulinas quoque *Glossam ordinariam* collegit.

3. *Mediae aetatis* interpretes praecipui sunt *Hervaeus Burgidolensis* (Déols) O. S. B. († c. 1150), ML 181, olim sub nomine S. Anselmi allegatus; *Hugo* a S. Victore († c. 1141) scripsit Quaestiones et decisiones in Paulinas, ML 175, 431-634. *Petri Lombardi* « Collectanea » ex Haimone et Patribus hausta sunt. Novam viam ingressi sunt interpretes saeculi sequentis, inter quos eminet *S. Thomas Aquinas*, qui accuratius dispositionem epistularum considerans singula felicius ex contextu explicat. Praeterea utiliter leguntur Card. *Hugo*, *NLyranus*, *Dionysius Carthusianus*.

4. *Recentioris aetatis* interpretes permulti numerantur, qui operam impenderunt epistulis magni Apostoli explicandis. Merito autem inter eos primo loco nominatur *Guil. Estius* (Commentarius in omnes B. Pauli et septem catholicas epistulas, Duaci 1614). Plerumque optime mentem Apostoli attingit, aliquoties inclinat ad opiniones Iansenistarum. *Benedictus Iustinianus* S. I. multas Patrum expositiones collegit et perpendit, Lugd. 1612s. *Cornelius a Lapide* copiosam interpretationem adornavit, Antw. 1614. Accedunt commentarii Card. *Caietani*, R. 1529; *Ioann. Gagnaei*, P. 1543; *Ambr. Catharini* O. P., P. 1566; Card. *Contarini*, Venet. 1589; *ASalmeronis* S. I., Matriti 1602; *Bernardini a Piconio* O. C., P. 1703; *Natalis Alexandri* O. P., P. 1710, aliorum.

5. *A saeculo* 19 usque ad nostra tempora omnes epistulas interpretatus est *IHKistemaker*, Mst. 1822s, germ.; *IMcEvilly*, Dublin 1875, angl.; *ABisping* 1-4³, Mst. 1873ss, germ.; *GMislei* S. I., R. 1866, ital.; *PDrach*, P. 1871, gall.; *IMGuillemon*², P. 1878, gall.; *AFMaunoury* 1-3, P. 1878-81, gall.; *PRambaud* 1-2, P. 1888, gall.; *ASchäfer* interpretatus est R, 1-2 C, 1-2 Th, G, Hb, Mst. 1890-1903, germ.; in Cursu SScr^ae *Cornely* ed. R 1896; 1-2 C, G², 1909; *Knabenbauer* E, Ph, C, 1912; 1-2 Th, 1-2 T, Tt, Phm, 1913. *PGriesbach* S. I., Lille 1904; *CToussaint* 1-2 Th, G, 1-2 C, P. 1910; R, 1913. Breves commentarios cum interpretatione germanica communi labore ediderunt *ISickenberger*, R, 1-2 C, 1919; *ASteinmann*, 1-2 Th G, 1918; *MMeinertz*, C, E, Phm; *Tillmann*, Ph, 1917; *Meinertz* 1-2 T Tt, 1913; *IRohr*, Hb, 1915, B. et Bonn.

Acatholici: Iohannis *Calvini* in omnes Pauli apostoli epistulas commentarii, Str. 1539 (ed. *Tholuck*, Halis 1831. 34); *HGrotii* annotationes in NT P. 1641; *JABengel*, Gnomon NT¹, 1742; *JJWettstein*, NT graecum II, Amstelod. 1752; *UChrWolf*, Curae philologicae in S. Pauli epistolas, Hambg 1732-34. *HAWMeyer*, Krit.-exeget. Kommentar über das NT, Gtt. 1836-59, cum pluribus collaboratoribus. Editiones recentiores hae sunt: *BWeiss*, R⁹ 1899; *JWeiss*, 1 C⁹ 1910; *HWindisch*, 2 C⁹ 1924; *FrSiefferl*, G⁹ 1899; *EHaupt*, Gefangenschaftsbriefe⁸·⁷ 1901; *EvonDobschütz* 1-2 Th⁷ 1909; *BWeiss*, 1-2 T Tt⁷ 1902; IIb⁶ 1897. Gtt. *Strack-Billerbeck* III, 1926.

Hand-Commentar zum NT: *RALipsius*, G R Ph² 1892; *PWSchmiedel*,

1-2 Th, 1-2 C² 1892; *HvonSoden*, C E Phm Pastoralbr.² 1893; Hb³ 1899, Fr.

Zahn, Kommentar zum NT : *Zahn*, R³ 1925, G³ 1922, *PhBachmann*, 1 C³ 1921 ; 2 C³ 1921 ; *PEwald*, E, C, Phm² 1910; Ph² 1917 ; *GWohlenberg*, 1-2 Th² 1908 ; Pastoralbr.³ 1923, *ERiggenbach*, Hb² 1922, Lp.

Handbuch zum NT : *HLietzmann* R² 1919 ; 1-2 C² G² 1923 ; *MDibelius*, 1-2 Th Ph² 1925; C E Phm² 1927; 1-2 TTt 1913 ; *HWindisch*, Hb 1913, Tb.

The International Critical Commentary : *WSanday-ICHeadlam*, R 1895 ; *ARobertson-APlummer* 1 C 1911 ; *APlummer*, 2C 1915 ; *EDBurton*, G 1920 ; *TKAbbott*, E, C 1897 ; *MRVincent*, Ph, Phm 1897 ; *JEFrame*, 1-2 Th 1912, Edb. (notavi primas editiones).

445. De *doctrina* et *vita* S. Pauli permulti optime meriti sunt.

1. *De Theologia* : *HSimar*, Theologie des hl. Paulus², Fr. 1883 ; *FPrat* S. I., 1-2¹¹, P. 1924s ; *BBartmann*, Paulus, Die Grundzüge seiner Lehre u. die moderne Religionsgeschichte, Pdb. 1914; *HSladeczek*, Paulin. Lehre über d. Moralsubjekt, Regensbg 1899; *ARademacher*, Die übernat. Lebensordnung nach d. paulin. u. johann. Theol., Fr. 1903 ; *JQuirmbach*, Die Lehre des hl. Paulus von d. nat. Gotteserkenntnis u. d. nat. Sittengesetz, Fr. 1906 ; *HCouget*, La divinité de Jésus-Christ, S. Paul, P. 1906; *ARoyet*, Étude sur la christologie de S. Paul, Lyon 1907 ; *VErmoni*, S. Paul et la prière, P. 1907; *ETobac*, Le problème de la justification dans S. Paul, Louvain 1908 ; *FrTillmann*, Die Wiederkunft Christi nach d. paulin. Briefen, BSt 14, 1-2, Fr. 1909 ; *KBenz*, Die Ethik d. Apostels Paulus, BSt 17, 3-4, Fr. 1912 ; *HBertrams*, Das Wesen des Geistes nach d. Anschauung des Ap. Paulus, NTAbh 4, 4, Mst. 1913 ; *GKurze*, Der Engels-u. Teufelsglaube des Ap. Paulus, Fr. 1915 ; *JMBover* S. I., La ascetica de S.Pablo, Barcelona 1916 ; *FVogtland*, Die theolog. Tugenden nach d. Ap. Paulus, Mainz 1917 ; *LMurillo*, Paulus et Pauli scripta, I, R. 1926. *RGBandas*, The Master-Idea of Saint Paul's Epistles or the Redemption, Bruges 1925. *IFreundorfer*, Erbsünde u. Erbtod beim Ap. Paulus, NAbh 13, 1-2, Mst. 1927. *WKoester*, Die Idee der Kirche beim Ap. Pl, NAbh 14, 1. 1928.

Acatholici : JMMeyer, Entwicklung des paulin. Lehrbegriffs, Altona 1801 ; *LUsteri*, Entw. d. paul. Lehrbegriffs³, Zürich 1831 ; *JAWNeander*, Geschichte der Pflanzung u. Leitung der christl. Kirche durch d. Apostel, Hambg 1832 ; *KSchrader*, Der Ap. Paulus 1-5, Lp. 1830-36 ; *FChrBaur*, Paulus, der Ap. Jesu Christi, Stuttg. 1845, 2. ed. *EZeller* 1-2, Lp. 1866s ; *ARitschl*, Die Entstehung d. altkath. Kirche, Bonn 1850; *RALipsius*, Die paulin. Rechtfertigungslehre, Lp. 1853; *OPfleiderer*, Paulinismus², Lp. 1890 ; *ASabatier*, L'apôtre Paul³, P. 1896; *BWeiss*, Lehrbuch d. neutest. Theol.⁷, Stuttg. 1903; *HJHoltzmann*, Lehrb. d. neut. Theol.² *(Jülicher-Bauer)*, Fr. 1911 ; *PFeine*, Theologie d. NT⁴, Lp. 1922; *HWeinel*, Bibl. Theol. d. NT³, Tb. 1921 ; *GBStevens*, The Pauline Theol.², N. Y. 1906 ; *WMorgan*, The Religion and Theology of St. Paul, Edb. 1917 ; *HCremer*, Die paulin. Rechtfertigungslehre, Gü. 1899). *PFeine*, Das gesetzesfreie Ev des Paulus, Lp. 1899. *HAAKennedy*, The Theology of the Epistles, Ld. 1919.

AJuncker, Die Ethik des Ap. Paulus 1-2, Halle 1904-19; *ATitius*, Der Paulinismus unter d. Gesichtspunkt d. Seligkeit, Tb. 1900; *PGardner*, The relig. Experience of St. Paul, Ld. 1911; *GPWetter*, Der Vergeltungsgedanke bei Paulus, Gtt. 1915; *TSchmidt*, Der Leib Christi, Lp. 1919; *HShears*, The Gospel according to St. Paul, Oxf. 1920; *KDeissner*, Paulus u. d. Mystik seiner Zeit², Lp. 1921; *ADeissmann*, Paulus², Tb. 1925; *ASchweitzer*, Geschichte d. Paulin. Forschung von d. Reform. bis auf d. Gegenwart, Tb. 1911. *PFeine*, Der Apostel Paulus, Das Ringen um das geschichtliche Verständnis des Paulus, Gü. 1927.

2. *De vita S. Pauli* : *CFouard*, S. Paul, ses missions[10], P. 1908; ital. *GAlbera*, Torino 1919; Les dernières années, P. 1897; ital. *GAlbera*, Tor. 1920; *LeCamus*, L'œuvre des Apôtres 1-3, P. 1905; *FrXPölzl*, Der Weltapostel Paulus; Die Mitarbeiter des Weltapostels Paulus, Regensbg 1905. 11. *FPrat*, St. Paul[12], P. 1925.

Acatholici : *AHausrath*, Der Ap. Paulus², Hdb. 1872; *ThLewin*, The Life and Epistles of St. Paul⁴, Ld. 1878; *OCone*, Paul, The Man, The Missionary and Teacher, N. Y. 1898; *OZöckler*, Paulus, der Ap. Jesu Christi, Gü. 1890; *CClemen*, Paulus, sein Leben u. Wirken 1-2, Gie. 1904; *MKrenkel*, Beiträge zur Aufhellung der Gesch. u. Briefe des Ap. Paulus², Braunschw. 1895; *WMRamsay*, St. Paul, the Traveller and the Roman Citizen[10], Ld. 1908; *BWeiss*, Paulus u. seine Gemeinden, B. 1914; *AHMcNeile*, St. Paul, his Life and Letters and Christian Doctrine, Ca. 1920.

CAPUT II

DE EPISTULIS ANTE PRIOREM PAULI CAPTIVITATEM SCRIPTIS

§ 7. De prima ad Thessalonicenses epistula

446. 1. Inter epistulas Apostoli, quae ad nos pervenerunt, tempore primum tenere locum videntur epistulae duae ad Thessalonicenses scriptae. Ecclesia Thessalonicensium fundata est in secundo itinere apostolico, postquam Paulus Philippis discessit, A 17, 1-10.

Thessalonica a. 315 a Cassandro fundata et appellata ex nomine uxoris ipsius, sororis Alexandri Magni, tempore S. Pauli erat caput provinciae romanae Macedoniae. Commercium urbis florentissimum multos attraxerat Iudaeos, qui ibi habebant synagogam. Ex eo intellegimus, cur Paulus perambulans Amphipolim et Apolloniam statim se contulerit Thessalonicam. Secundum consuetudinem suam introivit ad Iudaeos, et per tria sabbata disserebat de Scripturis de Christo. Ex Iudaeis quidam crediderunt, multitudo autem magna ex gentilibus proselytis et mulieres nobiles non paucae fidem acceperunt, A 17, 2ss. Iudaei vero tumultum excitantes Apostolum ex urbe expulerunt. Quamdiu Paulus Thessalonicae fuerit, non constat, sed certo non solum tribus sabbatis ibi commoratus est, quod tum ex magno numero fidelium, tum ex iis quae in epistulis legimus elucet. Verba Lucae (A 17, 2) igitur sumenda sunt de praedicatione in synagoga ; simile quid Ephesi factum est, cf A 19, 9s.

2. Paulus postquam urbem reliquit, Beroeam venit, ubi in synagoga Ev praedicavit, sed mox Iudaei Thessalonicenses secuti eum inde exturbaverunt, A 17, 10-15. Paulus profectus est in Achaiam, relictis Silvano et Timotheo, quos tamen iussit ad se venire. Qui eum Athenas convenerunt, sed mox Timotheus in Macedoniam rediit, 1 Th 3, 1ss. Causa autem propter quam Paulus solus Athenis remanserit, fuit cura et sollicitudo apostolica. Audierat enim ecclesiam etiam post suum discessum a gentilibus persecutionem subiisse, 1 Th 2, 14 ; 3, 1-5. Alia vero ratio erat, ut mutuam fiduciam confirmaret, quia timebat, ne fideles post suam profectionem de ipsius sinceritate dubitarent et fortasse calumniis contra eum sparsis a fide divellerentur. Ex prima enim epistula apparet Paulum de hac re valde sollicitum fuisse, 1 Th 2, 1ss. 17ss ; 3, 1-10.

Ex eadem autem epistula intellegimus Timotheum laetos attulisse nuntios de statu ecclesiae et fidelitate neophytorum, 3, 6ss. Praeterea Paulus aliunde accepit confirmationem fidei verae et spei in Christum et caritatis erga omnes fratres in tota Macedonia, 1, 3-10 ; 4,9. Neque minori consolationi erat Apostolo, cum audiret Thessalonicensium amorem erga ipsum nullo modo imminutum esse, sed eos habuisse semper bonam ipsius memoriam, 3, 6.

Sed quaedam erant, quae Apostolum sollicitum reddebant. Audivit enim fideles contristatos fuisse de statu eorum, qui iam mortui erant, et simul videbat eos non recte de parusia sensisse. Alii vero exspectantes Domini adventum otioso generi vitae se dederant, cf 4, 10ss ; 5, 14. Quapropter eos consolatur et adhortatur.

447. *Argumentum* epistulae ex his determinatur. In priore parte suum erga ecclesiam studium et sincerum amorem exponit, cui respondet fides et amor ecclesiae erga Apostolum (2, 1-3, 13), in altera parte sequuntur admonitiones et consolatio (4, 1-5, 22).

Exordium : Inscriptio et gratiarum actio de statu ecclesiae, qui ubique laudatur et indicium est vocationis et electionis divinae, 1, 1-10.

Pars prior : 1. Apostolus describit, quo erga Thessalonicenses studio, qua sinceritate, benignitate et labore operam dederit, ut eos dignos vocatione divina redderet, 2, 1-12. Cui zelo Thessalonicenses responderunt vera fide et constantia in persecutione, 2, 13-16 ; quod Paulus cum grato erga Deum animo agnoscit.

2. Apostoli sollicitudo et cura post eius discessum non imminuta est, sed excitavit desiderium redeundi, propterea mittit Timotheum et solus remanet Athenis, 2, 17-3, 5. Timotheus nuntium affert fidei et caritatis fidelium et eorum erga Apostolum fidelis amoris, quod novum motivum est gratiarum actionis, 3, 6-10.

Concluditur haec pars precatione ad Deum, ut viam reditus aperiat Apostolo et fideles in caritate confirmet, 3, 11-13.

Altera pars : 1. Admonitio ad vitam sanctam, quae est maxime in castitate, in iustitia, in caritate, labore strenuo, 4, 1-12.

2. Consolatio et instructio : Qui ante Christi adventum moriuntur, non sunt deterioris condicionis, quam ii quos Christus inventurus est superstites, 4, 13-18. Domini autem adventus erit repentinus, ideo semper vigilandum, 5, 1-11.

3. Admonitiones, quae vitam communem potissimum spectant : subiectio et amor praepositorum, cura otiosorum et infirmorum, pax et amor inimicorum, 5, 12-16. Gaudium, oratio et dona S. Spiritus, perfectio omnimoda, 5, 17-22.

Epilogus : Benedictio, petitio orationis, salutationes, epistula omnibus legenda, ultima benedictio, 5, 23-28.

448. De tempore et loco, quo prima epistula scripta est, ex ipsa satis constat.

1. Cum Apostolus tanto cum affectu loquatur de separatione ab ecclesia et desiderio eam visendi, de dolore, quod ad tempus horae orbatus sit (2,17-3,5), separatio recenter facta esse videtur. Epistula scripta est statim post reditum Timothei (3, 6), et Paulus gaudio de nuntiis acceptis perfusus est, dum epistulam scribit. Eam autem scriptam supponimus Corintho. Unde a discessu Apostoli haec gesta sunt : praedicat Evangelium Beroeae (A 17, 10-15), proficiscitur Athenas, ubi Timotheus ad Paulum venit. Non enim veri simile est Apostolum per comites Beroeenses mandasse Timotheo, ut Beroea statim Thessalonicam proficisceretur, quia illi Paulum Athenas usque deduxerunt et abeuntes mandatum acceperunt, ut Silam et Timotheum quam celerrime Athenas venire iuberent (A 17, 15). Timotheum igitur supponimus Athenis rediisse et missione in Macedonia feliciter absoluta mox ad magistrum revertisse iam Corinthi degentem (aliter *vonDobschütz*, Die Th-Briefe 13-16). His suppositis censemus haec itinera et ministeria omnia potuisse perfici facile quattuor vel quinque mensibus, neque probabile esse inter Pauli profectionem ex Thessalonica et epistulam fere integrum annum fluxisse. Ergo Paulus nondum diu Corinthi versatus est, cum Silas et Timotheus ad eum venirent.

Obscuritas aliqua est de Sila, num cum Timotheo in Macedoniam profectus sit, an apud Paulum Athenis manserit. Modus loquendi 1 Th 3, 1 magis favet suppositioni, Paulum solum Athenis remansisse, unde fortasse Silas cum Timotheo in Macedoniam rediit, ut aliam ecclesiam visitaret.

2. Epistulam scriptam esse *Corintho* ex iis, quae disputavimus, satis certum est. Non enim probabile habemus, Paulum tamdiu Athenis mansisse, donec Timotheus ex Macedonia redux esset ; praeterea A 18, 5 Silas et Timotheus dicuntur Corinthum ad Paulum venisse. Codices graeci magna ex parte asserunt epistulam scriptam esse ἀπὸ Ἀθηνῶν, B (manu posteriore s. fere 6), A, alii permulti, sy^{p} arm bo *Ephraem*. Secundum *Euthalium* scripta est Corintho. Sy^{h} perperam habet *Laodicaea*, quod apud alios de secunda epistula affirmatur.

§ 8. De altera ad Thessalonicenses epistula

449. Occasio alterius epistulae erant nuntii novi ad Paulum mox post primam epistulam allati, quibus Apostolus docebatur exspectationem adventus Christi adeo animos multorum occupasse, ut parusiam immediate futuram esse crederent, 2 Th 2, 2.

Provocabant ad epistulam a Paulo missam, in qua hoc supponebatur

enuntiatum, 2, 2, cf 3, 17. Ex modo loquendi concludimus Apostolum non cogitasse de falsa interpretatione prioris epistulae, quae revera non facile in hunc sensum detorqueri poterat. Num alia verba de spiritu aut sermone (2, 2) etiam ad Paulum referenda sint, ex contextu non liquet. In fine epistulae sermo est de epistularum subscriptione, qua Apostolus suas epistulas contra falsatas epistulas praemunit. Ergo de hoc potissimum agebatur. Sed monet se in praedicatione sua coram eis de adventu Antichristi locutum esse, 2, 5s ; ex quo apparet Paulum doctrinam plenam de parusia tradidisse, cum ecclesiam fundaret.

Quod Apostolus autem in prima epistula monuerat, ut otiosos et inquietos ad vitam ordinatam reduceret, hoc in altera severius urget in nomine Domini 3, 12, et alios iubet ab his otiosis se subtrahere, 3, 6. Hae vero perturbationes videntur causam habuisse in exspectatione parusiae. Sed notamus Apostolum loqui de quibusdam 3,11. Proinde non agitur de maiore ecclesiae parte.

Ecclesiae statum autem fere eisdem verbis laudat ut in prima epistula, maxime agnoscit constantiam et fidem in tribulationibus et persecutionibus, 1, 3ss. Apostolus ipse scribens hanc epistulam videtur in praedicando Evangelio non paucis impedimentis et difficultatibus laborasse, cum loquatur de hominibus importunis et malis, a quibus liberationem precatur, 3, 1s. Ex quibus non licet accuratius determinare, quo tempore haec scripta sint. Sed optime possunt referri ad ea, quae A 18, 5ss narrantur de Iudaeorum contradictione et blasphemiis.

450. *Argumentum* et divisio epistulae hac ratione enuntiari possunt :

1. *Exordium* post inscriptionem (1,1s) exhibet gratiarum actionem pro fide, caritate, constantia ecclesiae in persecutionibus, in quo Paulus agnoscit argumentum verae vocationis et aeternae retributionis pro fidelibus, reprobationis autem persecutorum et infidelium, 1, 3-10. Apostolus implorat lectoribus gratiam divinam, qua beatum finem ad gloriam Christi augendam obtineant, 1, 11s.

2. *De parusia :* adventus Domini nondum instat, non igitur timendum, 2, 1s. Praecedet defectio, adventus « hominis peccati », qui nondum potest venire (τὸ κατέχον, ὁ κατέχων, 2, 6s). Postquam autem venerit, Dominus eum destruet ; sed signis mendacibus multos seducet, qui non crediderunt veritati, 2, 3-12. Quare gratias agit Apostolus Deo, quod lectores ad salutem vocavit, 2, 13s.

3. *Exhortatio*, ut constanter agant et sequantur traditam doctrinam, imprecatur gratiam divinam, petit preces, ut Ev profectum faciat et ipse ab hominibus malis liberetur, 2, 15-3, 5.

Gravissimis verbis monet fideles, ut a fratribus pigris et inordinatis declinent, provocans ad suum exemplum, et eos corripiant et ad meliorem frugem reducant. Ipsos quoque pigros serio monet, 3, 6-15.

Concludit epistulam imprecans pacem Dei, salutationem sua manu ut signum apponit, gratiam Christi implorat, 3, 16-18.

451. 1. Utramque epistulam argumento et lingua inter se esse simillimam legenti facile patet. Similis est materia de parusia, de statu ecclesiae, persecutiones, fidelitas, sed etiam inordinatio et desidia. Sententiae quoque similes pluries leguntur, sed ita ut plerumque non omnino inter se congruant. In altera epistula Apostolus se severiorem exhibet quam in prima. Ex quo concludimus post missam primam epistulam novos nuntios ad Paulum allatos esse de inordinatis et pigris in ecclesia, ut non solum illos, sed magis totam ecclesiam moneat et ad vigilantiam et sollicitudinem hortetur. Quanto vero tempore post primam epistulam altera scripta sit, certo definiri non potest. Sed epistula videtur scripta esse, postquam Paulus nuntios de prima epistula accepit.

2. Ad explicandas relationes inter utramque epistulam *Harnack* statuit hypothesim, alteram epistulam eodem tempore ac primam scriptam et Iudacochristianis destinatam esse. At haec hypothesis non satisfacit verbis epistulae et A 17,4ss, ut recte monuit *Knabenbauer* (in 2 Th p. 19), cum secundum Actus pauci ex Iudaeis Thessalonicensibus fidem susceperint, Paulus autem in epistula, ex suppositione ad Iudaeos conversos scripta, dicat Ev apud eos currere et clarificari, 2 Th 3, 1. *Harnack*, Das Problem des 2 Th, S. B. der Preuss. Akad. d. W., B. 1910, 560-578.

3. Secunda epistula scripta est fortasse paucis hebdomadis post primam, fortasse duobus vel tribus mensibus postea ; ipsa quoque Corintho. Codices graeci B (poster. manu) AKPL alii, bo (cod. plur.) arm sy^{h} ἀπὸ Ἀθηνῶν. Synopsis Ps-Athanas., quae multis in codicibus textui praemittitur, etiam versioni armen., dicit epistulam scriptam esse *Roma*. sy^{p} unus cod. bo, aeth habent *Laodicaea*.

4. *Ordinem* utriusque epistulae traditum *Grotius*, *Baur*, nostro tempore *Ewald*, *JWeiss*, *WHadorn*, mutandum esse censuerunt. At ex prima epistula manifestum est Apostolum post suum ex ecclesia discessum primos nuntios ad eam mittere et eam de toto modo agendi et suo amore et studio erga eos docere et anxie nuntios ex ipsis exspectasse. Quae omnia non bene intelleguntur, si altera epistula tempore praecessisset. Quare haec opinio omnino fundamento caret. Multo minus autem sententia a *Hadorn* propugnata teneri potest, quae asserit epistulas scriptas esse in tertio itinere Apostoli, quia tum prima tum secunda epistula aperte docent ecclesiam adhuc esse originis recentioris et Paulum sollicitum esse de statu tenerae plantationis ; *Hadorn*, Die Abfass. der Thess. Briefe in der Zeit der 3. Missionsreise des Paulus, BFchTh 24, 3/4, Gü, 1919. cf *Holzmeister*, ZkTh 45 [1921] 589ss.

452. *De genuinitate secundae epistulae.* Ineunte s. 19 *IEChrSchmidt* epistulam impugnavit, postea *Baur* utramque reiecit, sed mox plerique ex acatholicis quoque saltem prioris epistulae genuinitatem agnoverunt, cum praeter testimonia externa antiquissima supra (n. 440) allata epistulae indoles eam omni ex parte confirmet.

Sed dubia de secunda epistula hodie nondum ab omnibus superata sunt. Concedunt quidem permulti nihil inveniri in epistula, quod repugnet origini Paulinae, solam relationem ad primam epistulam vel eius exsistentiam creare difficultatem. Censent enim alteram epistulam fictam esse ad impugnandam priorem. Sed nulla est pugna inter doctrinam utriusque epistulae de parusia, neque status alius ecclesiae supponitur, quod antea ostendimus.

1. Quod vero *parusiam* attinet, Apostolus in priore epistula dicit diem Domini inexspectatum venturum esse, I 5, 2 ; in secunda vero signa indicantur, quae parusiam praecedent II 2, 3-12. Sed ex priore epistula patet adventum Christi potissimum incredulis tam inexspectatum futurum esse, I 5, 3. Neque ex eo, quod quaedam praecedent, sequitur post haec parusiam immediate futuram esse, sed solum eam certo non antea eventuram. Porro apud Evangelistas Dominus ipse quaedam signa vel argumenta tradit et simul eadem ratione loquitur ut Paulus, cf Mt 24,29ss et 24,32s ; 24, 36. 42s ; Mr 13, 21-32 ; L 21, 25-38.

Alterum quod notant, est pugna de *tempore* parusiae. In prima epistula Paulus ita videtur loqui, ac si ipse vivus obviam iturus sit Christo I 4, 15ss ; in altera epistula asserit diem Domini nondum instare (ἐνέστηκεν) II 2, 2. At etiamsi concederemus Apostolum diem tam cito exspectare, nondum sequeretur parusiam immediate instare, posset enim fortasse post plures demum annos supervenire. Thessalonicenses autem tam vicinam esse putabant, ut iam ab operando et officiis vitae cotidianae cessaverint II 3, 11. Paulum vero exspectasse se visurum esse in hac vita Dominum venturum, ex eius verbis non recte concluditur, etiamsi ex illis appareat eum possibilitatem parusiae mox futurae cogitasse, I 4, 15ss ; cf 1 C 15, 51s. Et ex 2 C 5, 2ss discimus Paulum magno desiderio flagrasse *supervestiri*. Sed ibi satis innuit se hanc spem non firmam nutrivisse, sed desiderare magis peregrinari a corpore, 5, 8. Si in priore epistula I 4, 15. 17 se videtur includere in numero eorum, qui relinquuntur (ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι), hoc videtur fecisse repetendo verba Thessalonicensium aut loquendo condicionate, quod revera facile potuit facere, cum ne ipse quidem certo sciret parusiam non futuram esse ipso vivo, cf *Knabenbauer*, in Th 92, *Holzmeister*, ZkTh 40 [1916] 167-182, *Chrysost.* in 1 Th hom. 7, 2, MG 62, 436 ; *Augustin.* de Civ. Dei 20, 20 ; *Decret.* Comm. bibl. 18 Iunii 1915 n. III. n.582.

2. Quod *linguae* similitudinem attinet, quae inter utramque epistulam observatur, haec genuinitatem omnino commendat. Nam non est servilis

aut quaesita. Explicatur autem eo, quod altera epistula priorem mox secuta est, cum Apostolus adhuc memoria retineret ea quae prius scripserat, aut eo quod epistulam primam sibi conservaverat. Genuinitatem utriusque epistulae vindicavit *JWrzol*, Die Echtheit des 2 Thess, BSt 19, 4, 1916. Ex acatholicis eam admittunt *ThZahn*, *GWohlenberg*, *AJülicher*, *AHarnack*, *PFeine*, *Klöpper*, ThSt aus Ostpr., 1889, *GMilligan* Exp. S. 6, 9 [1906] 430-450. *EvonDobschütz*, Komm. 31-49, alii. Ex recentioribus genuinitatem impugnant *HJHoltzmann*, *AHilgenfeld*, *CWeizsäcker*, *Herm. von-Soden*, *PWendland*, *WWrede*, TuU 24, 2, Lp. 1903, *GHollmann*, ZNW 5 [1904] 28-38, alii. Sed rationes novae nullae afferuntur, subiectivis argumentationibus, quae ab aliis alio modo proferuntur, opiniones suas fulcire conantur. Quomodo autem epistula a *Polycarpo* admissa, a *Marcione* in canonem recepta initio s. 2 orta esse possit, nullus ex adversariis explicat neque explicare poterit, neque ostendere quis potuit, qua ex causa epistula ficta sit. Hypothesim ergo statuunt, qua difficultates creantur, non solvuntur.

De *Commentariis* in epistulas ad Th cf n. 444, praeterea *IPanek*, in duas ep. ad Th, Ratisb. 1886 ; *AJohannes*, 1 Th, Dillingen 1898 ; *FrGutjahr*, 1-2 Th[2], Graz 1912 ; *IVosté* O. P., in 1-2 Th, R. 1917.

Acatholici : OZöckler[2], KK, M. 1894 ; *WBornemann-Meyer*, 1-2 Th[6], Gtt. 1894 ; *GGFindlay*, Ca. 1904 ; *Baljon*, Utrecht 1907 ; *GMilligan*, Ld. 1908 ; *APlummer*, 1-2 Th, Ld. 1918.19.

§ 9. De Epistula ad Galatas

453. *De occasione epistulae.* Ex S. Pauli verbis colligimus ecclesias Galatiae in magnum discrimen adductas esse per fratres falsos, qui necessitatem circumcisionis docebant et illam tesseram enuntiasse videntur, de qua sermo est A 15, 1 : « Nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari ».

Re enim vera de alio Evangelio agebatur (G 1, 6ss), secundum quod salus non ex Christi fide sola, sed etiam ex observatione circumcisionis (et totius legis — ita concludit Paulus, G 5, 3) pendet. Videntur autem adversarii Apostoli de sola circumcisione locuti esse, fortasse, ne ab initio Galatas deterrerent. Ut eos autem facilius ad partes suas traherent, non solum ad revelationem VT[1], sed etiam ad ecclesiae hierosolymitanae consuetudinem et apostolorum primariorum auctoritatem provocaverunt, cf G 2, 11ss. Pauli vero Ev et auctoritatem impugnaverunt insinuantes, eum non esse ex apostolis primariis et propter rationes fortasse humanas doctrinam omnino necessariam occultasse.

Galatae vero facilius aures praebuerunt novis praedicatoribus et brevi tempore, sic enim videntur verba οὕτως ταχέως 1, 6 intellegenda esse, in doctrina a Paulo tradita labefactati ad adversariorum partes transire

parati erant. At dum Apostolus epistulam scribit, nondum circumcisionem acceperant, quod eius verbis insinuatur, cf 1, 7 ; 3, 3s ; 4, 9. 17. 21 ; 5, 1.

Per quem Paulus de his, quae in Galatia agebantur, certior factus sit, ex epistula non elucet, neque ubi eo tempore versatus sit. Desunt in epistula alia quoque, quae in aliis leguntur et quae nobis adiumento esse possent adiuncta historica accuratius definiendi. Sed ex epistula constat Apostolum statim, postquam nuntios de perturbationibus in Galatia obortis accepit, pro suo erga ecclesias suas amore ad eas scripsisse, ut ostenderet, quo in periculo versarentur et quantam iniuriam Christo inferret circumcisionis susceptio. Paulus in epistula scribenda summam demonstrat sollicitudinem, timorem, sed indignationem quoque erga perturbatores, quod tum ex modo loquendi tum ex compositione epistulae apparet. Fortasse ipse sua manu integram epistulam scripsit.

154. *De fine et argumento epistulae.* 1. *Finis* ex ipsa epistulae occasione determinatur. Apostolus enim omnibus, quibus potest argumentis et rationibus lectores a suscipienda circumcisione deterrere et in fide tradita retinere nititur.

Interponit suam personam et auctoritatem identidem per totam epistulam 1, 1. 8ss ; 2, 11ss ; 4, 12-20 ; 5, 2s. 7ss ; 6, 11-17. Non minus ex ipsorum Galatarum experientia argumentatur 3, 1-5 ; 5, 6, quam ex historia suae vocationis et agnitione Evangelii sui per Apostolos et ex SScr. Quantopere vero Apostolus in scribenda epistula commotus fuerit, vel ex eo cernimus, quod argumentationem suam pluries interrumpit et lectores interpellat et omni genere affectuum utitur.

2. *Ordo* et *compositio* haec est :

Exordium sollemne : *Inscriptio*, qua Paulus et apostolatum suum et redemptionem per Christum enuntiat 1, 1-5. *Occasio* epistulae : periculum defectionis et protestatio contra aliud Evangelium 1, 6-10.

Pars Prior : Pauli Evangelium est divinum 1, 11-4, 31. Haec pars duplici argumentatione demonstratur.

1. *Argumentatione historica*, qua Apostolus ostendit *a*) se Ev per revelationem Christi accepisse ; ex persecutore et zelatore legis repente mutatus in apostolum nihil hominibus, ne apostolis quidem debet 1, 11-24 (post tres annos vidit Petrum, Iacobum, ignotus ecclesiis Iudaeae).

b) Ab ipsis apostolis Ev eius agnitum est, Titus non coactus, ut circumcideretur, columnae in concilio eum agnoscunt ut gentium apostolum 2, 1-10.

c) Ev suum vindicat coram Petro Antiochiae ei publice resistens 2, 11-21.

2. *Argumentatione theologica*, maxime scripturistica, ostendit Ev a se praedicatum esse unice verum 3, 1-4, 31.

a) Quod consequitur ex ipsa experientia, Spiritus non datus ex lege sed ex fide Christi 3, 1-5

b) Idem ostenditur ex SScr, quae docet Abraham ex fide iustificatum esse, Legem autem de facto maledictionem attulisse, neque promissionem liberam Dei potuisse evertere ; maledictio aufertur per solum Christum et per eundem promissio divina impletur 3, 7-18.

Lex *praeter* promissiones divinas fuit, sed simul finem habuit praeparandi ad Christum (*paedagogus*), peccati potentiam ostendit et filios sub tutela et servitute continuit ad tempus, a qua servitute per Christum liberati et haeredes Dei constituti sumus 3, 19-4, 7.

Ex his admonitio ad lectores, ut hanc libertatem teneant 4, 8-10, et apostolum ut prius nunc quoque audiant, qui veritatem eis attulit et in eis Christi imaginem efformare cupit 4, 12-20.

c) Nova argumentatione *scripturistica*, typica interpretatione filiorum Abrahae denuo libertatem filiorum novae legis ostendit 4, 21-31.

Pars altera *paraenetica* 5, 1-6, 10.

1. *Admonitio* ut libertatem teneant, nisi Christi gratiam amittere velint, ut ad primum fervorem redeant, perturbatores iudicium divinum non effugient 5, 1-12.

2. *Libertatem autem* christianam ne in carnis licentiam convertant, sed opera Spiritus sectentur 5, 13-25.

3. Potissimum *vanam gloriam* et praesumptionem caveant et caritatem exerceant 5, 26-6, 10.

Epilogus (Pauli manu) perturbatorum studia detegit (propria gloria) ; vera gloria in sola cruce Christi, per quem nova creatura ; stigmata Christi 6, 11-18.

455. *De ecclesiis Galatiae et lectoribus epistulae.* Epistula scripta est ecclesiis Galatiae, 1, 2. Apostolus lectores alloquitur « Galatae » 3, 1. Singularem vero ecclesiam aut civitatem numquam per epistulam nominat. Ergo certum est epistulam destinatam esse maiori coetui ecclesiarum, quarum condicio eadem est. Sed cum nomen Galatiae non uno sensu adhibeatur, non una est interpretum sententia de lectoribus epistulae nostrae.

Galatae ineunte s. 3 in Asiam minorem penetraverunt et media in Asia sedes fixerunt tres eorum tribus, Tectosages, Tolistoboii, Trocmi. Incoluerunt urbes Ancyram, Pessinuntem, Tavium. Regio ab ipsis nomen obtinuit Galatiae. Postea autem eorum princeps Deiotarus regis titulum a Pompeio accepit, et Amyntas ultimus rex ab Augusto Lycaoniam, Pisidiam, Pamphyliam impetravit. Post mortem vero Amyntae, qui in bello contra gentes Homonadensium cecidit (a. 25), a. 24 totum regnum in provinciam romanam redactum est, quae retinuit nomen Galatiae. Territoria vero quae non incolebantur a Galatarum tribubus, utebantur suis nominibus et habebant sua comitia. Tempore autem S. Pauli provincia Galatiae complectebatur omnes illas regiones et urbes, quas Apostolus in primo itinere cum Barnaba doctrina Christi imbuit, A 13, 14-14, 24. Unde

quaestio movetur, quae ecclesiae in Pauli epistulae intellegantur, ecclesiae totius provinciae romanae Galatiae, an ecclesiae regionis illius meridionalis solae, an solae ecclesiae territorii Galatiae proprie dictae. Omnes autem hae sententiae suos habent asseclas. Et ex sententia, quae eligitur, aliquomodo determinatur tempus, quo epistula scripta est.

456. *Hypothesis Galatiae meridionalis.* Secundum eam epistula scripta est ecclesiis a Paulo et Barnaba fundatis in primo itinere (Antiochia, Iconium, Lystra, Derbe). Hypothesis primo enuntiata est a *JPMynster* (Einleitg in den Brief an d. G, 1825), propugnata a *Ramsay* (Historical Geogr. of Asia Minor 1890, et saepius), *KLake* (The earlier Epistles of St. Paul, Ld. 1911, 254-265), *OHollzmann*, *CClemen*, potissimum inter catholicos a *ValWeber* (Die Abfassg d. G. vor d. Apostelkonzil, Ravensburg 1900 ; Die Adressaten d. G., ibidem 1900, et alia).

1. Rationes autem, quibus haec sententia commendatur, sunt hae: Paulus solet adhibere nomina provinciarum romanarum, unde Galatiae appellatione intellegenda est haec provincia, proinde vox potest designare ecclesias illas Galatiae meridionalis. In ecclesiis, quibus epistula scripta est, supponuntur Iudaeochristiani, G 3, 2. 13s. 23s ; 4, 3. 5. 9 ; 5, 1 (ita *Zahn*). At in Galatia proprie dicta Iudaei eo tempore non videntur fuisse. Quia in epistula pluries commemoratur Barnabas (2, 1.13) qui lectoribus supponitur esse notus, epistula scripta est ecclesiis fundatis in primo itinere, cum Barnabas postea non iam cum Paulo fuerit.

2. Rationes vero peremptoriae desumuntur ex ipsa epistula et Actis. Cum enim Paulus G 1-2 enumeret itinera sua hierosolymitana (1, 18 ; 2, 1), ut ostendat, quid Hierosolymis egerit cum apostolis, non potest aliquod iter omittere. Hoc autem factum esset, si epistula scripta esset post concilium Apostolorum (A 15) ; nam omisisset iter (A 11, 29s ; 12, 25) a Luca commemoratum. Unde ea quae G 2 narrantur, gesta esse videntur in illo itinere, quo Paulus cum Barnaba eleemosynas Antiochenorum Ierusalem attulerunt (c. a. 42-44).

457. 1. Concedimus nullum argumentum, quod pro hypothesi hac affertur tantam creare probabilitatem quam ultimum, cum non facile intellegatur, cur Paulus in epistula de hoc itinere sileat, dum tantopere veritatem suae narrationis asseverat, G 1, 20. Nihilominus potest ratio sufficiens assignari, cur hoc iter collectarum silentio praetermittat. Quia enim illo tempore apostoli non videntur Hierosolymis adfuisse – soli presbyteri commemorantur A 11, 30, — potuit Paulus silentium tenere.

2. Sed alio ex capite videtur postulari, ut distinguamus ea quae in concilio Apostolorum gesta sunt et ea quae a Paulo G 2 narrantur. In concilio enim impositae sunt clausulae illae Iacobi (A 15, 20. 28s), dum Paulus asserit nihil sibi esse impositum, G 2, 6. 10.

Quam difficultatem aliqui solvunt admittentes textum occidentalem, qui dicitur, huius decreti, secundum quem clausulae sunt indolis moralis, non legalis. At quoniam non accedimus ad hanc sententiam, alia ratione solutionem quaerimus. Potest enim ex ipsa inscriptione decreti A 15, 23 concludi illud non universale fuisse, sed ad ecclesias Syriae, Ciliciae restringi, cf 15, 41 ; 16, 4. Quod eo commendatur, quia in illis regionibus permulti Iudaei erant, quorum consuetudini ratio habenda esse videbatur. Si autem Iacobus A 21, 25 hoc decretum commemorat, ac si universalem obligationem ei attribueret, ex ipso contextu apparet haec solum tamquam consilium Paulo insinuari. Ceterum etiamsi quis crederet decretum pro omnibus ethnicochristianis conditum fuisse, Paulus illud omittere potuit, cum in quaestione, quae coram Galatis agebatur, praeceptum abstinentiae a suffocatis et sanguine relate ad obligationem circumcisionis et observationis totius legis Mosaicae omitti potuerit, praesertim cum hoc praeceptum non solum Mosaicum esset et indoli orientalium omnium responderet. Accedit autem gravissimum illud, quod clausulae Iacobi nullomodo imponebantur ut necessariae ad salutem. De hoc autem agebatur in epistula ad Galatas.

3. Quod *modum loquendi* apud Paulum attinet, non potest ostendi eum semper adhibere appellationes romanas, cf G 1, 21 ; 1 Th 2, 14, alia. Praeterea ex inscriptionibus constat raro ab ipsis Romanis nomen Galatiae solum esse usurpatum ad provinciam designandam, cf *Brandis*, Pauly-Wissowa, Realencyclopädie 7, 534-559. Multo difficilius autem allocutio 3, 1 « O insensati Galatae » ad incolas urbium meridionalium applicari potest.

4. Argumentum olim a *Zahn* propositum de Iudaeochristianis omni vi caret, cum Apostolus soleat revelationem VT[1] considerare tamquam toti generi humano oblatam et passim omnes christianos haeredes habeat omnium promissionum VT[1]. Neque ex G 2, 5 sequitur Paulum pro libertate pugnantem iam ante oculos habuisse illas ecclesias, sed solum asserit se ea occasione propugnasse causam libertatis omnium ex ethnicis salvandorum.

5. Positive autem contra hypothesim Galatiae meridionalis pugnant verba Apostoli G 4, 13, ubi dicit, se δι' ἀσθένειαν τῆς σαρκός illis Ev annuntiasse. Quae verba possunt quidem cum Chrys., Theodoret., Theodor. Mops., Ephraem, aliis, sy[ph] arm Vg alio modo intellegi, fere de condicione, *inter* (cf *Zorell*, Lexicon, διά II 2), at facilius intelleguntur sensu causali. Neque ex modo narrandi Act. 13s videtur consequi Paulum infirmitate inter primum iter laborasse, quod propter G 4, 13ss tenendum est. Quare ex hac parte hypothesis omittenda esse videtur. Praeterea quae in concilio Apostolorum gesta sunt ita narrantur, ut nullo modo insinuetur eandem quaestionem iam antea fuisse ab iisdem apostolis definitam, cum neque Petrus neque Iacobus ad sententiam et decisionem illam provocent, sed ad facta antiquiora, A 15, 7. 14.

Barnabas vero vir eximiae auctoritatis erat in omnibus ecclesiis, quod ex 1 C 9, 6 ; C 4, 10 concluditur et ex Actis abunde comprobatur.

6. Unde omnibus consideratis hypothesis Galatiae meridionalis videtur omittenda esse. Simul autem altera quoque sententia minus probabilis ostenditur, quae ita priorem corrigit, ut epistulam statuat esse scriptam primario ad ecclesias meridionales, sed includat Galatiam proprie dictam, quae interim a Paulo visitata sit. Ita *Cornely*, *Jacquier* (sed ipse quoque dubius haeret), *Zahn* (antea). Accedit quod haec hypothesis etiam minus satisfacit. Supponerentur lectores, qui alio tempore et aliis condicionibus ad fidem conversi sunt, Paulus autem easdem condiciones supponit.

458. Proinde hypothesis, quae censet, epistulam scriptam esse ecclesiis Galatiae proprie dictae, est praeferenda. Ea autem admissa de *tempore* epistulae aliquomodo constat.

Non potest esse scripta ante concilium Apostolorum, cum Paulus eo tempore nondum in Galatia praedicaverit. In secundo igitur aut tertio itinere Apostolus suam epistulam exaravit, cf A 16, 6 ; 18, 23 ; 19, 1. Fortasse magis etiam determinare licet tempus. Cum enim Apostolus G 4, 13 loquatur de prima praedicatione his terminis εὐαγγελισάμην ὑμῖν τὸ πρότερον, videtur innuere se iam bis in Galatia fuisse, cum suam epistulam scriberet. Locutio graeca potest quidem significare *pridem*, *antea*, cf J 6, 52 ; (7, 50s) ; 9, 8, sed in contextu nostrae epistulae haec interpretatio difficilior est. Quare censemus epistulam datam esse in tertio itinere Pauli, et hoc supposito putamus eam Epheso missam esse.

Num autem ab initio commorationis Ephesinae scripta sit, non cum tanta certitudine definitur. Paulus initio scribit Galatas οὕτως ταχέως ad aliud Ev transiisse, G 1, 6. Sed quaeritur, num verba intellegenda sint de Apostoli discessu ex Galatia, ut brevi postea mutatio facta sit, an de celerrima victoria, quam adversarii in Pauli ecclesiis reportaverint, ut brevi labore et contentione fideles ad suas partes pertraxerint. Utraque explicatio probabilis est. Secundum priorem Paulus vix fortasse in Asiam venerat, cum nuntii de mutatione status ad eum afferrentur, et epistula scripta esset initio commorationis, fere anno 54, secundum alteram explicationem, quae fortasse probabilior est, nihil determinari potest. Nihilominus putamus epistulam non demum versus finem praedicationis Ephesinae missam esse, inter 1 et 2 C, quod aliquibus placet, sed prius, cum Paulus in epistula ita loquatur, ut videatur Galatas periculi futuri admonuisse. Adventum et machinationes perturbatorum videtur praevidisse aut timuisse. Ergo potius initio quam in fine itineris tertii epistulam conscriptam habemus.

Auctores plerique recentiores, tum catholici tum acatholici tenent epistulam scriptam esse ad tribus Galatarum in tertio itinere Apostoli, e. g. Windischmann, Hug, Bisping, Felten, Knabenbauer, Prat, Pölzl, Vigouroux, Steinmann, Meinertz, Lagrange, Höpfl, Lightfoot, Cony-

beare, Jülicher, Schürer, von Dobschütz, Wendt, Lietzmann, Deissmann, Moffatt, Feine, alii.

Consentiunt permulti auctores et codicum subscriptiones epistulam Epheso missam esse. Aliorum vero codicum subscriptiones volunt epistulam Roma scriptam esse, B sy^{ph} arm. Eandem sententiam habent *Eusebius Emesenus*, *Theodoret.*, hypothesis *Euthalii*. Sufficit hoc commemorasse, nam nullibi in epistula supponitur Paulum scripsisse ex captivitate.

Qui hypothesim Galatiae meridionalis tenent, putant epistulam scriptam esse ante concilium Apostolorum et esse primam omnium epistularum Pauli, Zahn antea eam voluit scriptam esse in secundo itinere, Corintho a. 53, sex fere mensibus post Pauli adventum.

Propter magnam argumenti et locutionum affinitatem inter epistulas ad Galatas et Romanos sunt qui utramque eodem fere tempore compositam esse dicant, v. g. *Höpfl.* Sed cum argumentum epistularum sit pars praecipua Evangelii S. Pauli et propterea sine dubio saepe ab Apostolo propositum sit, nobis videtur argumentatio minus efficax. Accedit quod probabile est Paulum epistularum suarum exemplar vel saltem notas secum tulisse.

Subsidia interpretationis. *FrWindischmann*, Mainz 1843; *AMessmer*, Brixen 1861; *FrReithmayr*, M. 1865; *DPalmieri* S. I., Galopiae 1886; *INiglutsch*[2], Tridenti 1907; *VWeber*, Ravensburg 1903. *FrGutjahr*[2], Graz 1912. *Lagrange*, P. 1918.

Acatholici: Lightfoot, Ld. 1865, 10. ed. 1890; *Zöckler*[2], KK, Nördl. 1894; *Ramsay*[2], Ld 1900; *JDrummond*, Ld. 1906; *ALWilliams*, Ca. 1911.

Alia subsidia: *JBelser*, Die Selbstverteidigung des hl. Paulus im G., Fr. 1896; *ASteinmann*, Die Abfassungszeit d. G., Mst. 1906; Der Leserkreis d. G., Mst. 1908; *VWeber*, Die antiochenische Kollekte, Würzbg 1917.

GPerrot, De Galatia prov. Romana, P. 1867; *FStähelin*, Gesch. der kleinasiat. Gal.[2], Lp. 1907; *JWeiss*, Kleinasien, PRE 10, 554-560.

§ 10. De epistula prima ad Corinthios

459. *De Corinthiorum ecclesia.* 1. S. Paulus in secundo itinere suo (c. a. 50) venit Corinthum, postquam ex Macedonia expulsus brevi tempore Athenis Ev praedicavit.

Corinthus a Mummio a. 146 deleta erat et centum fere annis postea a Caesare resuscitata, colonia romana facta est (a. 49), mox caput provinciae senatoriae Achaiae (a. 29). Urbs bimaris, brevi tempore ad priorem statum florentem sed etiam ad vitam luxuriosam rediit. Templum Aphrodites secundum Strabonem (VIII 6, 20) numerabat plus quam mille mulieres prostitutas; unde locutiones κορινθιάζεσθαι, Κορινθία κόρη. Utraque epistula ad Corinthios exempla praebet, fideles huius ecclesiae ante

suam conversionem non fuisse liberos a corruptione generali, 1 C 6, 9ss, et post baptismum priora peccata non omnino effugisse 1 C 5, 1ss. 9ss ; 6, 12ss ; 10, 8ss ; 2 C 5, 20 ; 6, 14ss ; 12, 20s ; 13, 2.

2. Quoniam in urbe synagoga Iudaeorum erat, A 18, 4, Paulus pro consuetudine sua primo Iudaeis Ev obtulit, initio solus apostolatum exercens, sed providentia divina ei adiutores dedit Aquilam et Priscillam Roma expulsos. Post adventum autem Silae et Timothei Paulus maiori etiam studio verbum divinum annuntiavit et aliquos ex Iudaeis ad fidem adduxit, Crispum archisynagogum, cf 1 C 1, 14. At Iudaeis repugnantibus ad gentes conversus est Apostolus, 18, 6. Ex eodem loco discimus Titium aliquem Iustum, proselytum fidem suscepisse, ex 1 C alios fideles agnoscimus, Stephanae domum, quos dicit primitias Achaiae 1 C 16, 15, Caium, quem Apostolus ipse baptizavit 1 C 1, 14, qui fuit ex opulentioribus in ecclesia, cf R 16,23, Paulus eius hospitio usus est. Praeterea Erastus, oeconomus urbis R 16, 23, fideles ex familia Chloes 1 C 1, 11. Sed ex eadem epistula discimus Christianos maxima ex parte fuisse pauperes et humiles, 1, 26ss.

A 18, 3 et 1 C 9, 4-15. 18 ; 2 C 11, 7-12 ; 12, 13-18 legimus Paulum victum opere manuum suarum sibi comparasse, immo inopiam passum esse, cum Corinthi degeret, 2 C 11, 8s. Opus apostolatus proficiebat quidem et multi Corinthiorum baptismum receperunt, at Paulus videtur Iudaeorum et aliorum resistentiam et impugnationes magnopere expertus esse, ut Dominus in visione nocturna ei fiduciam et animum adderet, A 18, 9s. Qua visione recreatus Apostolus perseveravit et per annum et sex menses ministerio se dedit. Iudaeorum vero infestationes eo usque processerunt, ut Paulum ad Gallionem, novum proconsulem traherent, sed repulit ille eos et Apostolus postea multos dies sustinuit Corinthi, donec biennio fere exacto in Syriam rediit, A 18, 11-18.

Mox autem tertium iter aggressus Ephesum venit, ubi per tres fere annos residens cum ecclesiis Macedoniae et Achaiae per nuntios et epistulas commercium habuit. Ita factum est, ut Corinthiis quoque epistulas scripserit. Rationes autem, quae Apostolum movebant, erant gravissimae.

460. Post Pauli enim discessum plura pericula oborta erant, quae ecclesiam Corinthiorum in summa discrimina adduxerunt.

1. Mox postquam Apostolus Achaiam reliquit, Corinthum venerunt alii praedicatores, qui auctores factionum et schismatum facti sunt. Inter eos fuit *Apollos*, Alexandrinus, vir SScr^ae^ gnarus, qui venerat Ephesum, iam edoctus baptisma Ioannis, ibi ab Aquila et Priscilla in via Domini institutus et a fratribus commendatus in Achaiam profectus est. Corinthiis vero eius praedicatio ita probabatur, ut non pauci ei adhaererent eumque Paulo praeponerent. Postea Ephesum rediit et cum Apostolus primam ad Corinthios epistulam scriberet, apud eum versabatur, et ex ipsa epistula elucet, eos caritate et animo fuisse coniunctissimos, cf A 18, 24-19, 1 ; 1 C 1, 12 ; 3, 4s. 22 ; 4, 6 ; 16, 12.

Sed alii quoque Corinthum venerunt, qui palaestinenses Iudaeochristiani fuisse videntur, Petri apostoli primarii auctoritatem efferentes et Pauli dignitatem impugnantes. Ex epistula non efficitur, Petrum (Cepham) ipsum Corinthi fuisse. At ex Paulo certum est eius nomen tamquam tesseram usurpatum esse, 1, 12 ; 3,22 ; 9, 5. Illis autem, qui Apollo et Cephae nomina iactabant, alii nomen Pauli fundatoris et patris opponebant, ita ut tres factiones in ecclesia numerarentur, quarum asseclae suos magistros vel duces prae aliis extollebant et ipsi sibi aliquam excellentiam adscribebant, cf 1 C 4, 6ss. Quid de quarta factione a Paulo enumerata censendum sit, non constat (« ego autem Christi » 1, 12). Si agitur de quarta factione, quod ex modo loquendi commendatur, ita videtur probabiliter concipienda esse, ut eius asseclae indebito modo intimam aliquam cum Christo relationem prae aliis iactarent. Sed ex Paulo nihil de hac re definiri potest. At certum est his factionibus unitatem et pacem in ecclesia non leviter esse perturbatam ; et Apostolus ipsas factiones et earum ultimas causas gravissimis argumentis omni ex parte confutat.

2. Haec autem studia coniuncta erant cum quadam superbia et inflatione, vel potius ex ea nascebantur, 3, 18ss ; 4, 5ss. 18ss ; 5, 1s. 6. Delectabantur sapientia humana et eam quaerebant. Aestimabant falso dona extraordinaria S. Spiritus prae vera virtute et caritate, et inter dona ea praeferebant, quae minoris erant utilitatis pro ecclesia, 12-14.

3. Peiora vero acciderant. Ex 1 C 5, 9ss discimus Apostolum ante hanc epistulam aliam scripsisse, in qua ecclesiam admonuerat et reprehenderat propter peccata manifesta, maxime luxuriae, et praeceperat, ut Christiani consuetudinem cum peccatoribus fratribus declinarent. Quae monitiones non videntur omni ex parte fructum fecisse, si ex altera epistula concludere licet. Non solum enim paenitentiam non egerunt, sed in peccando perseveraverunt permulti, 2 C 12,21. Immo post priorem epistulam deperditam scandalum gravissimum in ecclesia ortum est, cum aliquis frater cum uxore patris incestuosam vitam ageret, 5,1ss. Ecclesia autem hoc scandalum tolerabat.

Alii vero peccata luxuriae utpote mere externa indifferentia esse dictitabant et omnia licita esse proclamabant, 6, 12ss. Alii ex similibus rationibus in esu idolothytorum longius procedebant neque scandalum fratrum evitabant, 8ss.

4. In ipsa porro ecclesia doctrina Christi adeo depravata erat, ut fratres inter se lites intenderent et eas ad iudices ethnicos deferrent 6, 1-11. In coetu sacro ordo et decentia multiplici ex capite turbabantur. Mulieres condicionis suae immemores erant, 11, 3-16 ; 14, 33-36. Cena eucharistica non ea qua par erat reverentia celebrabatur 11, 17-34.

Tandem dubia de resurrectione futura aliquorum animos occupabant 15.

Ex his apparet, quantopere ecclesia indigeret Apostoli sui cura et auxilio.

5. Sed alia erant, quae ostendunt in ecclesia non solum peccata et

defectus fuisse deplorandos, sed etiam perfectionem christianam saltem apud aliquos floruisse. Quaestio de virginitate et continentia in matrimonio servanda Paulo erat proposita. Fuerunt qui propter conscientiam ab omni esu idolothytorum abstinerent. Quod etiamsi non respondebat principiis christianis, tamen indicium erat conscientiae timoratae. Dona vero S. Spiritus, quae Corinthiis uberrima largitate data erant, manifestant vitam et liberalitatem Dei, quod ipse Apostolus agnoscit, quamvis doceat in donis ipsis non consistere veram sanctitatem internam.

461. *De fine, argumento et ordine epistulae.* 1. *Finis* epistulae ex iis, quae de statu ecclesiae diximus, definitur. Apostolus defectibus remedia efficacia afferre intendit. Quare gravissimis verbis peccata et statum indignum describit, eorum causas aperit et severis praeceptis corrigere conatur.

Auctoritate sua apostolica identidem utitur, 1, 10 ; 3, 10 ;4,1ss. 15-21 ; 5, 3ss. 13 ; 7, 10. 12. 25. 40 ; 8, 1ss ; 11, 1s. 16. 34 ; 14, 37 ; 15, 1ss. 11. 34 ; 16, 1ss.

Non minus autem ea agnoscit, quae bona videt, studium et oboedientiam laudat et non obstantibus defectibus et peccatis et infestationibus, quibus ipsius auctoritas a suis fidelibus impetitur, paterno affectu eos complectitur.

2. Epistula pro varietate argumentorum prae aliis omnibus Paulinis excellit, neque ulla alia tantopere vitam et statum ecclesiae primitivae et apostolicae manifestat quam nostra. Quare summae utilitatis est ad cognoscendas quaestiones et vitam internam ecclesiarum apostolicarum.

Apostolus ab initio epistulae ea tractat, quae a legatis Corinthiorum didicit. Deinde ea solvit, quae per epistulam ad eum missam interrogaverant. In fine autem videtur ad alia transire, quae non proposita erant. Unde elucet unitatem materiae in epistula non esse quaerendam. Singulae autem quaestiones facile distinguuntur. Aliquae autem fusius tractantur, ut schismata, idolothyta, dona S. Spiritus, virginitas,resurrectio.

3. *Compositio* epistulae haec est :

Exordium 1, 1-9, constat inscriptione, qua Apostolus insinuat lectores eandem habere vocationem cum omnibus ubique fidelibus, et gratiarum actione pro gratiis acceptis, quae Apostolo sunt pignus gratiae finalis et perseverantiae.

I. *De defectibus et malis* 1, 10-6, 20.

1. *De factionibus* 1, 10-4, 21. Postquam Apostolus factum dissensio-

num exposuit 1, 11s, ostendit eas repugnare *a*) relationi Christianorum ad Christum unicam causam salutis 1, 13-16.

b) Intentioni Dei et eius vocationi, cuius exemplum ipsa ecclesia Corinthiorum est 1, 17-25. 26-31, et cui Paulus ipse se subiecit respuens omnem sapientiam humanam 2, 1-5. Sapientiam vero divinam solis perfectis tradere potest, quales Corinthii nondum fuerunt neque nunc sunt, utpote carnales 2, 6-3, 4.

c) Factiones repugnant rectae considerationi muneris apostolici, secundum quam apostoli sunt collaboratores Dei in aedificio Dei erigendo et templo Dei exstruendo, 3, 5-17 ; proinde caveant a sapientia sectanda et omnia ad Christum et Deum referant, 3, 18-23.

d) Modus agendi repugnat iuribus Dei, cui soli apostoli tamquam dispensatores mysteriorum divinorum subiecti sunt, et repugnat humilitati et veritati, cum omnia sint gratuita dona Dei, 4, 1-7.

e) Haec pars concluditur acerrima correptione, quae in descriptionem vitae et sortis apostolorum transit et finitur protestatione paterni amoris. Tandem Paulus missionem Timothei annuntiat et suum ipsius adventum, 4, 8-16. 17-21.

2. *De incestuoso*, quem auctoritate Christi ex ecclesia eiciendum praecipit, et de peccatoribus fratribus vitandis (prior epistula 5, 9. 11), 5, 1-8. 9-13.

3. *De causis coram ethnicis* actis et iniustitia, et de peccatis, quae a regno Dei excludunt, 6, 1-11.

4. *De natura peccati luxuriae*, peccatum contra corpus Christi et violatio templi Spiritus sancti, 6, 12-20.

II. *Responsa ad quaestiones a Corinthiis propositas* 7, 1-16, 4.

1. *De continentia et virginitate* 7, 1-40. *a*) in matrimonio continentia bona quidem, sed non semper exercenda, status caelebs per se bonus, sed non omnibus commendandus, 7, 1-7. 8-9.

b) Matrimonium ex Domini praecepto indissolubile, 7, 10-11, matrimonium inter fidelem et infidelem solubile. Privilegium Paulinum, sed sine causa non discedendum, 7, 12-17. Universale principium manendi in vocatione semel acceptata, nam in Christo novus status, 7, 18-24.

c) Virginibus consilium datur : virginitas praestat prae matrimonio, condicio particularis, 7, 24-35. 36-38, idem consilium viduis proponitur, 7, 39s.

2. *De idolothytorum manducatione* 8, 1-11, 1.

a) Idolothytorum manducatio licita, unus Deus ex quo omnia, 8, 1-6, sed propter fratrem infirmum, pro quo Christus mortuus est, abstinendum, 8, 7-13.

b) Apostolus exemplum se exhibet renuntiationis in iis, quae tamquam apostolus iure exigere potuit (sustentatio), immo se servum omnium exhibet, ut quam plurimis salutem comparet et ipse salvus fiat, 9, 1-18. 19-23, quare corpus suum in servitutem redigit, 9, 24-27.

c) Ad materiam rediens periculum exponit, quod in participatione in epulis sacrificalibus latet. In historia populi Israel ostendit, populum maximis gratiis et miraculis cumulatum in peccata gravissima prolapsum esse, quare ipsi caveant et in Deum confidant, 10,1-13. Participatio vero in epulis sacrificalibus repugnat communioni corporis Christi et christianum in communionem cum daemoniis ducit, 10, 14-22.

d) Si agitur de sola manducatione idolothytorum, ratio aedificationis habenda est; conscientia quidem propria et libertas non subiacet iudicio alterius, sed caritas potest postulare, ut abstineant, 10, 23-30. Ita in omnibus gloriam Dei et salutem proximi spectent, sequentes exemplum Apostoli, 10, 31-11, 1.

3. *De abusibus in coetu religioso cavendis* 11, 2-34.

a) Mulieres in conventu ecclesiae ne orent aut prophetent capite non velato, 11, 2-16.

b) In agapis celebrandis propter schismata et irreverentiam (11, 17-22) *cena dominica* non potest fieri ea ratione, quae tanto mysterio digna sit, 11, 23-34.

4. *De charismatis* 12, 1-14, 40.

a) Principium, ex quo omnia charismata agnoscenda sint, 12, 1-3.

b) Donorum varietas ex uno Deo ad utilitatem ecclesiae 12, 4-11, demonstratur exemplo corporis et varietate membrorum eorumque necessitate, 12, 12-26, applicatio ad ecclesiam, 12, 27-30.

c) Via excellentior et magis necessaria, *caritas*, quacum comparata omnia dona inferiora sunt 12, 31-13, 3 ; caritatis efficacia, 13, 4-7 ; caritatis duratio et praecellentia prae omnibus donis et aliis virtutibus, 13, 8-13.

d) Inter dona excellit *prophetia* prae *dono linguarum*, quod ostenditur ex utriusque doni natura et utilitate pro ecclesia, 14, 1-25. Regulae pro exercitio utriusque doni, 14, 26-33. Monitum pro mulieribus, 14, 33-36.

Epilogus de donis 13, 37-40.

5. *De resurrectione* 15, 1-57.

a) Fundamenta praedicationis ab omnibus apostolis agnita, potissimum resurrectio, quae certissimis argumentis comprobatur 15, 1-11.

b) Ex resurrectione Christi consequitur nostra resurrectio, qua mortis potestas destruetur, cuius certitudo ab ipsis Corinthiis agnoscitur et tota vita Apostoli comprobatur. Concluditur haec pars correptione 15, 12-34.

c) De modo resurrectionis : idem corpus resuscitari posse ostenditur comparationibus ex natura desumptis, sed resurget corpus glorificatum non corruptibile ; quae immutatio possibilis est 15, 35-49, immo neces, saria, quia tum demum mortis et peccati imperium perfecte destructum erit (ut antea 15, 26). Absolvitur haec pars gratiarum actione et admonitione constantiae et fiduciae 15, 50-56. 57-58.

Epilogus : 1. Praecepta *de eleemosynis* colligendis (fortasse Corinthii ipsi Paulum interrogaverant de hac re) 16, 1-4.

2. De *adventu* futuro Apostoli et laboribus Ephesi 16, 5-9.

3. De *Timotheo* et *Apollo* 16, 10-12.

4. *Exhortationes* ultimae, potissimum oboedientiae 16, 13-18.
5. *Salutationes*, Maran atha, 16, 19-24.

462. De *tempore* et *adiunctis* epistulae. Ex Apostoli verbis constat epistulam scriptam esse Epheso, praeterea legimus Paulum usque ad festum Pentecostes Ephesi permansurum esse. Unde epistula scripta est ultimo tempore praedicationis Ephesinae. Apostolus iam prospicit finem suae commorationis et determinat satis accurate tempus suae profectionis. Quare epistula videtur scripta esse non adeo diu ante festum Pentecostes.

Sed accuratius tempus definire non licet, quamvis non pauci putent hoc fieri posse provocantes ad 5,7 « Pascha nostrum immolatus est Christus », censentes his verbis innui tempus paschale. Sed iam *Chrysostomus* vidit hanc conclusionem non esse efficacem. Neque cum *Cornely* asseri potest Paulum propter festum paschale vicinum ad ideam agni paschalis devenisse. Qui enim legerit epistulas ad Corinthios facile videbit, quantopere Paulus etiam coram ethnicochristianis VT passim adhibeat. Praeterea autem ex contextu commendabatur haec comparatio, cum 5, 6s sermo sit de fermento et azymis. Censemus vero epistulam scriptam esse aliquo tempore ante Pascha.

In epistula enim bis commemoratur missio *Timothei* 4, 17 ; 16, 10s. Timotheus iam profectus est ante epistulae conscriptionem, et Paulus supponit eum adventurum esse, postquam epistula ad ecclesiam per Stephanam, Fortunatum, Achaicum (16, 17) ad Corinthios delata est. Timotheus igitur per Macedoniam iter instituit, at non est illud iter, quod A 19, 22 commemoratur, cum Timotheus mandatum habeat ad Paulum redeundi Ephesum (16, 11). Haec omnia videntur exigere temporis spatium longius.

Quia Apostolus autem loquitur de profectione sua mox futura in Macedoniam, multi putant epistulam ultimo anno commorationis Ephesinae scriptam esse, a. 57 aut fortasse 56. Quod admittendum est, nisi adsint rationes, quae suadeant Paulum diutius Ephesi remansisse, quam antea proposuerat. Sed de hac quaestione postea dicendum erit.

§ 11. De epistula secunda ad Corinthios

463. *De occasione et fine secundae ad Corinthios epistulae.* 1. Quoniam de iis, quae inter primam et secundam epistulam canonicam gesta sunt, non omnino constet, prius ex sola altera epistula colligimus, quae Paulus ipse indicat. Epistula scripta est, postquam Apostolus Epheso in Macedoniam venit et ibi a *Tito* nuntios de ecclesia Corinthiorum accepit diu et sollicite exspectatos.

a) Ex epistula enim discimus, quod aliunde non est notum, *Titum* Epheso missum esse in Achaiam, quod videtur factum esse, postquam *Timotheus* iam a Paulo in Macedoniam praemissus est, cf A 19,22. Causa autem huius missionis erat status ecclesiae et potissimum sollicitudo Apostoli et timor, ne epistula aliqua prius scripta sua acerbitate Corinthios nimis contristasset, 2 C 2, 3s ; 7, 8s. 12. Epistulam illam Paulus dicit a se compositam in magna tribulatione et cordis angustia cum multis lacrimis, 2, 4. *Finis* autem huius epistulae fuit probatio oboedientiae, 2, 9; 7, 7. 11s, ita ut alia causa, quae simul agebatur et quae videtur occasio fuisse Apostolo, ut tantopere insisteret oboedientiae perfectae et subiectioni, non iam primaria sed secundaria esset. Causa autem agebatur de homine, qui Paulum contristavit aut contristasse videbatur (2, 5) aut eum offendit 7, 12. Apostolus eius punitionem postulavit, quod Corinthii ab initio non praestitisse videntur, ita ut Paulus postea in sua epistula et per Titum hoc quam maxime exigeret. Ex epistula vero discimus Corinthios Tito obsecutos esse. Paulus autem in sua epistula gaudium suum describit, quod expertus sit, cum a Tito reduce hos laetos nuntios acciperet, et prior epistulae pars potissimum scripta est, ut Corinthii discerent Apostolum contentum esse eorum oboedientia et studio, 7, 11.

b) Sed epistulae prima pars non solum haec enarrat. Nam ab initio alia quoque legimus, quibus Paulus suum modum agendi sive excusat sive explicat. Sperat Corinthios ipsum aliquando perfecte agnituros esse (1, 13s), negat se indigere epistulis commendatitiis ad ipsos aut ab ipsis (3, 1ss), explicat causas cur consilia sua mutaverit neque Corinthum venerit, 1, 15-24. Rationem sui apostolatus reddit vario sub respectu, 2, 14ss ; 3, 4-8. 12s. 18 ; 4, 1-5. 16ss ; 5, 11ss ; 6, 3-13 ; 7, 2s. Ex his locis apparet Paulum apologiam habere coram lectoribus suis, qui ei exprobraverant inconstantiam et defectum sinceritatis in eo notaverant. Simul vero legimus de iis, qui gloriantur in facie neque habent, cur in corde glorientur, 5, 12. Sunt igitur in ecclesia homines, qui suam auctoritatem iactant et contra Paulum loquuntur, dum Apostolus a Corinthiis exspectat eos gloriaturos esse pro ipso contra illos, 5, 12.

Haec ergo pars epistulae scripta est ea intentione, ut Paulus suum gaudium manifestet et intimam cum fidelibus suis coniunctionem enuntiet et simul causas expediat, propter quas fiducia ex parte ecclesiae imminuta erat.

c) Tertium tandem argumentum huius partis continet adhortationem lectorum se reconciliandi cum Deo, 5, 20 ; 6, 2 ; 6, 13-7, 1. Quae aliquibus quidem videntur esse aliena et peregrina in hac parte ; at non est dubium, quin Apostolus consulto has admonitiones cum aliis misceat.

2. Novam materiam aggreditur Apostolus in sequentibus tractans *de collectis* instituendis.

Titus cum apud Corinthios versaretur, hoc negotium iam praeparave-

rat (8, 6), sed denuo a Paulo mittitur, ut illud ad finem perducat. Haec igitur pars (8-9) est fere epistula commendatitia Tito et eius comitibus data ad missionem bene obeundam. Ex modo quo Paulus loquitur, elucet collectionem nondum ipsius exspectationi respondisse, cf 9, 3ss.

3. Tertia epistulae pars cum prima aliquomodo coniuncta est, quia redit ad *apologiam* et *tuendam auctoritatem* Apostoli, et fere tota in hac materia versatur, ita tamen ut modus loquendi sit multo severior et acerbior quam in prima parte, et adversarii, qui antea tantum brevissime tangebantur, iam graviter obiurgentur et confutentur.

Simul autem ipsi Corinthii cum illis non leviter perstringuntur, quod illis aures praebuerint et de apostoli sui fidelitate et veracitate dubitaverint. Accedit tandem correptio durior ecclesiae propter peccata discordiae et luxuriae, quae Paulus se puniturum esse denuntiat.

De hac parte propter modum loquendi et ipsam materiam dubia a quibusdam moventur, num ad hanc epistulam pertineat, postquam Paulus in prima parte affectui gaudii et fiduciae et mutui amoris tantopere se dedit. Quapropter fuerunt, qui ultima capita a nostra epistula separarent et ea scripta esse putarent alia occasione ; plerumque autem censent ea ante epistulam nostram exarata esse. Sed de his postea dicemus.

Id certo ex ultima parte compertum est etiam post primam epistulam peccata haec graviora nondum fuisse penitus ablata, neque dissensiones per illam epistulam fuisse eradicatas, Apostoli autem auctoritatem ab ipsius adversariis magis etiam fuisse obnoxiam oppugnationibus.

464. *Argumentum et compositio epistulae.* De argumento ex occasione et fine satis constat. Compositio autem eatenus facile perspicitur, quatenus tres partes inter se ipso argumento distinguuntur, 1-7 ; 8-9 ; 10-13.

Exordium constat *inscriptione* brevi, in qua omnes ecclesiae Achaiae salutantur, 1, 1s, et *gratiarum actione*, qua Apostolus gratias agit pro beneficio maximo ipsi concesso in ereptione ex periculo mortis. Sed hoc ipsum beneficium et omnia sua mente apostolica in bonum suorum lectorum dirigit, 1, 3-11.

I. Pars prima, 1, 12-7, 16. Apostolus suam sinceritatem et amorem enuntiat, quo omnia in bonum ecclesiae ordinat, et per ea quae recenter acciderunt, suum gaudium et intimam cum fidelibus suis coniunctionem restitutam et roboratam esse asserit.

Modus tractandi intellegitur supposita animi dispositione Apostoli, qui duo inter se coniungere conatur, *a*) describit suam exspectationem nuntiorum quos ex Corintho afferendos sperabat et gaudium de nuntiis acceptis ; *b*) simul rationem exhibet eorum, quae in munere suo administrando intendit et gessit,

ut fiduciam denuo excitet et confirmet. Haec autem inter se coniunguntur et alterum argumentum ab altero pluries pellitur, donec c. 7 id quod diu exspectabamus, verbis consolatione plenis enuntiatur.

1. Apostolus in sinceritate et in gratia Dei conversatus in mundo, maxime coram Corinthiis, propterea eos invisere proposuerat, at eis parcens, non ex inconstantia animi, abstinuit; 1,12-24. Sed epistula missa causam difficilem et tristem componere tentavit, in cuius compositione cum Corinthiis consentit, 2, 1-11.

2. Sed antequam nuntios huius compositionis accepit, tanto desiderio et anxietate tenebatur, ut renuntians optimae occasioni Evangelii Troade praedicandi Tito obviam ierit in Macedoniam. Adventus autem Titi memoriam recolens gratias agit Deo, qui apostolum suum semper triumphare facit, quod etiam apud Corinthios obtinuit, qui sunt epistula Christi per Apostolum scripta, 2,12-3,3.

3. Haec autem *fiducia*, qua Apostolus *gloriatur*, non fundatur viribus propriis, sed in Deo qui vires subministrat et ministerio tam glorioso praeparat, cui ipse Apostolus respondere conatur sinceritate et fidelitate, 3,4-4,6.

4. *Gloria* autem ministerii non minuitur eo, quod vas sit fictile, sed in liberatione ex periculis et morte virtus Dei magis manifestatur et fidelium vita promovetur. Apostolus autem ipse memor Christi et aeternae retributionis in fiducia et constantia roboratur 4,7-5,10.

5. *Caritate* vero Christi, qui pro omnibus mortuus est, semper tenetur et fungitur munere *reconciliationis* illud exercens in omni constantia et sanctitate 5, 11-6, 13.

6. Ministerii *reconciliationis* memor admonet Corinthios, ut perfectam sanctificationem sectentur in timore Dei 6, 14-7, 1.

7. Tandem redit ad initium et plenam pacem et fiduciam restitutam esse testatur, postquam Titus redux oboedientiae et amoris testimonium reddidit 7, 2-16.

II. Pars altera, 8,1-9,15, de eleemosynis colligendis.

1. Exemplo ecclesiarum Macedoniae hortatur Corinthios ad generosam oblationem faciendam provocans ad Christi caritatem et retributionem 8, 1-15.

2. Commendat Titum, cuius fervorem laudat, et alios fratres duos apostolos ecclesiarum, providens bona etiam coram hominibus 8, 16-24.

3. Motiva addit exemplum Macedonum, Dei providentiam, sanctorum gratum animum 9, 1-15.

III. Pars tertia 10,1-13,10. Adventus futuri praeparatio per ecclesiae increpationem, adversariorum confutationem, propriae auctoritatis vindicationem.

Hanc esse indolem huius partis Apostolus clare indicat. Per epistulam enim ita praeparare conatur fideles, ne in adventu suo durius agere debeat et uti potestate sua apostolica corripiendi et destruendi, sed possit ea uti, sicut Do-

minus eam dedit, ad aedificationem, cf 10, 8 ; 13, 10. Quare statim ab initio huius partis minatur se usurum esse potentia Dei ad destructionem et ulciscendam omnem inoboedientiam, et in fine eiusdem partis dicit, nisi paenitentiam egerint et ad meliorem frugem redierint, illos experimentum facturos esse Christi in Apostolo loquentis et operantis, 13, 2ss. Praeterea post apologiam affirmat eam habitam esse ad eorum aedificationem, ut cum venerit eos inveniat, quales velit 12, 19s. Proinde de intentione Apostoli ex eius verbis constat et manifestum est, omnia quae in tertia parte dicuntur ad hunc finem dirigi. His autem praemissis ordo sententiarum hic statui potest :

1. Apostolus denuntiat adventum suum, in quo utetur sua *potestate*, ut omnia convellat, quae contra Deum et Christum eriguntur 10, 1-6.

2. Hac potestate iure *gloriatur*, etsi primario data est ad aedificationem, quia Deus ei amplissimos apostolatus fructus concessit, in quo adversarios quosdam vane gloriantes superat 10, 7-16.

3. Apostolus *apologiam* et *gloriationem* suam incipiens rationem omnis verae gloriationis solum Deum esse et se propter solam gloriam Dei et utilitatem ecclesiae gloriari protestatur 10,17-11, 3.

a) Alius nihil fidelibus afferre potuit, quod Paulus ipse non eis dederit. In una sola re inferiorem se exhibet, quod eos non oneraverit. Hoc autem fecit, ut adversarios suos ad sui imitationem provocaret 11, 4-15.

b) Praemissa nova excusatione, simul carpens lectores, 11, 16-21a, incipit a sua gloriatione, quam sub multiplici ratione persequitur 11,21b-12, 10.

c) Absolvit hanc materiam nova excusatione provocans ad signa manifesta apostolatus, Corinthios in nulla re inferiores esse aliis ecclesiis. Unum solum est : Paulus eos non oneravit, ut decet patrem. Quod fecit ex vera caritate et ipse eius adiutores, non ex intentione dolosa 12, 11-18.

4. *Rationem* reddit suae apologiae et gloriationis et finem dicit esse aedificationem ecclesiae, ut ante adventum corrigantur, ne cogatur praesens severius agere, quod facturus est, nisi paenitentiam egerint (haec absens scribo, ut non praesens durius agam 13, 10) 12, 19-13, 10.

Epilogus : Ultimae admonitiones, salutationes, bene precatur *(forma trinitaria)* 13, 11-13.

465. *De unitate epistulae.* Quaestio de epistulae unitate a recentioribus mota est propter tertiam partem modo delineatam. Quia Apostolus tam abrupte incipit a comminatione et tanta acerbitate utitur, postquam in prima et secunda parte tanta cum caritate et fiducia locutus est et intimam illam animorum unionem professus est (1, 6. 11. 14 ; 2, 2 ; 3, 1ss ; 4, 12. 14 ; 6, 11ss ; 7, 3. 7-11. 16), quaeritur, quomodo haec mutatio subitanea explicanda sit.

Primus *AHausrath* haec ultima capita a reliqua epistula separanda esse voluit (Der Vierkapitelbrief des P. an die Kor., Hdb. 1870) ; cui sententiae

accesserunt *Pfleiderer*, *Schmiedel*, alii *Krenkel*, *Halmel* simili ratione. Hausrath enim censet, haec capita constituere epistulam illam a Paulo commemoratam 2 C 2, 4. 9 ; 7, 7s. 12, eam igitur praecedere epistulam 2 C 1-9. Alii eam postea scriptam esse volunt.

Quaerimus sane, quid Apostolum moverit, ut in eadem epistula, postquam omnia videntur optime composita, tam vehementer ecclesiam increpet et ei comminetur. Ratio autem explicationis ex ipsis adiunctis et indole Pauli satis obvia offertur. Paulo enim quam maxime cordi fuit, ut ex prima parte elucet, ecclesiae ostendere sibi in re gravissima fuisse satisfactum. Eius anxietatem et curam omnia fere verba produnt. Quare totus in eo est, ut suum gaudium describat, alia vero, quae eum tenebant, breviter solum tangit. Sed ea iam tangit et sine dubio ad ea postea redire ipsi ab initio propositum est.

Iam in prima parte loquitur de *sinceritate* sua 1, 12ss ; 7, 2, quam non perfecte agnosci a Corinthiis asserit. Sermo est de *gloriatione* et sui *commendatione* 2, 17 ; 3. 1ss ; de *adversariis* 2, 17 ; 5, 12, quos eadem ratione describit, qua postea describuntur. Statum autem ecclesiae moralem nondum esse sanum et integrum, elucet ex seria monitione 5, 20-6, 2 ; 6, 14-7, 1, « mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus ». In ipsis locutionibus quoque similitudo agnoscitur, cf 7, 2 οὐδένα ἠδικήσαμεν, οὐδένα ἐφθείραμεν, οὐδένα ἐπλεονεκτήσαμεν, cf 11,7-12 ; 12,13s, potissimum 12, 16ss. Quae in tertia parte de infirma corporis praesentia dicuntur (10, 1s. 9ss), iam in prima tanguntur 4, 7ss. Quae de tristitia insinuantur 2, 1ss, aliquomodo complentur postea 12, 20s. Proinde patet condiciones primae et tertiae partis esse easdem. Paulus vero has res gravissimas noluit praetermittere, ut corrigerentur antequam adveniret ; quod eo facilius sperare potuit, si alia iam composita erant. Apostolum autem facile ex uno affectu in alium transire eius epistulas abunde demonstrant. Nulla igitur ratio est, cur ultima capita, quae in tota traditione cum nostra epistula coniunguntur, separemus. Neque possibile est in ea agnoscere illam epistulam priorem, quia 12, 17s commemoratur missio Titi, ad quam Paulus provocat. Cum enim haec epistula per Titum in sua prima missione delata esset, in illa nondum sermo esse potuit de modo, quo Titus missionem suam gesserit.

Alia autem hypothesis epistulam quattuor capitum scriptam esse post 2 C 1-9, multo minus est probanda. Maxime illa verba 10, 1.9ss non possunt applicari ad epistulae c. 1-9, quae omnino sunt affectus tenerrimi et fiduciae inconcussae. Paulus proinde nullo modo hac epistula terrere potuit ecclesiam.

466. *De tempore et loco*, quo epistula scripta est. De *loco* non est dubium. Cum Apostolus dicat se in Macedoniam exiisse, ut Titum inveniret 2, 13, supponitur esse in Macedonia ; deinde loquitur de Macedonum liberalitate et de comitibus Macedonibus, si

Corinthum venerit, 8, 1ss ; 9, 2.4. In qua vero urbe degerit epistula scribens, non dicitur. In codice B a posteriore manu adscriptum est ἀπὸ Φιλίππων, item PKL alii sy^{ph} arm bo.

De *tempore* autem similiter satis constat. Apostolus initio commemorat tribulationem suam, quam in Asia perpessus sit iis verbis, ut certum sit eum narrare rem recentissimam lectoribus nondum notam. Quod confirmatur aliunde. Cum enim Epheso Troadem veniret neque Titum inveniret, in Macedoniam abiit, quamvis magnum fructum Troade speraret, 2, 12s. Ergo brevi tempore ibi moratus est. Num in Macedonia Titum iam reducem invenerit, non explicite in epistula dicitur.

Sed satis certum est Paulum ante Titum in Macedoniam venisse. In epistula enim totum negotium collectarum in his ecclesiis absolutum esse supponitur. Cum epistula autem mox post Titi adventum scripta sit, consequitur Paulum antea iam aliquamdiu inter Macedonas conversatum esse.

De itinere Titi ex epistula haec eruimus. Iter instituit per Macedoniam, saltem reditum, atque de hac re inter ipsum et Paulum conventum erat, quia Apostolus speraverat se cum Tito Troadem conventurum esse. Unde inferimus Titum mandatum accepisse quam celerrime ad Apostolum redeundi Ephesum. Paulus enim inopinato Epheso excedere coactus est. Praeterea sequitur Titum iam diu iter suum aggressum esse, antequam Paulus Ephesum reliquit. Cur autem iussus sit viam longiorem facere, non est cognitum. Ratio fortasse fuit haec. Quia Paulus iam discessum ab Epheso cogitaverat et inde Troadem proficisci ad Ev praedicandum proposuerat, iussit Titum hac via redire, ut si forte ipse non iam esset Ephesi, legatum suum certo invenire posset. Sed haec probabilitatem non excedunt.

467. De iis quae *inter primam et secundam epistulam* gesta sunt· Antea loquentes de epistulae occasione ex iis, quae Paulus scribit, occasionem proximam et finem epistulae determinavimus. Sed quaestionem aliam, quomodo epistula nostra se habeat ad primam epistulam canonicam ad Corinthios nondum tetigimus neque inquisivimus, sitne illa epistula, cuius Paulus 2 C 2, 3-9 et 7, 8-12 meminit, 1 C nobis nota. Plerique ex interpretibus antiquis, ut 1 C 5, 9s non de epistula deperdita cogitaverunt, hic quoque supposuerunt Paulum loqui de epistula ipsis nota, id est de prima ad Corinthios. Quam sententiam hodie quoque permulti, maxime ex interpretibus catholicis tenent.

Recentiore vero tempore plures aliam epistulam a Paulo commemorari suspicati sunt eamque deperditam. Hanc sententiam primus statuit

Bleek (ThStKr 3 [1830] 614-632), quem multi secuti sunt *Ewald*, *Schmiedel*, *Jülicher*, *Bachmann*, *Lietzmann*, *Feine*, alii ; ex catholicis *Le Camus*, *Rohr*, *Meinertz*, *Steinmann*, *Toussaint*, *Vogels*, alii sententiam ut probabilem defendunt.

Quaestio ab antiquis interpretibus non explicite tractatur, at solent supponere 2 C respicere 1 C 5. Catholici interpretes recentiores in quaestione simili de 1 C 5, 8 fere unanimiter relinquunt veterum sententiam, qui locum de prima epistula canonica interpretantur. Quare ex ipsis Pauli epistulis solutio quaerenda est. Iam si 2 C 2, 3ss et 7, 8ss ad primam epistulam et causam incestuosi (1 C 5, 1ss) applicamus, dubia non levia occurrunt, num Apostolus suis verbis ad illam epistulam alludat, num eam scripserit cum multis lacrimis, num in causa et sententia incestuosi solum voluerit experimentum facere, an Corinthii in omnibus oboedientes essent, 2 C 2, 9 ; num re vera non scripserit ἕνεκεν τοῦ ἀδικήσαντος οὐδὲ ἕνεκεν τοῦ ἀδικηθέντος 7, 12. Si quis enim legit Apostoli sententiam in prima epistula latam et sollemniter enuntiatam 1 C 5, 3ss, difficile sibi persuadebit ipsi solum oboedientiam ecclesiae cordi fuisse. Legenti epistulam secundam non potest non occurrere suspicio alia quaedam accidisse quam ea sola, quae in prima tractantur.

Accedit quod Apostolus per *Titum* demum didicit, quomodo Corinthii epistulam illam susceperint. Quod ex secunda epistula manifestum est. Si autem de prima epistula ageretur, hoc explicari vix posset. Nam *Timotheus* Corinthum venit, postquam prima epistula canonica delata est, cf 1 C 4, 17 ; 16, 10. Potuit igitur et debuit Paulo referre, quem effectum epistula habuerit. Timotheus enim habuit mandatum redeundi ad Paulum, quod ex 1 C 16, 11 certum est. Suppositio vero Timotheum non rediisse Ephesum est gratuita, neque probabile est Timothei missionem in Achaiam eandem esse, quam A 19, 22 legimus, cum in illa Timotheus non iubeatur ad Paulum redire, sed eius in Macedonia adventum praeparare. Praeterea in tota epistula secunda nulla fit mentio missionis Timothei, quod argumentum est *Titi* missionem aliam habuisse causam et alia interea accidisse. Timothei vero missionem non fuisse prosperam non recte asseritur. Nam in secundae epistulae inscriptione Paulus eius nomen cum suo coniungit. Unde censemus sententiam, quae tenet inter primam et secundam epistulam canonicam aliam ab Apostolo scriptam esse, quae deperdita sit, esse omnino probabilem.

2. Alia quaestio movetur ex 2 C, num Paulus cum epistulam scriberet, iam bis Corinthi fuerit.

Verba, quae legimus 13, 1 Τρίτον τοῦτο ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς, et 13, 2 ὡς παρὼν τὸ δεύτερον καὶ ἀπὼν νῦν, et 12, 14 ἰδοὺ τρίτον τοῦτο ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς, non possunt cum probabilitate aliter explicari quam de secundo adventu, quem iam tertius mox sequitur. Ad haec accedunt verba Apostoli initio epistulae, quibus significat se statuisse apud se

τὸ μὴ πάλιν ἐν λύπῃ πρὸς ὑμᾶς ἐλθεῖν. Quae locutio non potest aliter intellegi quam de priore commoratione in tristitia. Haec autem non est illa, qua primum Ev Corinthiis attulit. In eundem sensum videntur verba 13, 2 interpretanda esse ἐὰν ἔλθω εἰς τὸ πάλιν οὐ φείσομαι, ut eorum sensus sit : non iam parcam, ut antea feci. Cum qua interpretatione congruit Apostoli assertum 1, 23 φειδόμενος ὑμῶν οὐκέτι ἦλθον εἰς Κόρινθον, non veni ultra Corinthum. Interpretatio « nondum veni » sensum non accurate reddit. De secunda commoratione Apostoli apud Corinthios ex his causis apud plerosque non est dubium.

Sed quaeritur, quando secunda haec commoratio facta sit. Diximus antea (n. 437, 3) aliquos supponere Paulum in prima commoratione Corinthum reliquisse, fere post res coram Gallione actas, et in Illyricum profectum esse et denuo Corinthum rediisse. Haec in Actis fundamentum quidem non habent, sed non sunt impossibilia. Attamen haec interpretatio non potest applicari ad nostram quaestionem, cum omnino incredibile sit Paulum post illum reditum comminationem enuntiasse, quam in secundo suo adventu edixit, cf 2 C 13, 2, et quam per plures annos suspenderit, cuius nullam mentionem in prima epistula fecerit. Ex ultima autem ratione suppositio alia quoque relinquenda est Paulum denuo Corinthum venisse, antequam primam epistulam canonicam scripserit. Quare putamus eum post hanc epistulam ecclesiam visitasse, eum ea occasione pepercisse peccatoribus et tristitia affectum esse et humiliatum esse a Deo apud ipsos, 1, 23 ; 2, 1ss ; 12, 21 ; 13,2. Hanc autem humiliationem et tristitiam ex ipsis Apostoli verbis ita concipimus, ut Paulus miserum ecclesiae statum tamquam humiliationem ipsi a Deo impositam expertus et summa de eo tristitia affectus sit, quae eo maior fuit, quo difficilius remedium in his adiunctis possibile esse intellexit. Nullo autem modo cum recentioribus acatholicis rem ita intellegimus, ut putemus Paulum re infecta, fere clade oppressum, ecclesiam reliquisse et planxisse auctoritatis suae iacturam. Epistula secunda enim talem interpretationem minime permittit, nedum eam insinuet. Paulus potius qua erat experientia et prudentia tamquam bonus pastor censebat pro statu rerum non esse extrema tentanda, sed meliorem dispositionem esse exspectandam. Quae spes eum non fefellit. Apostolum vero nihil de sua auctoritate in ecclesiam Corinthiorum dubitasse, epistulae nostrae omnis pagina testatur ; certus enim est se in Christi potestate et virtute fortiter et potenter acturum esse, si necessitas id postulaverit, 10, 1ss ; 13, 2-10.

3. Si autem iter hoc intermedium post primam et ante secundam epistulam supponimus, inter utramque epistulam canonicam longius tempus fluxisse asseremus. Haec enim omnia tempore intermedio gesta sunt: missio Timothei et eius reditus ad Paulum, Pauli iter in Achaiam, reditus in Asiam, missio Timothei in Macedoniam, Titi legatio in Achaiam, eius reditus in Macedoniam, ubi Paulum invenit. Haec omnia non possunt brevi tempore duorum fere mensium peracta esse. Fortasse dimidio anno

concludi possent, si singula immediate sequuntur. Proinde si prima epistula scripta est ante Pascha, altera non ante finem anni eiusdem missa est. Sed propter aliam rationem longius intervallum supponimus. Corinthii enim accusant Paulum inconstantiae, quia adventum suum distulit neque promissis stetit, 2 C 1, 15ss. Iam si Apostolus post primam epistulam Corinthi fuit et nihilominus levitatis incusatur, quod non iam venerit, probabilius est interim saltem plures menses fluxisse. Sententia igitur eorum, qui putant 2 C anno integro vel anno et dimidio fere post 1 C scriptam esse, magnopere commendatur.

Quae suppositio confirmari videtur iis, quae Apostolus de collecta in 2 C scribit. Dicit enim Corinthios ἀπὸ πέρυσι, ab anno priore incepisse *facere*, 8, 10; itaque coram Macedonibus gloriatus est Corinthios ab anno praeterito paratos esse, παρεσκεύασται ἀπὸ πέρυσι, 9,2. Apostolus his verbis Corinthiis in memoriam revocat eos iam ex satis longo tempore hoc opus aggressos esse. Aggressi sunt autem illud secundum 1 C 16, 1s non antequam prima epistula scripta est. In illa enim Paulus docet, quomodo collectionem instituant, ergo supponit eam nondum factam esse, quod comprobatur sequentibus verbis : « ut non cum venero, tunc collectae fiant » 16, 2. Unde putamus saltem annum post primam epistulam elapsum, cum Apostolus novam admonitionem daret.

Paulus igitur diutius Ephesi remansit, quam tempore primae epistulae intenderat. Rationes quidem nobis non sunt compertae, sed facile perspiciuntur, si 1 C 16, 9 consideratur, ostium magnum apertum et adversarii multi. Apostolum autem saepius consilia sua mutasse propter adiuncta mutata ipsae epistulae ad Corinthios et aliae demonstrant, cf R 15, 22 ; 1 Th 2, 18. Iam *Theodoretus* supponit Paulum suum ab Epheso discessum distulisse (Argum. in 2 C, MG 82, 376).

4. Quomodo vero ordinanda sint consilia Pauli, quae eius *itinera Achaica* spectant, obscurius est. Scribens 1 C 16, 5ss negat se *modo* (ἄρτι) in transitu eos videre velle, sed postquam Macedoniam transierit ad eos venturum esse. In secunda epistula autem narrat se aliquando habuisse intentionem eos invisendi tum in itinere in Macedoniam et denuo in reditu ex Macedonia, 2 C 1, 15s. Quaeritur proinde, quando hoc alterum consilium a Paulo conceptum sit. Propter 1 C 16, 6 sunt qui dicant, hoc consilium praecedere et iam tempore primae epistulae Paulum consilium suum mutasse. Sine dubio ipsam rem eo tempore deliberaverat, sive ex se sive fortasse invitantibus Corinthiis, sed ex hoc non sequitur Paulum revera hoc consilium cepisse et iam eo tempore mutasse. Videtur potius post 1 C demum hoc fecisse. Nam 2 C 1, 23 asserit se consilium suum mutasse propter Corinthios et eorum impaenitentiam. Huius autem rationis nullum est vestigium in prima epistula. Deinde in prima epistula Paulo nondum exploratum est, num ipse in Iudaeam profecturus sit, 16, 4. In altera vero epistula hoc iam ut certum supponitur

468. *Status* vero ecclesiae Corinthiorum hic fuisse videtur.

Post Timothei missionem fortasse aliquo tempore res in meliore condicione fuerunt. Sed mox in pristinam morum depravationem reciderunt, et adversarii Apostoli acrius contra eum insurrexerunt et Pauli auctoritatem aliquomodo imminuerunt. Erant eidem, qui iam in prima epistula denuntiantur. At postea apertius egerunt. Homines iudaizantes, qui ad auctoritatem et modum agendi aliorum apostolorum contra Paulum provocabant et eius apostolicam caritatem et modestiam in sinistram partem interpretabantur. Inde factum esse videtur, ut in re graviori, cum Paulus ipse post Timothei reditum ecclesiam adiisset, oboedientiam praestare segniores aut etiam pervicaciores fuerint. Num occasio fuerit casus incestuosi, a nobis hodie non iam definiri potest. Non est autem improbabile haec inter se cohaerere. Postquam vero res eo usque progressae sunt, Paulo magis oboedientia et subiectio ecclesiae cordi fuit quam ipsa res, de qua primo agebatur. Per epistulam illam intermediam et Titum ecclesia, saltem *maior pars* 2, 6, ad oboedientiam reducta est et illum, qui caput et dux fuit resistentiae, severe punivit, ita ut Paulus ipse moneret in illum caritatem exhibere 2,8. Quantopere vero Apostolo satisfactum sit, ipse mox indicat 7, 9-11. Alteram autem nostram epistulam et novam Titi missionem plenam pacem restituisse facta posteriora demonstrant.

469. *De commentariis* et subsidiis in epistulas ad Corinthios.

1. *AMessmer*, 1 C, Innsbruck 1862; *AMaier*, 1-2 C, Fr. 1857. 64. *INiglutsch*, 1-2², Trid. 1907; *FrGutjahr*, 1-2 C², Graz 1917; *JBelser*, 2 C, Fr. 1910; *HLGoudge*, 1 C, Ld. 1913.

Acatholici: Mosheim, 1-2 C, Flensburg 1762; *ANeander* 1-2 C, ed. *WBeyschlag*, B. 1859; *AKlöpper*, 2 C, B. 1874; *FGodet* 1-2, P. 1886s, 2 C, ed. *PComtesse*, 1914; *GSchnedermann*, 1-2 C², KK, M. 1895; *GHeinrici-Meyer* 1-2 C⁸·⁷, Gtt. 1896. 90; ***AMaclaren*** 1-2 C (c. 1-5), Ld. 1911.

2. Alia subsidia: *IRohr*, Paulus u. die Gemeinde von Kor., BSt 4, 4, Fr. 1899; *RSchumacher*, Apollos, Kempten-M. 1916; *LStampfl*, Die Mischehenfrage im 1 K., 1901; *MSeisenberger*, Die Lehre von der Auferstehung des Fleisches nach 1 K 15, Regensbg 1868; *UHolzmeister*, Dominus autem Spiritus est, Innsbruck 1908; *Cladder-Dieckmann*, Korinth, die Kirche des hl. Paulus, Aachen 1923; *EGolla*, Zwischenreise u. Zwischenbrief, BSt 20, 4, Fr. 1922.

WLütgert, Freiheitsprediger u. Schwarmgeister zu K., Gü. 1908; *Harnack*, Das hohe Lied des Ap. Paulus von d. Liebe, S. B. d. Preuss. Ak. d. Wiss. B. 1911, 136-163; *GHRendall*, 1-2 C, A Study personal and historical of the Date and Compos. of the Ep., Ld. 1909.

§ 12. De epistula ad Romanos

570. *De ecclesiae Romanae initiis.* Cum S. Paulus epistulam suam ad Romanos scriberet, haec ecclesia propter fidem suam iam in universo mundo nota erat (R 1, 8), Paulus eius caritatem et scien-

tiam agnoscit (15, 14), laudat oboedientiam omnibus vulgatam (16, 19), ipse sperat se in suo adventu per fideles fidei suae incrementum habiturum esse (1, 11s ; 15, 24). Supponit igitur ecclesiam veterem, florentem, in fide Christi confirmatam.

Ipse autem non est eius fundator, quia nondum Romae fuit, neque per eius discipulos fundata est. Ecclesiae enim Paulinae recentioris originis sunt, quam ut potuerint esse Romanae ecclesiae mater. Quando vero primum fides christiana Romam allata sit et per quem hoc factum sit, ignoramus. Paulus in epistula sua nihil insinuat. Propter magnum numerum Iudaeorum, qui ex tempore Pompei (a. 61 a. Chr.) cum Aristobulo II Romae captivi degerant et deinde libertate donati erant, religio christiana facilem ingressum in urbem habuit, praesertim cum urbs undique homines alliceret et Iudaei cum Palaestina commercium frequentissimum haberent. Nam etiamsi illi ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι, quos S. Lucas festo Pentecostes Hierosolymis degentes commemorat, censendi sunt sedem suam in urbe sancta fixisse, tamen permulti quotannis ad festa peregrinationem instituerunt et iis peractis redierunt. Praeterea Iudaeorum legationes propter negotia publica saepe Romam venerunt. Quare facile fieri potuit, ut Romae Christiani essent, antequam Apostolus aliquis in urbem venit.

2. Secundum traditionem autem antiquissimam *S. Petrus* habetur *fundator* ecclesiae Romanae. *Eusebius* (HE II 14-15) narrat Petrum tempore Claudii Romam venisse, quae traditio iam a *Clemente* Alex. videtur exhiberi. *Hieron.* in Chronico Eusebii et de Vir. ill. 1 supponit Petri adventum fuisse initio imperii Claudii, quod postea a permultis scriptoribus receptum est, qui A 12, 17 de profectione romana intellexerunt, cf Oros. VII 6, 2.

Obscuritas aliqua latet in *Marco*, Petri discipulo et Evangelista, qui secundum eosdem fontes eo tempore dicitur Petri comes fuisse. Quod autem impossibile est, si Evangelista est idem ac *Ioannes Marcus*, qui eodem tempore cum Barnaba et Paulo Antiochiam et ad primum iter apostolicum profectus est. Paucis vero annis postea Marcus cum Barnaba in Cyprum navigavit, post Apostolorum concilium, cf A 12, 25 ; 13, 5. 13 ; 15, 37ss. Unde de adiunctis non satis constat, sed est omnino incredibile Romanam ecclesiam ante Pauli epistulam non vidisse virum aliquem primarium inter apostolos et per ignotum hominem nullius auctoritatis ad eam fidei agnitionem pervenisse, quam Paulus in epistula sua supponit. Manifestum est enim Romanos habuisse Ev Pauli, id est Ev quod non admittebat necessitatem circumcisionis et legis. Quod ex ipsa epistula demonstratur.

3. Prima praedicatio videtur ad Iudaeos potissimum facta esse, et huc probabiliter referuntur verba *Suetonii* (Vita Claudii 25) de

Claudio : « Iudaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit ».

Quoniam multis testimoniis constat pronuntiationem *Chrestus*, *Chrestianus* usque ad saeculum 4 fuisse receptam, ex Suetonii narratione concludi potest propter Christum inter Iudaeos tumultus ortos esse (cf *Fr-Blass*, Hermes 30 [1895] 465, Tertull. Apolog. 3 « perperam Chrestianus pronuntiatur a vobis », *Lact.* Instit. 4, 7 loquitur de ignorantium errore, qui Christum « immutata littera Chrestum » solent dicere). Sed quia Suetonius (Vita Neronis 16) de Christianis dicit : « afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novae », nominis videtur novisse veram pronuntiationem (cf *Lagrange* in Rom. XXII), neque hoc loco Christianos habet sectam iudaicam. Eo tamen non excluditur Claudium Iudaeos propter tumultus inter eos de religione christiana natos Roma expulisse. Secundum *Orosium* (VII 6, 15) hoc factum est anno Claudii 9, c. a. 49. Scimus eo tempore Aquilam et Priscillam Roma in Achaiam migrasse, ubi cum Paulo convenerunt. In epistula ad R supponuntur Romae versari, et ab Apostolo Romanis commendantur, quippe quibus ipse et cunctae ecclesiae gentium gratitudine obstrictae sint, R 16, 3s.

Decreto Claudii ecclesia romana magnum videtur subiisse detrimentum, praecipue fideles ex Iudaeis numero minuebantur et postea Iudaei romani nullas iam videntur habuisse cum ecclesia relationes, cf A 28, 22, nisi forte ignorantiam affectaverunt.

4. Eo tempore quo epistula ad R scripta est, in ecclesia Iudaeochristiani et ethnicochristiani simul erant. Sed quaeritur, quinam maiorem partem constituerint.

a) *Baur* cum aliis, quibus ex recentissimis assentitur *Zahn*, censent Iudaeochristianos numero prae ethnicochristianis praevaluisse. Rationes autem, quibus sententia haec suadetur, inveniuntur in tota indole epistulae, quae de iustitia Dei, de Iudaeorum praesumptione, de lege et circumcisione agit et eorum obiectiones respicit atque confutat. Praeterea quaestio de Iudaeorum salute est inter praecipuas totius epistulae. Abraham appellatur « pater noster secundum carnem » 4, 1. Lex consideratur tamquam obligans omnes lectores, 7, 1ss, et alia quaedam (8, 15). Infirmi, de quibus agitur 14, 1-15, 15, videntur esse ex numero Iudaeochristianorum.

b) At his locis multi alii opponuntur, quibus insinuatur Paulum alloqui primario ethnicos conversos. Apostolus statim ab initio 1, 5 ipse se exhibet gentium apostolum et propterea Romanos suo apostolatui attribuit 1, 6. Commemorans intentionem suam Romanos invisendi addit, « ut fructum aliquem habeam et in vobis, sicut et in ceteris gentibus » 1, 13. Si deinde pergit « Graecis ac barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum » (1, 14) et inde suam promptitudinem deducit, « et vobis, qui Romae estis evangelizare », manifestum est Paulum supponere hanc ecclesiam

esse maxima ex parte ex gentibus conversam. Idem magis etiam elucet ex fine epistulae, ubi Apostolus *audaciam suam*, qua monita sua scripsit, eo excusat, quod ei data est gratia, ut sit minister Christi in gentibus, ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu sancto, 15, 15ss. Porro loquens de Iudaeorum sorte, num Deus populum suum repulerit, non provocat ad magnam Romanorum ecclesiam, quae sit ex populo Israel congregata et conversa, sed ad se ipsum 11, 1.

c) Loci vero illi, in quibus Paulus de revelatione VT^1 et lege loquitur et haec tamquam praeparationem Novi Testamenti describit, non magis probant quam similia effata in epistula ad Galatas (cf n. 457, 4), et ex ipsa epistula nostra luculenter ostenditur, quomodo Paulus Christianos habeat haeredes legitimos totius VT^1, cf 15, 4. Initio vero epistulae, 2, 17ss et alibi, Apostolus non alloquitur Iudaeochristianos, sed Iudaeos. Quare ex omnibus his locis argumentatio de statu ecclesiae fieri non potest.

Sed non negamus in ecclesia Romana fuisse quoque, qui ex populo Israel ad Christum conversi sunt. Paulus autem multo magis ethnicochristianos respicit, quam illos.

471. *De occasione et fine epistulae.* 1. De *proxima* epistulae *occasione* ex Pauli verbis plane constat.

A 19, 21 Lucas narrat Apostolum de itinere romano locutum esse : « oportet me et Romam videre ». Quod fuit versus finem praedicationis Ephesinae. Sed ex epistula nostra discimus Paulum iam longe antea apostolatum inter Romanos mente recogitasse. Asserit enim se sine intermissione preces fundere, ut *tandem aliquando* (ἤδη ποτέ) prosperum iter habeat ad eos 1, 10. Saepe proposuit venire ad eos 1, 13. Immo *ex multis annis* desiderium habuit veniendi ad eos 15, 23. Consilium vero fuit, ut aliquid impertiretur eis gratiae spiritalis ad confirmandos eos, ut aliquem fructum haberet et in ipsis, sicut et in ceteris gentibus (1, 11. 13), plenus est fiducia se venturum esse in plenitudine benedictionis Christi 15, 29.

At Paulus ultra Italiam oculos direxit, Romanos enim solum transiens videre et confirmare intendit, per eos profecturus est in Hispaniam 15,23s. 28. Apostolus quidem non potest non desiderare ecclesiae gentium Romanae conferre aliquid gratiae et eius profectum promovere, sed eorum auxilio utetur, ut novum campum suo apostolatui quaerat, postquam in oriente opus sibi commissum absolvit. Secundum sua principia enim ibi Evangelium praedicat, ubi Christus non nominatus est, ne super alienum fundamentum aedificet 15, 20.

2. Paulus proinde hac sua epistula adventum suum apud Romanos denuntiat, quem mox futurum esse sperat 15, 23s. 28s. At per hoc epistulae nostrae occasio et finis non omnino explicatur. Cur enim Apostolus propter hanc solam causam epistulam scriberet,

quae omnes alias profunditate et sublimitate sensorum superat et quasi compendium totius Evangelii dici potest ?

Antiqui interpretes aliqui (*Prologus* in ep. Paulinas, *Ambrosiaster*, *August.*, *Theodoret.*, *Pelagius*), quos posteriores non pauci secuti sunt, putant Apostolum pugnare contra falsos apostolos iudaizantes, qui Romanos ad legem et prophetas pertraxerint, vel saltem pertrahere conati sint. Ex recentioribus autem aliqui *(Baur)* fuerunt, qui censerent Romanos Evangelii Pauli fuisse adversarios. Alii vero pugnam inter Iudaeochristianos et ethnicochristianos supponebant (Argumentum ep. ad R codicis *Fuldensis*, Argum. cod. *Amiatini*, aliquomodo *Origenes*, *Ephraem*, alii, ex recentioribus *Hug*, *Delitzsch*), qui superba contentione inter se concertaverint. Sed haec falsa aut exaggerata esse ipsa epistula docemur. Paulus nullo modo dubitat Romanos idem profiteri Ev quam ipse.

3. Ratio sufficiens huius epistulae cerni potest in condicione Apostoli. Romanos enim mox invisurus cum eis acturus est, iis comitantibus et deducentibus in Hispaniam profecturus est, ita ut Romam eligat quasi sedem, unde ad novas expeditiones pro Christo excurrat.

Proinde facile intellegitur, cur Paulus rationem sui Evangelii Romanis dare proposuerit. Deinde Romani sine dubio de Apostolo audierant, aequum ergo erat et utile, fortasse necessarium, ut ipsum quoque audirent et ex eius ore Ev Christi discerent, ne falsis fortasse rumoribus crederent.

4. Epistula vero accuratius perspecta licet occasionem et finem magis determinare.

Diximus antea eos interpretes errare aut exaggerare, qui supponunt doctrinas inter se oppositas aut pugnas inter Iudaeochristianos et ethnicochristianos. Attamen aliquid veri posteriores viderunt. Neminem enim fugere potest partem paraeneticam epistulae (12, 1-15, 13) unum fere argumentum tractare, quod est admonitio caritatis et unionis et pacis. Paucis versibus 12, 11s ; 13, 11-14 exceptis omnia ad hoc argumentum reduci possunt. Quod profecto non est factum casu. Cum hoc argumento convenit severior admonitio, quam Paulus 16, 17-20 scribit. Neque omittenda sunt verba, quibus 15, 14 se excusat, cur *audacius* scripserit vel eos *monuerit* (νουθετεῖν). Revera enim monuit et corripuit : « non in disceptationes cogitationum » 14, 1, « tu quis es, qui iudicas ? (14, 3s) « tu autem quid iudicas fratrem tuum, aut tu quare spernis fratrem tuum ? » (14, 10), «non ergo amplius iudicemus invicem (14, 13) ; « Deus det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum : ut unanimes uno ore honorificetis Deum » (15, 5s). « Propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei. Dico enim Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, gentes autem super

misericordiam honorare Deum » (15, 7ss). « Deus spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo » (15, 13). Ex his allegationibus apparet pacem fuisse aliquomodo perturbatam. Quamvis autem haec leviora videri possint, Paulus ea tamquam periculum non leve diiudicat, quia scit ex his discordias graviores facile oriri posse. Patet in ecclesia fuisse, qui procliviores fuerint ad alios iudicandos et spernendos, unde alia ratione caritati et humilitati pericula creari debebant. Quapropter ab initio huius partis illae monitiones : « non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem » (μὴ ὑπερφρονεῖν, φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν). Cum his cohaerent omnes monitiones ad caritatem, ad subiectionem 12, 9-21 ; 13,1-7. 8-10.

Quae autem 16, 17-20 monentur ad eandem materiam pertinent, quatenus sermo est de dissensionibus et scandalis contra contra doctrinam traditam. Videntur vero de iudaicis studiis et conatibus dicta esse (cf Ph 3, 17ss). Ea quoque quae de infirmis et firmioribus dicuntur, aliquomodo ad iudaica exercitia referuntur, quamvis non necessario ita intellegi debeant neque omnia iudaicae indolis sint. Nam Apostolus in sua admonitione ad Christi exemplum provocat, qui Iudaeos et ethnicos pari ratione suscepit 15, 7. Ex 16, 20 omnino consequitur perturbatores pacis, qui distinguendi sunt ab infirmis (14), iam in ecclesiam irrupisse et satanam iam operi instare. Apostolus certam fiduciam nutrit Deum pacis eius machinationes brevi tempore irritas redditurum esse.

5. Si monitiones ultimae partis epistulae aliquas in ecclesia dissensiones patefaciunt, quae ex parte ad Iudaeochristianos et ethnicochristianos spectant, ultima capita prioris partis idem confirmant. Negari enim non potest Paulum a capite nono pluries ita de populo Israel et eius vocatione loqui, ut aperte ethnicochristianorum elationem et fastum reprimere videatur. Agnoscit sollemni enumeratione maxima privilegia populi sui, ex quo ortus est Christus secundum carnem 9, 1-5. Confitetur suum dolorem de eius incredulitate. Agnoscit zelum populi pro Deo et pro eo preces fundit 10, 1s. Israel non a Deo suo repulsus est, neque enim nunc solum reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt (11, 1s. 5), sed postea totus Israel salvus fiet (11,26). Et si quando plenitudo populi in ecclesiam intraverit, abundantia gratiae et benedictionis toti mundo futura est, 11, 11s. 15s. In eodem contextu non veretur ethnicis dicere se apostolatum gentium eatenus tanti facere, quatenus eo suum populum ad salutem ducere possit, 11, 13s. Et quamvis eandem condicionem affirmet esse Iudaeorum et gentium ad salutem, tamen per totam epistulam agnoscit et defendit aliquam praerogativam populi sui, cf 1, 16 ; 2, 25 ; 3, 1s ; 9, 1ss. 6 ; 11, 2. 16ss ; 15, 8. Neque ulla ratione Paulus permittit ethnico, ut glorietur contra Israel. « Noli gloriari, quod si gloriaris, (considera) non tu radicem portas, sed radix te » 11, 17. « Noli altum sapere, sed time » 11, 20. 22. « Si tu contra naturam insertus es in bonam olivam, quanto magis ii, qui secundum naturam, inserentur suae olivae » 11, 24. Mysterium annuntiat conversionis futurae totius populi 11, 25, ἵνα μὴ ἦτε

ἐν ἑαυτοῖς φρόνιμοι. Ex his allegationibus luculenter apparet Paulum pugnare contra ethnicorum elationem et gloriationem, qui iudicant et contemnunt Iudaeos. Haec autem est eadem mentis dispositio, quam Apostolus in iis reprimit, qui alios spernunt, 14, 3.10. 12. Ubi autem haec dispositio adest, facile creat periculum discordiarum plurimarum, nutrit studium effrenatae libertatis et contemptus auctoritatis. Hoc autem periculum potissimum ex parte ethnicochristianorum erat.

Sed infirmiores illi non minus videntur ad iudicandum proni fuisse 14, 3ss. Ab his certo distinguendi sunt alii, qui studiose dissensiones promovent. Qui videntur esse iudaizantes ; iam adsunt et operantur. Ita vero procedunt, ut διὰ τῆς χρηστολογίας καὶ εὐλογίας corda innocentium, simplicium seducant 16, 18. Sunt iidem homines, qui ubique Pauli Evangelium corrumpere conantur. Periculum autem seductionis eo maius est, quo frequentiores sunt dissensiones illae, quas Apostolus antea denuntiavit. Quare Paulus eas tantopere oppugnat et tam fuse tractat et in fine monet, ut sibi caveant et oboediant 16,19.

6. Perpensis vero his, quae de statu ecclesiae diximus, evidens est Apostolum optime de condicione ecclesiae edoctum esse. Quod mirum esse non potest, cum ipse scribat se ex multis annis nutrivisse consilium hanc ecclesiam adeundi. Illud quoque apertum est secundam epistulae partem totam respicere condiciones ecclesiae Romanae et ad eas passim alludere et eam concipiendam esse tamquam admonitionem, cf 15, 14. Idem fere valet de altera parte tractationis theologicae (9-11), quae eandem dispositionem lectorum supponit. Iam si de his constat, neque dubium esse potest, quin capita 9-16 secundum Pauli verba ita diiudicanda sint, priora quoque huic fini Apostoli videntur aliquomodo subordinata esse. Etiamsi enim materia tractata optime respondet condicioni auctoris epistulae, qui suum adventum praeparat, tamen perspecta indole c. 9-16 manifestum est ea, quae c. 1-8 exponuntur, optime convenire cum fine practico epistulae, qui in ultimis capitibus agnoscitur. Si enim agitur de pace et humili caritate restituenda et conservanda, nulla alia ratione hoc melius et efficacius fieri potuit, quam exponenda doctrina Paulina de iustificatione. Paulus enim ostendens omnes homines, ethnicos et Iudaeos pari modo esse peccatores, neque suis viribus et operibus, ne per legis quidem observationem posse sibi acquirere ius salutis Messianicae, omnes sine dubio in humilitate confirmat et ad solam misericordiam Dei remittit. Idem valet de parte 5-8, in qua magis positive describit salutis bona et excellentiam et omnes ad Deum et Christum perducit, ut omnia alia obliviscantur. Proinde censemus haec duo simul esse coniungenda, si velimus Pauli mentem et intentionem in scribenda hac epistula perfecte assequi. Apostolus Romanis ita suum Ev, cuius propagandi ipsos adiutores invitat, proponit, ut eis pro eorum necessitatibus simul optimam institutionem et admonitionem tradat.

EGrafe, Ueber Veranlassung u. Zweck des R, Fr. 1881. *WMangold,* Der

Römerbrief u. seine gesch. Voraussetzungen, Marbg 1884. *HCremer*, Die paulin. Rechtfertigungslehre, Gü. 1899. *PFeine*, Der R., Gtt. 1903. *FrSpitta*, Untersuchungen über den Br. des Paulus an die R., Gtt. 1901. *WLütgert*, Der R. als hist. Problem, BFchrTh 17, 2, Gü. 1913. *EKortschak*, Die Veranlassung des R., Stud. u. Mitt. aus d. Ben. u. Cist. Orden 28 [1907] 71ss. 331ss. *Kuhlmann*, Kath. 80, 1 [1900] 15ss. 138ss. 193ss.

472. De *ordine* et *dispositione* epistulae.

Exordium 1, 1-15. Inscriptio sollemnis, gratiarum actio, Apostoli desiderium Romam veniendi.

I. Pars prima *dogmatica* 1, 16-11, 36.

Propositio epistulae : Ev virtus Dei in salutem omni credenti 1, 16s.

A. *De iustificationis necessitate et condicione* 1, 18-4, 25.

1. Iustificationis necessitas *a*) pro gentibus, quae Deum negantes in turpissima vitia prolapsae sunt 1, 18-32.

b) pro Iudaeis, qui lege instructi peccatis obnoxii sunt, quod experientia docet, et proinde iudicio divino subsunt 2, 1-29, quod confirmatur non obstantibus privilegiis ex SScr 3, 1-20.

2. Iustificatio obtinetur ex fide in Christum redemptorem sola gratia Dei 3, 21-31 ; quod probatur exemplo Abrahae, qui non ex operibus et circumcisione, sed ex fide iustificatus et pater omnium credentium factus est 4, 1-25.

B. *De iustificationis excellentia et consectariis* 5, 1-8, 39.

1. Per Christum reconciliatio et pax cum Deo, fiducia et spes certa salutis (gloriamur in Deo) 5, 1-11.

2. Per redemptionem Christi, novi Adam, peccatum primum et omnia peccata deleta, ut gratia regnet in vitam aeternam 5, 12-21.

3. Proinde qui iustificatus est et mortuus est cum Christo, vivere debet unice Deo 6, 1-23.

4. Fidelis hanc vitam ducere potest, quia per Christum liberatus est ab onere legis, quae nullam gratiam conferebat, sed incitamentum peccati erat 7, 1-25.

5. Unio cum Christo et communio S. Spiritus filiationem divinam nobis conferunt, ut secundum spiritum vivere et haereditatem filiorum Dei consequi possimus 8, 1-17. Quam haereditatem et gloriam certa spe exspectamus cum tota creatura, adiuvante S. Spiritu, confidentes electione et providentia divina 8, 18-30. Unde firma fiducia in Deo in omni tribulatione et contra omnes hostes 8, 31-39.

C. *De consiliis divinae providentiae* in sorte populi Israel et gentium 9, 1-11, 36.

Haec pars occurrit dubiis et quaestionibus, quae potuerunt oriri et certitudinem spei et fiduciae imminuere, spectata incredulitate et reprobatione populi electi. Quare Apostolus ostendit, quomodo electio sit intellegenda, et quomodo providentia divina omnia sapienter et fortiter ad finem suae gloriae et salutem omnium hominum perducat.

1. Apostolus postquam summum cordis sui dolorem et suum erga populum amorem professus est 9, 1-5, docet in VT quoque non naturalem filiationem fuisse principium electionis, quod ostendit ex historia patriarcharum, ex verbis Dei ad Moysen et modo agendi erga Pharaonem 9, 6-18. Idem sequitur ex Dei Domini et creatoris absoluto dominio et ex eius praedictione 9, 19-29.
2. Populus Israel autem ipse praesumptione sua se a salute exclusit, quia suam iustitiam voluit statuere et Dei iustitiae se non subiecit 9, 30-10, 13, et fidei praedicationem non accepit 10, 14-21.
3. Sed populi reprobatio non est universalis neque immutabilis. Iam nunc electio gratiae facta est 11, 1-10, et partialis obduratio secundum providentiam divinam gentibus in salutem cessit 11, 11-12, et est admonitio fidelitatis et humilitatis pro gentibus 11, 13-22. Postea vero omnis Israel ad fidem perveniet (ἀμεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ θεοῦ 11, 29) 11, 23-29.
4. Ita Deus omnes conclusit in incredulitate, ut omnium misereatur. Vere *altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei. Ipsi gloria in saecula* 11, 30-36.

II. Pars *paraenetica* 12, 1-15, 13.

1. Admonitio universalis veri servitii Dei et fugae spiritus mundi 12, 1-2.
2. Modestia et caritas secundum mensuram gratiae Dei et respectu boni communis, amor inimicorum 12, 3-21.
3. Subiectio erga potestatem publicam 13, 1-7.
4. Nova admonitio caritatis (*plenitudo legis est dilectio)* 13, 8-10.
5. Exhortatio zeli et fervoris *(induimini Dominum Iesum Christum)*, 13, 11-14.
6. Admonitio tolerantiae et caritatis ad firmiores et infirmos 14, 1-15, 13.
   a) Admonitio et principia 14, 1-12.
   b) Applicatio practica ad utramque partem 14, 13-23.
   c) Admonitio universalis et applicatio principii secundum exemplum Christi, cum imprecatione gaudii et pacis 15, 1-13.

Epilogus 15, 14-16, 27.

1. Rationes, cur apostolus scripserit *a*) tamquam apostolus gentium 15, 14-21.
   b) Propter adventum proximum et sua consilia apostolica 15, 22-33.
2. Commendatio et salutationes 16, 1-16.
3. Admonitio contra perturbatores pacis 16, 17-20.
4. Salutationes comitum Pauli *(Tertius)* 16, 21-23 (24).
5. Doxologia 16, 25-27.

473. *De quaestionibus criticis.* De *genuinitate* epistulae non est cur fusius agamus, cum et testimonia externa et interna eiusmodi sint, ut epistula non possit addubitari nisi ab eo, qui omnes epistulas

Paulinas reicit aut ipsum Paulum exstitisse negat. Sed de ultimis capitibus ab antiquis et recentioribus aliquae quaestiones agitantur.

1. *Integritas* c. 15-16 vario modo impugnata est. *Origenes* in commentario suo secundum Rufini interpretationem ita tradit : « Caput hoc (16, 25ss) Marcion, a quo scripturae evangelicae et apostolicae interpolatae sunt, de hac epistula penitus abstulit. Et non solum hoc, sed ab eo loco, ubi scriptum est *omne autem quod non est ex fide, peccatum est* (14, 23) usque ad finem cuncta dissecuit. In aliis vero exemplaribus, id est in his, quae non sunt a Marcione temerata, hoc ipsum caput diverse positum invenimus ». Origenis verba non sunt indubia, cum « dissecuit » possit significare « abstulit » et « mutilavit ». Origenis verba sunt ambigua, cum « dissecuit » possit significare « abstulit » et « mutilavit ». Posterius *Zahn* intelligit, quia contextui magis respondere videtur. Sed cum constet in aliquibus codicibus latinis c. 15-16 defuisse, altera interpretatio probabilior est (cf *de Bruyne*, Rben 25 [1908] 423-430 ; 28 [1911] 133-142). *Baur* cum aliis haec capita saeculo secundo scripta esse vult.

At non solum testimonia codicum, sed etiam indoles capitis 15 eius genuinitatem absolute comprobant. Nam 15, 1-13 pertinent ad priora et ea complent. Universalis enim applicatio principiorum antea enuntiatorum est prorsus Pauli proprium. 15, 7-13 autem tantopere cum propositione et materia totius epistulae conveniunt, ut perfectam cum ea unitatem idearum et locutionis prae se ferant.

Reliqua vero, quae 15,14-33 de Paulo et eius apostolatu legimus, tum quoad formam tum quoad materiam tantopere respondent indoli Paulinae, ut ne particula quidem vel levissimum dubium moveat.

2. Maioribus impugnationibus subest *doxologia* 16, 25-27.

A *Marcione* eam omissam esse vidimus. Cum Marcione omittunt textum archetypus codicum DG, et secundum *Hieronymum* (in E 3, 5s, ML 26, 481) videntur codices fuisse, qui doxologiam omiserint, cum asserat eam in *plerisque* codicibus inveniri. D textum habet, sed alia ratione scriptum quam priora.

Teste *Origene* caput erat suo tempore *diverse positum*. Revera L et minusculi plerique, *Chrys. Theodoret.* et Graeci posteriores sy^h got post 14, 23 doxologiam tradunt. *Zahn* putat eam primitus hic positam fuisse. Bis eam habent (14, 23 et 16, 25) AP aliqui minusculi, aliqui codices armeni. G post 14, 23 spatium vacuum habet; sed neque hic neque in fine textum adscribit. Alii omnes textum describunt post 16, 23 (24).

Propter incertum locum et locutiones aliquas apud Paulum minus usitatas critici aliqui ex recentioribus doxologiam dubiam habent aut eam omnino reiciunt, *HJHoltzmann*, *Jülicher*, *vonSoden*, alii. *Harnack* censet eam a Marcionitis esse confictam et postea a catholicis retractatam (S. B.

Preuss. Akad. der Wiss. 1919, 527ss; Marcion², 1924, 165s). Res incredibilis, in totam fere traditionem, paucissimis testibus alioquin nullius auctoritatis exceptis, doxologiam esse receptam, eam a *Clemente Alex.*, ab *Origene*, in omnibus codicibus agnosci, et tamen pauco tempore antea a Marcionitis, non a Marcione ipso, confictam, deinde a catholicis emendatam et statim certatim receptam, ut *Orig.* formam *catholicam* iam in omnibus codicibus inveniat, nec quidquam novisse videatur de codicibus Marcionitis, qui eam tradant. Quis hoc possibile crediderit? Praeterea neminem latet, quantopere haec doxologia cum exordio epistulae congruat, quin tamen in verbis ab eo dependeat. Optime sane hae sententiae conveniunt cum argumento totius epistulae et aptissimam ei imponunt conclusionem, qua lectores denuo recolere iubentur Dei arcanum mysterium ad eorum salutem ab aeternitate conceptum et iam per Christum opere completum ; cf 1, 2. 5. 11 ; 2, 16 ; 11, 33s ; E 3, 3-5. 9-10.

Cur autem doxologia in permultis codicibus post 14, 23 trādatur, facilem habet explicationem ex praelectione publica. Cum enim salutationes et ea quae Paulus de se scribit, lectioni minus apta esse viderentur, cum prioribus coniungebatur, quod revera obtinet in *lectionariis*. Aptius quidem post 15, 13 verba apponerentur. Sed fortasse ideo non ibi scripta sunt, quia Paulus ultimo versu fidelibus benedictionem divinam imprecatur.

De Bruyne doxologiam a Marcione confectam esse et eius formam primitivam in codice monasterii Schaeftlarn et aliis inveniri putat. Origenem vero errasse asserentem doxologiam a Marcione omissam esse et in omnibus codicibus catholicis tradi (Rben 28 [1911] 133-142).

3. Quaestio tandem movetur de 16, 1-23. Non ita quidem, ut de genuninitate horum versuum dubium sit, sed eos nostrae epistulae tribuendos esse aliqui negant ex recentioribus.

Difficulter enim intellegunt Paulum tot nomina potuisse enumerare, cum nondum Romae fuerit. Si quis autem respondeat non pauca ex his nominibus esse amicorum aut familiarium Apostoli, quaerunt, quomodo factum sit, ut ex ecclesiis Paulinis recenter natis tantus confluxus in urbem factus sit. De Aquila et Priscilla nulla est difficultas. Ex 1 C 16, 19 constat quidem eos antea fuisse Ephesi, et postea iterum 2 T 4, 19, sed quid mirum, si Romam redierunt et in domo sua fideles receperunt. Inter 1 C et R secundum sententiam antea adoptatam fere duo anni fluxerunt. Deinde Paulus ipse scribit se ex multis annis oculos suos Romam convertisse. Recte igitur supponemus eum cum amicis suum consilium communicasse, maxime cum iis, qui Roma venerant. Neque improbabile est Aquilam *propter* ipsum Paulum Romam rediise et alios amicos eum praecessisse, ut ei viam praepararent. Sine dubio eo tempore iam multi ex ecclesiis palaestinensibus Romam profecti erant, inter quos facile admittimus etiam Pauli amicos et notos. Qui vero mirantur de tanto confluxu, non leviter exaggerant. Fere quattuordecim homines sunt, quos ex oriente Romam profectos esse supponimus. Alii enim videntur Romani fuisse, quorum

nomina Paulus ideo adscribit, quia sunt insigniores et maioris auctoritatis, v. g. οἱ ἐκ τῶν Ἀριστοβούλου 16, 10, οἱ ἐκ τῶν Ναρκίσσου οἱ ὄντες ἐν Κυρίῳ 16, 11, item 16, 14-15. Paulum autem de his edoctum esse iam ex hoc facile admittitur, quod vidimus eum optime habere perspectum statum ecclesiae Romanae. Porro res est notissima Romam undique omnium gentium homines confluxisse, id quod de Christianis non minus valet quam de aliis.

Cur autem Epaenetus, primitiae Asiae, 16, 5, potius Ephesi quam Romae degere debeat, nemo intellegit. Annon hoc ipsi apud Romanos commendationi fuit ?

Nomina ipsa alibi quoque ex inscriptionibus nota sunt. Sed non de hoc quaeritur, sed de eo, quod haec nomina simul eodem tempore Romae occurrunt ; cf *Lightfoot*, Philippians, 1906, 173ss ; *Feine* Abfassung des Phil. in Eph. 121ss. *ERoennecke*, Das letzte Kapitel des Römerbr. im Lichte der christl. Archäologie, Lp. 1927.

b) Aliud argumentum contra traditionem desumitur ex 16, 17-20. Si enim haec verba Romanis scripta sunt, a Paulo admonitio cum tanta auctoritate enuntiatur, qua antea non usus est (παρακαλῶ, θέλω, ὑπακοή). Paulus hic sane severius loquitur quam antea. Qui autem de hoc mirantur, non videntur retinere Apostolum in pluribus epistulis (2 C Ph 2 Th) in fine monitiones suas verbis gravioribus tradere. Singula autem levissima sunt, cf 12, 1 ; si autem Paulus *vult* fideles *sapientes* esse, nemo non mirabitur hoc tamquam argumentum contra traditionem proferri.

Quare cum traditio codicum unanimis sit, nullae rationes contrariae vi gaudeant, et onus probationis iis incumbat, qui textui tradito contradicunt, sententiam omittimus. Sed addimus hypothesim eorum, qui hoc caput ad Ephesios scriptum esse censent, difficultates, si quae adsunt, augere, non solvere. Num potest epistula concipi, quae solis fere salutationibus constat ? Si autem putant alia praeterea scripta fuisse, quomodo haec interierunt et solae salutationes conservatae sunt ? Quomodo autem in prima traditione hae reliquiae epistulae cum nostra coaluerunt ? *Deissmann* difficultati hac ratione occurrere conatur, ut dicat in collectione epistularum conclusionem epistulae ad Rom periisse, et sequentis ad Ephesios initium mutilatum esse (Licht vom Osten[4]). Solutio forte considerànda, *si* hypothesis aliunde sufficienter probata esset, quod non obtinet.

474. *De tempore et loco, quo epistula scripta est.* Quando epistula scripta sit, Paulus satis definit. Asserit enim collectas ecclesiarum Macedoniae et Achaiae factas esse et se iam paratum esse, ut Ierusalem proficiscatur 15, 25-28. Quare constat Apostolum post initium anni 58 (aut 57), postquam in Achaia, potissimum Corinthi, ecclesiae providit, hanc magnam et gravissimam epistulam exarasse, qua aliquomodo fructum suae praedicationis et experientiae apostolicae colligit.

Epistula autem scripta est *Corintho*. Commemoratur enim *Phoebe*, quae est in ministerio ecclesiae, quae est in Cenchris 16, 1, postea *Caius*, « hospes meus et universae ecclesiae » 16, 23, qui sine dubio idem est, quem Apostolus ipse baptizavit 1 C 1, 14. Si epistula autem scripta est Corintho, patet Paulum in hac urbe longiore tempore resedisse et pace cum ecclesia Corinthiorum gavisum esse. Ea proinde, quae antea tantam curam et sollicitudinem Apostolo creaverant, videntur esse composita. Epistulae et missiones Titi, adventus Pauli ipsius plenam restituerunt fiduciam et Corinthii ad meliorem frugem redierant. His itaque compositis Paulus eo magis scribere potuit : « nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus... spero, quod praeteriens videam vos » 15, 23.

Titi nomen in epistula non legimus, videtur ergo non iam cum Paulo esse, dum epistula scribitur. *Timotheus* autem Romanos salutat 16,21, versatur igitur cum magistro suo Corinthi. Valde autem delectat librarii, cui Paulus epistulam dictavit, nomen et salutationem legere : « Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistulam » 16, 22, ut illius quoque gratam memoriam teneamus, qui Paulo otium et manus praebuit ad talem epistulam nobis donandam.

475. *Commentarii* et subsidia. 1. *FrToletus* S. I., R. 1602 ; *NdeTourneux*, P. 1696 ; *FrOudin*, S. I., P. 1737 ; *HKlee*, Mainz 1830 ; *IMWirth*, Ingolst. 1835; *LStengel*[2], Fr. 1854; *FrXReithmayr*, M. 1845; *AMaier*, Fr. 1847; *ThBeelen*, Lov. 1854. *LKlofutar*, Laibach 1880 ; *IAgus* S. I., Ratisb. 1888 ; *ASchulte*, Regensbg 1897 ; *INiglutsch*[2], Trid. 1909 ; *Ceulemans*, Mechliniae 1901 ; *Lagrange*[2], P. 1922; ***OBardenhewer*, Fr. 1926.**

Acatholici : MLuther ex a. 1515/16, ed. *JFicker* I, Lp. 1908. *CAFFritzsche*, Lp. 1836 ; *FDelitzsch*, R in das Hebräische übersetzt u. aus Talmud u. Midr. erläutert, Lp. 1870; *FGodet* 1-2[2], P. 1883-90. *EChrLuthardt*[2], KK, M. 1894; *AJülicher*[3], Gtt. 1917 ; *AMaclaren*, Ld. 1909 ; *HGGrey*, Ld. 1911 ; *EKühl*, Lp. 1913; *KBarth*[4], M. 1924 ; *JKögel*, Gü. 1919 ; *APallis*, Liverp. 1920.

2. *GSemeria*, Il pensiero di S. Paolo nella lettera de S. Paolo ai R., R. 1903 ; *ACappellazzi*, L'umanità rigenerata in Gesù Cristo, Cremona 1914; *Lightfoot*, The Structure and Destination of the Ep. to the Romans, 1869, Biblical Essays, Ld. 1904, 287-320; *CWeizsäcker*, Jahrb. f. deutsche Theol. 21 [1876] 248ss ; *AKlostermann*, Korrekturen zur bisherigen Auffassg des R., Goth 1881; *ERiggenbach*, Die Starken u. Schwachen in d. röm. Gemeinde. ThStKr 66 [1893] 649-678; *MRauer*, Die « Schwachen » in Korinth u. Rom, BSt 21, 2s, 1923; *GRichter*, Krit., polem. Untersuchungen z. R., BFchrTh 12, 6, Gü. 1908.

CAPUT III

DE EPISTULIS TEMPORE PRIORIS CAPTIVITATIS SCRIPTIS

§ 13. De epistulis captivitatis universe

476. 1. S. Paulus cum scriberet epistulam ad Romanos, fidelium orationes expetivit, ut liberaretur ab infidelibus, qui erant in Iudaea 15,30s.

Haec verba Apostolus videtur praesagiens scripsisse. In ipso autem itinere pluries futurae sortis admonebatur. Mileti enim presbyteris Ephesinis testatur S. Spiritum ipsi praedicere vincula et tribulationes A 20, 22ss. Tyri monetur per Spiritum, ne ascendat Ierusalem 21, 4. Agabus Caesareae actione symbolica annuntiat Paulo captivitatem 21, 10-14. Quae praedictiones paucis diebus, postquam Apostolus Ierusalem venit, impletae sunt. Paulus qui speraverat se mox Romanam visurum esse ecclesiam, tribus fere annis postquam epistulam ad Romanos scripsit captivus in urbem advenit.

2. Romae biennio saltem detentus est, ita quidem ut in propria domo ab ipso conducta manserit, vinctus cum milite, sed liber in suscipiendis omnibus, qui eum adire vellent, A 28, 30s. Romam eum comitati erant Lucas et Aristarchus (A 27, 2) cum aliis, ut videtur, inter quos fortasse Timotheus. Tempore huius captivitatis romanae Apostolus secundum traditionem codicum et interpretum veterum scripsit quattuor epistulas, quae vocantur epistulae captivitatis, ad Philippenses, ad Philemonem, ad Colossenses, ad Ephesios.

Quas epistulas ex captivitate missas esse non est dubium, cum ipsae testimonium vinculorum exhibeant, Ph 1, 12ss. 17, in qua epistula Paulus aliquomodo incertus futurae sortis est 1,20ss ; 2, 17s. Sed propter necessitatem suae ecclesiae confidit se permansurum esse 1, 25s. In epistula ad Philemonem ab initio se dicit captivum 1, iterum 10. 13 ; at sperat se libertati redditum iri 22. In epistula ad Colossenses, quae eodem tempore scripta est, legimus de perpessionibus Apostoli 1, 24, et vinculis 4,3. 18. Similiter Eph 3, 1 ; 4, 1 ; 6, 20.

3. Inter has epistulas eae quae ad Philemonem et ad Colossenses scriptae sunt, intimam habent relationem. Eodem enim tempore et ad eandem ecclesiam missae sunt.

Quod probatur serie nominum, quae in fine utriusque epistulae leguntur, Phm 23s *Epaphras*, *Marcus*, *Aristarchus*, *Demas*, *Lucas* ; C 4, 10-14 *Aristarchus*, *Marcus*, *Iesus Iustus*, *Epaphras* (cf 1, 7s), *Lucas*, *Demas*. Deinde *Onesimus*, de quo agit tota epistula ad Phm, dicitur C 4, 9 « frater fidelis et dilectus, qui est ex vobis ». A Paulo mittitur Colossas 4, 7s ; idem asseritur Phm 12, 17. *Archippus* in utraque epistula commemoratur C 4, 17 : Phm 2.

Utriusque epistulae quoque initium est simillimum et eadem opera caritatis referuntur ; cf C 1,3-5 ; Phm 4-6. Epistulae videntur delatae esse per *Tychicum* fratrem et fidelem ministrum, qui nuntios de Paulo allaturus est (4, 7ss). Propterea ab eo salutationes non adscribuntur. Videtur esse idem, qui A 20, 4 inter Pauli comites enumeratur, Asianus ; in epistula ad Ephesios similem missionem habet 6, 21s. Quare haec quoque epistula eodem tempore scripta est et per eundem nuntium Tychicum in Asiam defertur. Convenit vero indoles huius epistulae adeo cum epistula ad Colossenses, ut etiam propter hanc rationem probabile sit easdem simul exaratas esse.

4. Veteres has epistulas omnes ex captivitate romana scriptas esse censebant. Recentiores autem aliqui perpendentes Paulum alibi quoque in vinculis fuisse, aut Epheso aut Caesarea epistulas missas esse volunt.

Rationes vero, cur ep. ad Phm C (E) potius Caesarea quam Roma datas esse putent, sunt hae : facilius intellegi Onesimum, servum fugitivum, Caesaream aut Ephesum confugisse, quam Romam. Romae Paulum fuisse magis liberum in praedicando Evangelio, quam C 4, 3. 18 supponi videtur. C 4, 3 Apostolus implorat preces, ut ipsi porta sermonis aperiatur ad loquendum mysterium Christi. Haec autem melius respondere condicionibus captivitatis Caesareensis quam Romanae.

At hae rationes minime sunt efficaces. Servos fugitivos ex toto orbe Romam convenisse aliunde certum est, minime autem est probabile Onesimum Caesaream petivisse. Quae de vinculis Apostolus dicit, Romae non minus verificantur quam Caesareae, Paulus enim etiam in domo conducta Romae cum milite catena vinctus erat. Nemo autem dixerit illam libertatem praedicandi Evangelii, qua Paulus Romae fruebatur, satisfecisse ipsius zelo et desiderio.

Positive autem Caesarea excludi videtur per 4, 3 et ea quae de adiutoribus Pauli dicuntur. Caesarea habuit ex longo tempore suam ecclesiam, ibi fuit Philippus, alii. Non ergo videtur in urbe minore campus praedicationis apostolicae tantus fuisse, ut Pauli verba huic captivitati applicari apte possint. Quae Apostolus vero de paucis adiutoribus ex circumcisione

dicit, C 4, 10s, optime conveniunt cum iis, quae Ph 1, 15 narrantur. Unde non censemus epistulas Caesarea scriptas esse, neque huic opinioni probabilitatem concedimus. Multo minus autem *Ephesina* captivitas respondet condicionibus in his epistulis suppositis. Praeter rationes antea allatas enim nomina in fine epistularum ad Col et Phm posita omnino excludunt hypothesim Ephesinam, quod potissimum valet de Luca et Marco. Accedit quod ipsa captivitas Ephesina tam incerta est, ut ipsum fundamentum suppositionis sit quam maxime infirmum.

Porro Paulus ab initio captivitatis Palaestinensis admonitus erat se Romam profecturum esse ad testimonium reddendum (A 23, 11), et postea Romam appellat ad Caesarem. Non igitur potuit ad Philemonem scribere se eum invisurum esse Colossis, Phm 22.

Omnes autem condiciones epistularum bene satisfaciunt sententiae veterum et plerorumque interpretum catholicorum et acatholicorum. Ei igitur accedimus. Epistulas autem scriptas esse putamus versus finem captivitatis romanae, c. a. 63.

§ 14. De Epistula ad Colossenses

477. 1. Colossae (BS Κολόσσαι 1, 2, sed πρὸς Κολασσαεῖς plerumque in inscriptionibus et subscriptionibus, item SA, bo, sy^{ph}, alii codices fluctuant) urbs erat parva Phrygiae ad Lycum flumen in finibus orientalibus provinciae Asiae, non longe a Laodicaea et Hierapoli sita, quae tres urbes eodem tempore et ab eodem Pauli discipulo Epaphra videntur Evangelium recepisse ; cf 1, 7 ; 4, 12 (supposita lectione ἡμῶν 1, 7).

Ecclesiae enim hae non ab Apostolo immediate sunt fundatae neque antequam hanc epistulam scripsit in illis regionibus fuit, quamquam bis Phrygiam peragravit (A 16, 6 ; 18, 23) et per tres annos Ephesi commoratus est. Verba igitur Lucae A 19, 10, asserentis, omnes habitantes in Asia audivisse verbum Dei, ita accipienda sunt, ut undique ex provincia Ephesum confluxerint ad Paulum audiendum, ipse vero in urbe resederit neque itinera maiora susceperit. Paucis enim diebus Epheso Colossas pervenire potuit. Inter eos autem, qui Paulum adierunt, fuerunt Epaphras et Philemon Colossenses (Phm 1. 8. 13. 19. 23).

2. Ecclesia eo tempore, quo Paulus ad eam scribit, iam magnum numerum fidelium numerasse videtur, cum audiamus de coetu eorum, qui conveniunt in domo Philemonis (Phm 2) et in domo Nymphae (C 4, 15). Plerosque ex gentibus ad fidem venisse recte supponitur (cf 1, 12. 23ss. 27 ; 2, 13), sed in ea regione ex tempore Antiochi III († 187) multi Iudaei habitabant (*Ioseph.* Ant. XII 3, 4). Quare probabile est ex Iudaeis quoque aliquos fidem amplexatos esse, quod confirmatur ex epistula nostra.

478. *De occasione et fine epistulae.* 1. Epaphras Apostolum captivum adiit et ei de statu et periculis ecclesiae retulit, 1, 7s.

Quo sensu Paulus eum appellet concaptivum suum (Phm 23), non constat, fortasse quia amore magistri sui cum eo remanet, ut ei in vinculis ministret (cf Phm 13), aut quia Ephesi cum Apostolo aliquo tempore vincula portavit.

Epaphras laetos nuntios attulit de fide et caritate in ecclesia florente (C 1, 3-6 ; Phm 4-7). Potissimum laudatur caritas in utraque epistula, ita ut cogitandum sit de particulari occasione, qua haec caritas opere demonstrata sit. Quod maxime ex Phm 4-7 elucet. Quia autem eo fere tempore, quo epistulae hae duae scriptae sunt, regiones illae magno terraemotu vastatae sunt, non caret probabilitate ea occasione Philemonem et Colossenses caritatis operibus se insignes praestitisse.

2. Ecclesia vero aliquomodo infestabatur falsis doctrinis, de quibus non constat, num ex ipsa ecclesia natae sint an aliunde allatae.

Agebatur praecipue de angelorum cultu (θρησκεία τῶν ἀγγέλων 2, 18), qui variis nominibus appellantur, θρόνοι, κυριότητες, ἀρχαί, ἐξουσίαι 1, 16; 2, 10. 15, κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου 2, 8. 20 (οὐ κατὰ Χριστόν). Propter angelorum excellentiam et dignitatem, eorum in creaturas dominium et sapientiam eorum cultus magnopere commendabatur (cf 2, 4s.6ss. 15. 18. 20. 23). Exspectabant enim cultores maiorem aliquam perfectionem et sapientiam, quae per fidem in Christum non conferebatur. Via autem qua haec assequi conabantur, erat humilis quaedam subiectio erga angelos (ἐθελοθρησκεία, ταπεινοφροσύνη 2, 18. 23), cum variis exercitiis externis, maxime abstinentia (2, 16s. 20-23) et observatione dierum festorum, neomeniae, sabbati, ἀφειδία σώματος, ἐν βρώσει καὶ ἐν πόσει. Videntur circumcisionem quoque praedicasse 2, 11. Horum exercitio credebant se praeparari ad visiones et illustrationes 2,18. Qua autem ratione suas doctrinas proposuerint novi praedicatores, ignoramus. Sed videntur cum eis coniunxisse philosophica quaedam principia, cum Apostolus loquatur de πιθανολογία 2, 4, φιλοσοφία, κενη ἀπάτη κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων 2,8, λόγον ἔχοντα σοφίας 2, 23.

3. Certum est ex his elementa iudaica non defuisse. At necessitatem legis (aut circumcisionis) hi doctores non statuerunt, neque necessitatem suae doctrinae ad salutem consequendam, sed ad altiora suos discipulos se ducturos esse promittebant.

Unde singula hausta sint et quomodo inter se cohaeserint, obscurum est. In illis regionibus viguisse cultum Magnae Matris, Cybeles, Attidis, Sabazii, Lunae constat. Sed num ex his influxus statuendus sit, minime

exploratum est. Sunt qui putent cultum Mithrae et aegyptiacum ad excolendas doctrinas Colossenses concurrisse *(Dibelius)*, alii Essenorum ritus agnoscunt aut aliarum sectarum iudaicarum aut doctrinas Stoicorum et Pythagoraeorum. Attamen de omnibus his satis dubium est. Certo agnoscimus ritus iudaicos, quibus admixta esse videntur elementa syncretistica et gnostica, quae accuratius describi non possunt.

Apostolus reprobat quidem totam hanc doctrinam et cultum, at ita loquitur, ut in eis non videat defectionem a Christo, sed potius humanas inventiones inutiles, fere ridiculas, quae ad elationem et praesumptionem ducere possunt, 2, 4. 8. 18. 22s.

Cum Paulus nihil dicat de gentium superstitionibus, ipse talia non videtur invenisse in hoc cultu, sed potius loquitur de exercitiis iudaicis, quae sunt umbra futurorum 2, 17. Oppugnat autem et reprobat haec studia, quia inania sunt et iniuriam faciunt Christo. Quare ostendit in Christo solo esse omnem plenitudinem scientiae et sapientiae (πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος 1, 19 ; 2, 9 ; ἐν ᾧ εἰσιν πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ γνώσεως ἀπόκρυφοι 2, 3), ipse est imago Dei, in ipso omnia creata sunt et in ipsum 1, 15ss. Ipse quoque est caput Ecclesiae et omnium angelorum 1, 18 ; 2, 10. Per ipsum solum remissio peccatorum 1, 13s. 20ss ; 2, 13ss. In ipso omnes repleti sunt 2, 10. Et angelicas potestates ipse per passionem suam potestate sua privavit 2, 15. Per ipsum veram circumcisionem accepimus 2, 11. Nihil igitur sibi polliceantur nisi per Christum.

479. *De argumento et ordine epistulae.* Apostolus ut in aliis epistulis argumentum suum ita proponit, ut simul cum institutione de cultu angelorum et Christi praecellentia coniungat practicam instructionem.

Exordium continet inscriptionem (1, 1s) et gratiarum actionem de felici statu ecclesiae (1, 3-8).

I. *Propositionem* statuit, quae enuntiatur precatione Apostoli, ut lectores crescant in grata agnitione beneficiorum Dei, redemptionis et vocationis, et in vera vita christiana 1, 9-14.

1. Omnia bona creationis et redemptionis unice debent Christo, cui fide et spe firma coniuncti maneant 1, 15-23.

   Ut autem animo parato obsequantur, Paulus monet se pro eorum profectu offerre suas passiones et pro ipsis laborare et pugnare, ut Christus, Dei mysterium, eis manifestetur et ipsi in Christo ad perfectionem perveniant 1, 24-2, 3.

2. Admonitio, ne seducantur falsa doctrina humana, quae non est secundum Christum 2, 4-8. In Christo solo omnis plenitudo divinitatis et omnia bona redemptionis et gloriae ; Christus omnes potestates angelicas superavit 2, 9-15.

Quare non praeter Christum perfectio quaerenda in iis, quae fuerunt umbra aut humanae sunt inventionis, quae sursum sunt appetant; Christi vita gloriosa exemplar nostrum 2, 16-3, 4.

II. *Consectaria practica* : 1. Omnes monentur, ut terrena deponant, vitia omnia, et induant novum hominem, benignitatem, patientiam caritatem, omnia grato animo ad Deum referant in nomine Domini Iesu 3, 5-17.

2. Ordinum singulorum officia : mulierum, maritorum, liberorum, parentum, servorum, dominorum 3, 18-4, 1.

3. Exhortatio orationis, quam Apostolus etiam pro se expetit, et apostolicae prudentiae 4, 2-6.

Epilogus : Missio Tychici et Onesimi, qui lectores docebunt de Paulo 4, 7-9.

Salutationes ex parte adiutorum Pauli, epistula ad Laodicenos, Archippus 4, 10-17.

Pauli salutatio et benedictio 4, 18.

480. *De epistulae genuinitate.* Epistula certum habet testimonium apud omnes fere auctores saeculi secundi, *Irenaeum*, Fragm. *Murat.*, *Marcionem*, *Polycarpum*, *Ignatium*.

Saeculo vero praecedente *Mayerhoff* (1838) et *Baur* cum suis discipulis epistulam a gnosticis saeculi 2 confictam esse voluerunt, posteriores *HJHoltzmann*, *vonSoden*, alii, epistulam aliquam primitivam agnoverunt ut genuinam, hodie plerique integram Paulo vindicant.

Argumenta quae ab adversariis proponebantur, haec fere sunt : *Lingua* multa habet, quae in aliis Paulinis desiderantur ; alia non habet, quae Paulo familiaria sunt. Sed unaquaeque epistula Pauli aliqua propria habet, vel ipsa minima epistula ad Phm 7 habet hapaxlegomena, epistula ad Gal non minus quam 31. *Locutiones* et modus dicendi sunt aliquomodo graviores et pleniores quam in plerisque aliis Pauli epistulis. At in epistula secunda ad Cor similia occurrunt, alia facile explicantur ex condicionibus epistulae. Ex Pauli verbis elucet eum usurpare non raro terminos ab ipsis praedicatoribus Colossensibus adhibitos, praetere aut lectoribus Christi dignitatem quam efficacissime inculcet, verba cumulat et eadem sensa aliis modis enuntiat. Christologia vero epistulae aliqua fusius quidem describit, quae in aliis epistulis antiquioribus brevius exponuntur, sed omnia iam continentur in epistulis ad Corinthios, Galatas, Romanos, Philippenses. At etiamsi prorsus nova in epistula nostra traderentur, negamus argumentum efficax inde contra genuinitatem desumi posse, nisi quis audeat principium statuere auctori non licere novis in adiunctis nova dicere aut eum semper debere eadem repetere. Quae de Christologia diximus, non minus valent de doctrina redemptionis et unitate Ecclesiae, cf G R 1-2 C.

2. *Subsidia : AMessmer,* Brixen 1863. *Padovani,* P. 1892. *Ceulemans,* Mechliniae 1903. *Henle,* Kolossae u. d. Br. des Ap. Paulus an die Kol., M. 1887. *MSlavic,* Des Eph. u. Kol. Lehre über d. Person Christi, W. 1911. *FPrat,* Le triomphe du Christ sur les principautés et puissances, RSR 3 [1912] 201-209.

Acatholici : Ellicot, Ld. 1857. *Klöpper,* B. 1882. *Lightfoot*[14], Ld. 1904. *HOltramare,* Genf 1892. *JParker,* Ld. 1913. *GWohlenberg*[2], KK, M. 1895. *HMoule,* Colossian Studies, Ld. 1899. *MDibelius,* Die Geisterwelt im Glauben des Paulus, Gtt. 1909.

§ 15. De epistula ad Philemonem

481. Epistula haec parva, ut diximus, eodem tempore et eadem occasione scripta est ac prior (cf n. 476, 3 ; 477). *Philemon,* ad quem epistula directa est, a Paulo videtur ad fidem conversus esse ; Phm 13 Apostolus insinuat se potuisse a Philemone expetere ministerium in sua captivitate, deinde plus etiam affirmat dicens καὶ σεαυτόν μοι προσοφείλεις 19. Antea autem eum appellat *collaboratorem.*

Unde concludimus Philemonem in fundanda ecclesia apostolicum contulisse laborem. In inscriptione legimus praeterea nomen Apphiae « sororis » et Archippi « commilitonis », qui secundum C 4, 17 accepit « diaconiam ». Videntur hi esse uxor et filius Philemonis, cum in inscriptione epistulae tam familiaris commemorentur. At notamus hanc epistulam, quamvis tractet rem, quae solum Philemonem attinet, simul inscriptam esse καὶ τῇ κατ' οἶκόν σου ἐκκλησίᾳ 2. Legenda est proinde coram hac ecclesia.

2. *Occasio et argumentum epistulae. Onesimus,* servus Philemonis, secundum C 9, 9 « carissimus et fidelis frater, qui est ex vobis », domino aufugerat et Romam servorum fugitivorum refugium venerat, ubi Apostolum invenit, sive casu ad eum adductus sive facti paenitens eum quaesierat, quia facile in domo heri eius nomen audire potuit. Apostolus benigne Onesimum suscipiens eum ad fidem perduxit, « quem genui in vinculis » 10. Propterea Paulo tanto carior, quem dicit sibi utilem, ita ut eum voluerit secum retinere, ut ipsi ministraret in vinculis. Sed eum remittit ad dominum eum commendans eius benignitati, ne poenas gravissimas fugae luere debeat.

Apostolus omni qua potest ratione pro servo fugitivo intercedit, provocans ad caritatem a Philemone prius exhibitam, ad suam ipsius senectutem, ad vincula, ad debitum gratitudinis, quod Philemon erga ipsum habet. « Si me habes socium, amicum, suscipe illum ut me » 17. Si autem damnum intulit, quod Onesimus fortasse fecit pecuniam furatus aut alio

modo dominum laedens, Paulus ipse sua manus se debitorem profitetur, ἐγὼ ἀποτίσω 19, iocando sane, sed paratus, si Philemon hoc exigeret.

Paulus autem non postulat, ut Philemon Onesimum libertate donet. Insinuat hoc quidem scribens : « sciens quoniam et super id, quod dico, facies » 21. Et antea monuerat Deum ita disposuisse, ut pro servo fratrem reciperet, et in carne et in Domino 16. At Apostolus insistit, ut bonum fiat non ex necessitate, sed voluntarium sit 14.

3. *Inscriptionem*, 1-3, sequitur gratiarum actio et professio gaudii de caritate Philemonis, cui precatur maius etiam incrementum, ita praeparans suam petitionem 4-7.

Sequitur *exhortatio* ad novum opus caritatis, et commendatio Onesimi pluribus argumentis 8-21.

Concluditur epistula petitione hospitii, salutationibus, benedictione, 22-25.

4. Nulla fortasse est epistula, qua Apostolus pulchrius suum charisma tractandi rem lubricam manifestet quam nostra. Ita enim naturalibus et supernaturalibus argumentis pro Onesimo intercedit, ut melius fieri non posse videatur ; ita parcit Philemoni, ut tamen omnia et maxima ab eo postulet, ita pro servo intercedit, ut eum coram domino tenerrimo amore tamquam fratrem et filium in senectute et carcere genitum summa caritate et reverentia commendet.

Libertatem autem servorum Apostolus nullo modo proclamat, practice vero eam praeparat, docens in nostra ut in aliis epistulis principia, ex quibus consequitur immutatio condicionum vitae socialis.

Iuvat conferre *Plinii* duas epistulas ad Sabinianum (ep. IX 21. 24) et epistulam *Papae Kaor* ex Hermupoli ad Flavium Abinnaeum a. fere 346 pro milite fugitivo, cf *Deissmann*, Licht v. Osten[4], 183-188.

5. De *genuinitate* epistulae non est cur disseramus. Ipsa se commendat. Qui eam spuriam habuerunt *(Baur, Steck, Weizsäcker)*, ipsi se iudicant. Qui eam a Plinio dependere dixerunt iam eo solo refutantur, quod *Marcion* epistulam recepit, cf *Tertull.* « Soli huic epistulae brevitas sua profuit, ut falsarias manus Marcionis evaderet », c. Marc. 5, 21. Tempore *S. Hieron.* fuerunt, qui genuinitatem in dubium vocarent, *Hieron.* in Phm, Prolog. Syri epistulam non videntur ab initio habuisse, *Ephraem* eam in commentario suo praetermittit.

Interpretes epistulam exponunt aut una cum ep. ad Col. aut cum Pastoralibus. Praeterea *Demme*, Br. 1844. *GMenge*, Th-prakt. Quartalschr. 60 [1907] 24-32. *MMeinertz*, Der Philemonbrief u. die Persönlichkeit d. Ap. Paulus, Düsseldorf 1921. *ASchumann*, Lp. 1908.

§ 16. De epistula ad Ephesios

482. 1. *De ecclesia Ephesiorum. Ephesus* urbs provinciae romanae Asiae erat caput, « Asiae lumen » a Plinio appellata (hist. nat. 5, 29), celeberrima Dianae templo et divitiis. Iudaei ibi synagogam habebant, quam Paulus ingressus est, cum ex Achaia in Palaestinam rediens urbem primo adiret, A 18, 19.

In tertio autem itinere promissioni suae stans Ephesum revertit et per tres annos in urbe commoratus est, A 19, 1ss ; primo in synagoga docens per tres menses 19, 8, deinde per duos annos in schola Tyranni, ubi et Iudaei et Hellenes eum audiebant, 19, 9s ; cf 20, 31. Seditio a Demetrio argentario excitata ostendit, quanto cum fructu Apostolus praedicaverit 19, 23-27. Paulus ex urbe secedens in Macedoniam et Achaiam profectus est et sequenti anno post Pascha presbyteros Ephesinos Miletum vocavit, ubi eis valedixit 20, 17-38.

2. Ex prima captivitate, quae eodem anno initium sumpsit, scripta est epistula, quae ad Ephesios inscribitur et in omnibus catalogis epistularum hoc nomine traditur, a fragmento *Muratoriano* usque ad recentissimos catalogos a conciliis confectos. Pariter *Irenaeus*, *Tertullianus*, *Clemens Alex.* epistulam ad Ephesios scriptam esse tradunt vel supponunt.

Ex Tertulliano vero notum est *Marcionem* epistulam in canone suo habuisse quidem, sed aliam inscriptionem legisse. « Ecclesiae quidem veritate epistulam istam ad Eph habemus emissam, non ad Laodicenos, sed Marcion ei titulum aliquando interpolare gestiit, quasi et in isto diligentissimus explorator. Nihil autem de titulis interest, cum ad omnes Apostolus scripserit, dum ad quosdam » (c. Marc. 5, 17). Ex Tertulliani verbis elucere videtur eum inscriptionem in ipso textu epistulae non legisse. Non enim accusat Marcionem falsificationis, quod certo fecisset, si Marcion textum sacrum mutasset. Sunt autem testes antiqui, qui verba ἐν Ἐφέσῳ 1,1 post τοῖς οὖσιν non tradunt. Codices BS 1739 424(67) omittunt verba, *Origenes* ea non legit, quod ex eius interpretatione manifestatur, cf *Hieron.* in hunc locum. *Basilius* quoque textum sine nomine supponit. Notamus tamen omnes hos testes excepto Marcione agnoscere epistulam tamquam ad Ephesios scriptam, in codicibus proinde ab initio et in fine habebat titulum Πρὸς Ἐφεσίους, prout legimus a prima manu in BS et aliis omnibus scriptum. Tertullianus asserit traditionem Ecclesiae exhibere inscriptionem ad Ephesios. Fortasse *S. Ignatius* M. in sua ad Eph epistula primus est testis inscriptionis traditae, cum in inscriptione suae epistulae apertas habeat allusiones ad epistulam Pauli ad Ephesios ; cf praeterea ad Eph 12, 2 ; 16, 1. ad Polycarp. 1, 2.

3. Propter defectum inscriptionis multi ex recentioribus censent verba « in Epheso » 1, 1 esse delenda, sed aut cum Hofmann, BWeiss, Zahn putant, nullum nomen fuisse primitus adscriptum aut aliud a Paulo positum quod postea exiderit aut erasum sit, aut censent nomen secundum Apostoli mentem potuisse ad libitum suppleri, certum vero esse epistulam non esse scriptam ad Ephesios. Ratio est, quod ex epistula nullo modo apparet Apostolum cum ecclesia, ad quam scribit, consuetudinem habuisse. Paulus enim solum scribit se *audivisse* de fide lectorum 1, 15, postea supponit illos solum *audivisse* de eius apostolatu, 3, 2ss, cuius rationem ex epistula discere possunt. 4, 21 videtur ignorare, an recte de Christo edocti sint. Praeterea quaeritur, cur Apostolus ad ecclesiam, in qua tamdiu versatus sit, nullas salutationes mittat. Quare ad aliam ecclesiam epistulam destinatam esse iudicant.

Sententiam a Zahn propugnatam non admittendam esse ducimus, cum textus interpretatio sit nimis difficilis. Num *Marcion* nomen *Laodicaea* in ipso textu habuerit, non prorsus liquet, quamvis *Tertullianus* loquatur de « interpolatione » Marcionis. Textum autem primitus nomen Laodicaea habuisse ab *Harnack* statutum est (S. B. Akad. Wiss. 37 [1910] 696-709), qui censet nomen deletum esse, quia Ap 3, 14-19 ecclesia Laodicenorum tam graviter obiurgetur. At a quo tam sollemnis deletio memoriae peracta sit, vix explicatur. Sententiam autem, quae epistulam ad Laodicenos scriptam esse tenet, plures suam fecerunt, inter catholicos *Knabenbauer*, *Meinertz*, *Vosté*. Difficultas in hac suppositione praecipua est in eo, quod epistula ad Col multa habet, quae ad ecclesiam hanc spectant, multas salutationes, etiam ad ipsos Laodicenos continet, nostra autem nullas. Ipsa vero materia quae in epistula tractatur, optime posset convenire epistulae eodem tempore ad ecclesiam vicinam missae.

4. Propter epistulae indolem, quae condiciones ecclesiae Ephesinae non respicit, *Beza*, *Grotius*, postea *JUsher* (1712), *Credner*, *Neander*, alii epistulam putant esse encyclicam, quae ecclesiis Asiae Minoris aut Phrygiae destinata sit, ita ut etiam Laodicenis et Colossensibus deferenda fuerit. Per Tychicum epistula singulis ecclesiis communicanda erat. Quia autem Epheso iter suum instituit, quod eum tandem Laodicaeam et Colossas deduxit, Colossenses epistulam accepturi erant ex Laodicaea, unde epistula appellabatur ἡ ἐκ Λαοδικίας C 4, 16. Censent vero singulas ecclesias, ad quas epistula perlata est, suum nomen initio scripsisse, et quia Ephesi primo praelecta et descripta sit et inde ad alias ecclesias delata, sub nomine epistulae ad Ephesios eam potissimum vulgatam esse et ita simul explicari, cur Marcion recte epistulam appellaverit Laodicensium. Ita inter recentiores fere *Kaulen*, *Feine*, alii.

Probabilitatem aliquam his rationibus et huic explicationi convenire non infitiamur. Epistulam enim nostram potius catholicam quam particularem esse patet. Difficilius autem admittitur opinio de nomine ecclesiarum in inscriptione mutando. Hypothesim ita proponere placet, ut dicamus epistulam conceptam esse tamquam encyclicam pro ecclesiis

Asiae et inscriptam Ephesiis, non quia ipsi speciali ratione destinata aut necessaria fuerit, sed quia Ephesus erat caput Asiae. In qua suppositione inscriptio « in Epheso » potest retineri tamquam genuina. Fatemur vero non satis explicari, cur apud testes illos antiquos verba desint.

483. *De occasione epistulae.* Quoniam ex epistula determinatae condiciones aut difficultates lectorum non eruuntur, quibus epistula conveniat, occasio et finis non tam certo circumscribi possunt ut in epistula ad Colossenses.

Argumentum simile quidem est, at non idem. Non enim agitur de falsis doctrinis aut superstitiosis ritibus, sed magis positive de unitate omnium hominum in uno Christo. Sicut in epistula ad Col Christus describitur tamquam totius Ecclesiae caput, tamquam is, in quo omnia habent caput, quae in caelo et in terra (1, 10), qui superat omnes potestates angelicas (1, 21), qui est mysterium Dei nunc per Ecclesiam ipsis principatibus et potestatibus in caelestibus revelandum (3, 9s). Sed in relatione Christi ad angelos describenda non est epistulae finis primarius, qui rectius agnoscitur in inculcanda *unitate*, ad quam Christus redemptione sua totum genus humanum evexit, maxime gentes vocavit ad eandem fidem et gratiam cum populo Israel, cf 1, 12ss ; 2, 1ss. 11-22 ; 3, 1-10. Modus autem loquendi is est, ut Paulus aperte alloquatur ethnicochristianos, olim dictos praeputium ab ea quae dicitur circumcisio in carne manufacta (2, 11), despectos igitur et revera a Deo alienos, nunc vero in Christo reconciliatos Deo et cum Israel coniunctos, « per ipsum habemus ambo (οἱ ἀμφότεροι) in uno Spiritu accessum ad Patrem » 3, 18. Num epistula supponat contentiones inter Iudaeochristianos et ethnicochristianos, quod aliqui statuunt, non certum est.

Apostolus autem aperte ethnicochristianos erigere conatur ad agnoscendam dignitatem suam et magnitudinem suae vocationis in Christo. In hoc enim prior epistulae pars versatur. Finis autem practicus, quem Paulus suis verbis prosequitur, videtur in eo esse, ut fideles ad intimam cum Christo unionem hortetur, quam consequentur adhaerendo firmiter *Ecclesiae*. Ecclesia enim est corpus Christi et plenitudo eius 1, 22s. Per Ecclesiam innotescit magnum Dei mysterium, 3, 10. Deo Patri in Ecclesia et Christo gloria exhibetur in omnes generationes 3, 20s.

484. *Argumentum et dispositio epistulae.*

Exordium 1, 1-2 continet inscriptionem.

I. Pars quasi dogmatica 1, 3-3, 21, quae agit de beneficio redemptionis in Christo, sub forma gratiarum actionis et precationis.

1. Laus Dei Patris et gratiarum actio de consilio aeterno redemptionis et adoptionis in divinam filiationem per Christum et signationem per S. Spiritum, cuius omnes facti sunt participes 1, 3-14.

2. Speciatim gratias agit de lectorum fide et caritate et orat pro eis, ut Pater eos illustret ad magis cognoscendam spem vocationis et divitias gloriae, quas aestimare possunt secundum gloriam Christi 1, 14-23.

3. Quae gratia vocationis peccatores, filios irae, ex morte vocavit ad vitam in Christo per fidem, quae est donum Dei 2, 1-10.

4. Quare perpendant, qua gratia insignitae sint gentes, cum per mortem Christi destructa lege separante accessum habeant ad Patrem et iam sint domestici Dei et cives sanctorum in Christo 2, 11-22.

5. Ut lectores huic gratiae magis respondeant, Paulus apostolus gentium pro suo munere annuntiandi gentium vocationem et participationem promissionum Dei et praedicandi investigabiles divitias Christi, precatur Patrem, ut fideles roboret et firmet ad intimam agnitionem caritatis Christi 3, 1-19. Concludit *doxologia* 3, 20-21.

II. Pars paraenetica 4,1-6, 9.

1. Exhortatio ad vitam digne tanta vocatione gerendam in humilitate, caritate et unione perfecta, ut omnes per diversa dona in unitatem fidei et agnitionis filii Dei concurrant et hac ratione praemuniantur contra errorem 4, 1-16.

2. Monita particularia singulis data ad vitam novi hominis agendam, sinceritatem, laborem, benignitatem, castitatem, zelum, orationem 4, 17-5, 20.

3. Monita de mutuis officiis socialibus coniugum, filiorum et parentum, servorum et dominorum 5, 21-6, 9.

Epilogus : 1. Exhortatio ad pugnam spiritalem contra potestates diabolicas fortiter pugnandam, et orationem etiam pro Apostolo faciendam 6, 10-20.

2. Missio Tychici et benedictio 6, 21-24.

485. *De epistulae genuinitate.* Recentiore tempore *Schleiermacher* primus dubia de epistulae genuinitate movit (1845), quem secuti sunt *Baur* et eius schola, qui epistulam saeculo secundo attribuerunt. Nostro autem tempore, quamvis argumenta a Baur proposita non iam agnoscantur, a non paucis Paulina origo negatur. Rationes vero ex duplici potissimum capite desumuntur.

1. *Lingua et ideae* dicuntur esse a Paulo alienae. *a*) Multa notantur hapaxlegomena NT[1] fere 40, fere totidem quae in aliis Paulinis non occurrunt. Quod autem in epistula ad Colossenses observamus, magis etiam in nostra offendimus, modum loquendi implicatum, appositiones cumulatas sive in genitivo sive per praepositiones, cf 1, 5s. 10s. 18s ; 3, 2. 7 ; 4, 11-16, ita ut pluries difficilius determinetur, quo appositiones trahendae sint. Sententiae sunt longiores, sive per sententias relativas ulterius protractae sive per participia, quae non secundum leges grammaticae adnexa sunt, v. g. 1,3-14, ἐν ᾧ ἔχομεν 7, ἧς ἐπερίσσευσεν 8, ἣν προέθετο 9, ἐν αὐτῷ ἐν ᾧ 10,

ἐν ᾧ καί 11, ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς 13, ἐν ᾧ καὶ πιστεύσαντες 13, ὅς ἐστιν 14 ; cf 1, 15-23 ; 2, 1-7 ; 3, 1-7. 8-12 ; 4, 11-16. 14-19.

In aliis Paulinis σατανᾶς, hic διάβολος 4, 27 ; 6, 11, sed etiam in Pastoralibus ; in aliis ὁ οὐρανός, οἱ οὐρανοί, hic τὰ ἐπουράνια 1, 3. 20 ; 2, 6 ; 3, 10 ; 6, 12 ; sed cf 1 C 15, 40. 48s ; Ph 2, 10.

De *hapaxlegomenis* iam diximus, et hodie hoc argumentum fere omittitur, cum ex eo probari posset Paulum ne duas quidem epistulas scripsisse. Magis *modum dicendi* notant, e. g. *Norden* (Agnostos Theos, 251ss). Sed qui ep. ad Col. cum nostra comparat, facile videt genus dicendi esse fere idem, cf C 1, 3-8. 9-16. 24-29 et alia. Et in prioribus quoque epistulis sententiae longe protractae occurrunt, cf R 1, 1-7 ; 2 C 1, 7-11 ; 6, 3-10 ; 9, 12-14 et alia. Eaedem porro constructiones minus concinnae in plerisque epistulis leguntur. Si in nostra frequentiores sunt, ratio ex argumento videtur aliquomodo repetenda esse. Nam in sola priore parte epistulae haec inveniuntur (1-4). Alibi quoque Paulus si animo magis commotus est, modum illum loquendi magis sollemnem adhibet, fere liturgicum, cui respondet cumulatio et nexus minus strictus.

b) *Ideae* dicuntur aetati Paulinae repugnare, potissimum quae de Christo capite Ecclesiae, de Ecclesia ipsa leguntur, de Christi opere, de fide.

a) At Pauli epistulae antiquiores ostendunt omnes has ideas Apostolo esse familiares. De fidelibus, qui unum corpus Christi constituunt, in 1 C toties est sermo ; ibidem Christus appellatur *caput viri* 11, 3. Si vero opponunt Christum alio sensu *caput Ecclesiae* appellari, hoc omnino verum est, sed in ep. ad Col, quam ut genuinam hodie fere omnes agnoscunt, Christus dicitur caput Ecclesiae. Neque adversarii videntur considerare Paulum in eadem epistula eadem imagine alia ratione uti, cf 1 C 3, 9. 16 ; 6, 19, aut 6, 15 ; 12, 27. Multo magis autem miramur eosdem homines, qui tantopere loquuntur de evolutione apud Paulum, ut ei contrarias et oppositas doctrinas adscribant, hic tam anxios esse in admittenda aliqua leviore immutatione alicuius ideae, quae in antiquioribus epistulis Paulo usitata est.

b) Idem dicimus de *opere redemptorio* Christi. Si Apostolus in ep. ad Gal et Rom inculcat Christum nos redemisse a maledicto et iugo legis, si secundum 2 C 5, 21 Christus pro nobis peccatum factus est, ut nos in ipso fieremus iustitia Dei, si in Christo omnes homines nova fiunt creatura (G 2, 26ss ; 6, 15 ; 1 C 7, 19 ; 2 C 5, 17 ; C 3, 10s), praeparata est idea de unitate totius generis humani in Christo, quae in nostra epistula exponitur. Quae de recapitulatione caelestium et terrestrium in Christo E 1,10 traduntur, magis explicite docentur C 1, 20.

c) *Fides* apud Paulum est subiectivus actus et subiectiva dispositiva, in Eph vox adhibetur sensu obiectivo 4, 5. Ita sane, sed non aliter G 1, 23 ; 3, (5) 23 ; 6, 10.

d) Porro iuvat notasse nos saepe in scribendo ideam aliquam antea obscure conceptam clarius perspicere et verbis aptissimis exprimere, quamvis initio eam nondum ita assecuti simus. Tandem constat ex testi-

moniis externis epistulam in fine saeculi primi agnitam fuisse. Ergo saltem exstitit ante aetatem Patrum apostolicorum, et omnes doctrinae saltem immediate post Paulum evolutae erant. Cur id non fieri potuit decem annis antea et per ipsum Paulum, et quis ausus fuerit doctrinae vel linguae rationem ita determinare, ut aliquibus placet ?

e) Ex modo, quo sermo est de apostolis 2, 20 et 3, 5 τοῖς ἁγίοις ἀποστόλοις αὐτοῦ, putant sequi originem posteriorem. Sed qui ita iudicant vocem ἅγιος secundum nostrum modum loquendi concipiunt, cum apud Paulum plerumque sensu alio adhibeatur.

2. Quaestio specialis oritur *ex relatione inter E et C.* Magna enim affinitas argumenti et linguae permultos criticos movit, ut E secundum epistulam ad Col confictam esse statuerent. Similitudo revera conspicua est. Sed qui propugnant dependentiam litterariam nostrae epistulae a Col, ut *HJHoltzmann* et alii, coguntur admittere relationes tam intricatas et difficiles, ut plerique renuant hanc viam ingredi.

Quam primum enim in ipsa facta inquiritur, apparet modo alteram epistulam videri magis primitivam modo alteram. Ordo vero et consecutio locorum similium adeo differt, ut in primo capite Eph inveniantur ideae et locutiones ex tota fere ep. ad Col, neque aliter in secundo capite, et vice versa, quod facile demonstratur tum ex iis, quae *de Wette* aut *Holtzmann* collegerunt, tum ex editionibus, quae locos parallelos in margine notare solent. Deinde sententiae non sibi perfecte respondent, sed saepe initium quidem bene cum loco in Col congruit, sequentia non ita. Porro eaedem locutiones aut iidem termini alio saepius sensu in utraque epistula leguntur, ita ut quis credere posset auctorem ad Eph sequi Col et tamen anxie cavere, ne integram sententiam ex eo desumat. Quomodocunque ergo quis relationes dependentiae definit, premitur inextricabilibus difficultatibus. Deinde aliud reddit hypothesim dependentiae et fictionis impossibilem. Quomodo enim factum est, ut quis imitaturus Paulum, hanc fere solam epistulam sibi elegerit et ita elegerit, ut modo ex hoc capite modo ex alio voces aut ideas excerpserit, semper tamen mutaverit, ut argumentum sibi praestituerit non minus grande et sublime, quo Paulum fere superat. Qui haec admittere potest et simul offendit in aliqua locutione vel sententia difficiliore, ille profecto non ducitur argumentis scientificis.

Unica solutio, quae historice et psychologice possibilis est, in eo est, ut dicamus epistulam habere eundem auctorem ac Col, eam scriptam esse eodem tempore et simili fine, ut proposita idea redemptionis universalis et Ecclesiae, corporis Christi, in quod tota plenitudo gratiae effunditur, fideles ad magnam aestimationem Christi et gratiae et amorem Ecclesiae perducantur. Apostolus plenus suo argumento non potest sibi satisfacere in verbis et locutionibus cumulandis et augendis. Quare lingua

epistulae habet illud sollemne et liturgicum, simul autem facta est difficilior et intricata.

486. De subsidiis. Permulti interpretes utramque ad Eph et Col epistulam interpretati sunt. *JBelser*, Fr. 1908. *AvonHenle*^{2}, Augsbg 1908. *KJMüller*, Graz 1909. *FKeller*^{2}, Fr. 1911. *GSHitchcock*, Ld. 1913. *JVosté* O. P., R. 1921. *Acatholici : AKlöpper*, B. 1891. *JWohlenberg*, KK, M. 1895. *GHWhitaker*, Ld. 1902. *BFWesicott*, Ld. 1906. *JParker*, Ld. 1913.

HCoppieters, Les recentes attaques contre l'authenticité de l'Épitre aux Eph, RB NS 9 [1912] 361-390. *ThInnitzer*, Der Hymnus im Eph, ZkTh 28 [1904] 512-521. *Meritan*, L'ecclesiologie de l'Ep. aux Eph., RB 7 [1898] 343-369.

§ 17. De epistula ad Philippenses

487. *De ecclesia Philippensium.* Cum Apostolus in secundo itinere in Macedoniam transiisset divina invitatione vocatus, A 16, 9s, primam ecclesiam Philippis fundavit.

Urbs a Philippo rege denuo fundata erat, eius nomen fuerat *Krenides* ; Lucas eam dicit (A 16, 12) primae partis Macedoniae urbem. Romani enim Macedoniam in quattuor partes diviserant, quarum prima erat orientalis. Ab Augusto iure italico donata, colonia erat, A 16, 21. Iudaeorum numerus erat exiguus, cum synagogam non haberent, sed minorem aliquam domum (προσευχή 16, 13) extra portam civitatis. Ad eam Paulus cum sociis accedens paucis mulieribus loquebatur verbum Dei. Inter eas Lydia proselyta, purpuraria civitatis Thyatirenorum, quae fidem suscepit et Paulum hospitio recepit. Seditione autem mota contra Apostolum propter puellam daemonio liberatam Paulus et Silas ad magistratus trahuntur et virgis caesi in carcerem mittuntur. Noctu terraemotu exorto custos carceris convertitur, Paulus et Silas postero die liberi absolvuntur 16, 16-40.

Ecclesia maxima ex parte constabat ethnicis conversis. Paulus cum ea coniunctus erat caritate summa et eam in tertio itinere saltem bis vidit, A 20, 1. 3. Ex epistula autem nostra discimus fideles Philippenses quoque Paulo quam maxime fuisse addictos et eum omni modo iuvasse et valde sollicitos fuisse in Evangelio promovendo. Haec vero occasio fuit epistulae nostrae quam Apostolus scripsit, ut Philippensibus de statu Evangelii nuntios mitteret et eis gratias ageret.

488. *Occasio et finis epistulae.* 1. Ex epistula novimus Philippenses suum erga Paulum et Ev studium iam ab initio demonstrasse, cum Thessalonicen et in Achaiam, Corinthum eleemosynas mitterent, Ph 4, 15 ; cf 2 C 11, 8s.

Ex quo loco apparet Paulum illo tempore penuriam passum esse. Et

si Paulus in eadem 2 C 8, 1ss Macedonum liberalitatem tantopere laudat, recte supponemus maximam in hac re partem Philippenses habuisse.

Postea vero, cum Apostolus vinculis ligatus esset propter Christum, potissimum elucebat fidelium constantia et caritas. Denuo pecuniae summam miserunt ad eius captivitatem sublevandam, immo legatum aliquem ad Paulum delegaverunt, qui Apostolo in vinculis ministraret, *Epaphroditum*, « fratrem et cooperatorem et commilitonem meum, vestrum autem apostolum et ministrum necessitatis meae » 2,25. Qui in ministerio usque ad mortem infirmatus est et postquam convaluit, a Paulo ad suos remittitur et propter opus Christi magnopere commendatur, 2, 27-30.

Zelum autem Evangelii manifestaverunt, cum propter Apostoli captivitatem de fidei profectu solliciti essent. Paulus hunc zelum non solum agnoscit, sed etiam solatium affert anxiis animis affirmans Evangelium sua captivitate potius profectum et incrementum cepisse 1, 12ss.

2. Praeter haec autem alia Apostolo cordi erant. Condicio ecclesiae optima quidem erat eamque Paulus laudat. Sed quia fidelium perfectionem desiderat, eos sua epistula iuvare conatur, ut *caritas* eorum magis ac magis abundet in omni scientia et recto sensu 1, 9s.

Quare eos admonet unitatis et humilitatis, 2, 1ss. Idem monitum repetitur 4,2s, ubi Evodiam et Syntychen hortatur idem sapere in Domino. Gravius vero periculum imminebat ex iudaizantibus, qui iam videntur ecclesiam invasisse et quos Paulus verbis severis castigat, 3, 2ss.

488. *De ordine et compositione epistulae.* 1. De argumento ex praecedentibus sufficienter constat. Notare autem iuverit, Apostolum argumentum suum ita tractare, ut per totam epistulam lectores suos ad *gaudium* hortetur, ut hac voce fere indoles epistulae describi possit.

Se ipsum gaudere in omnibus et de omnibus asserit, gaudet de Philippensibus 1,4; 4,1; gaudet de eorum eleemosyna 4,10; gaudet in omni tribulatione, dummodo Christus annuntiatur 1,18, et per vitam aut mortem suam gaudium fidei in fidelibus promovetur 1, 25; 2, 17s; precatur, ut ipsi suum gaudium impleant 2, 2; gaudio se affectum iri affirmat, si de eorum statu certior reddatur 2, 19. Lectores identidem ad gaudium exhortatur 3,1; 4,4. Vult, ut cum ipso gaudeant, etiamsi eorum Apostolus immolatur in officio et obsequio fidei eorum 2,17s. Gaudium afferre cupit remittens Epaphroditum 2,28s. Ad gaudium eos hortans contra perturbatores quam maxime eos securos reddere studet. Nulla sane est epistula, qua Apostolus suam cum ecclesia aliqua unionem intimam et affectum tenerrimum adeo manifestat quam nostra.

2. *Dispositio* stricte logica in epistula non est quaerenda, cum Paulus familiarius loquatur, neque apte distinguitur pars historica et paraene-

tica, quod haud paucis placet, cum evidenter iam 2, 1 admonitio initium sumat. Quare abstinemus ab exhibenda dispositione, sed secundum ordinem ab ipso Apostolo traditum singula describimus.

Exordium 1, 1-11, continet inscriptionem 1, 1s, et gratiarum actionem, quae in hac epistula habet pro obiecto cooperationem in Evangelio (1,5.7 socii gratiae in vinculis et in defensione et confirmatione Evangelii). Apostolus suum erga fideles amorem aperit sua precatione, ut eorum caritas magis ac magis abundet secundum scientiam 1, 3-11.

1. Apostolus consolatur lectores de statu Evangelii. Ipsius vincula agnoscuntur ut vincula propter Christum, Ev praedicatur propter ipsa vincula, etiamsi non ab omnibus sincere. Paulus gaudet, dummodo Christus praedicatur et Deus per ipsum glorificatur sive per vitam sive per mortem, quam concupiscit 1, 12-23. Sed propter profectum suorum confidit se permansurum et visurum esse eos 1, 24-26.

2. Interea digne Evangelio conversentur, in uno spiritu et fortes in certamine, quod commune habent cum Apostolo suo et quod est argumentum electionis 1, 27-30.

Praecipue autem adhortatur ad unitatem et humilem caritatem 2, 1-4, provocans ad Christi exemplum, qui se humiliavit usque ad mortem crucis 2,5-11. Concludit cum monitione, ut cum timore Dei salutem operentur, ut sine murmuratione simplices mundo sint exemplo et causa gloriandi n die Christi apostolo suo, qui cum gaudio immolatur pro eorum salutei 2, 12-18.

3. Promittit se Timotheum, fidelissimum filium, ad eos missurum esse, et sperat se ipsum venturum 2, 19-24. Iam nunc remittit Epaphroditum eorum legatum, qui Apostolo serviens morti proximus fuit 2, 25-30. Hortatur ad gaudium, 3, 1.

4. Gravis admonitio, ut caveant indaizantes, qui gloriantur de carnalibus, et sequantur Apostolum, qui omnibus carnalibus contemptis unice supereminentem scientiam Christi sectatur, ut in ipso inveniatur 3, 2-14. Ipsum sequantur, non inimicos crucis Christi, exspectent Christum, qui nos configurabit suae gloriae 3, 15-4, 1.

5. Monita ad Evodiam et Syntychen idem sapere 4, 2-3. Monita ad gaudium, benignitatem, omnem virtutem, et fidelem observantiam doctrinae et exempli Apostoli 4, 4-9.

6. Gaudium et gratum animum pro accepto dono et caritate prius exhibita enuntiat, quae potissimum grata sunt, quia ipsis benefactoribus fructificant 4, 10-20.

Epilogus : Salutationes *(maxime qui de Caesaris domo sunt)*, benedictio 4, 21-23.

490. *De loco et tempore epistulae et eius genuinitate.* 1. Codicum subscriptiones et interpretes docent epistulam scriptam esse ex captivitate romana. Ex iis autem quae de praetorio 1. 13 et de fidelibus

ex Caesaris domo dicuntur 4, 22, hanc traditionem potissimum corroborari antiqui et recentes interpretes censent.

At nostra aetate fuerunt, qui epistulam Caesarea aut Epheso scriptam esse velint. Hodie magis placet alterum. Primus *HLisco* (Vincula Sanctorum ; Roma peregrina, B. 1900.01) sententiam propugnavit epistulam hanc et alias scriptas esse Epheso (= Roma). Eandem sententiam tenent *Deissmann* (Licht vom Osten[4] 1923), *MAlbertz* (StKr 83 [1910] 551-595), *PFeine* (Die Abfassg d. Ph in Ephesus, BFchrTh 20, 4, 1916).

a) Argumenta autem, quibus haec hypothesis commendatur, sunt haec : Lingua magis affinis est epistulis antiquioribus quam epistulis aliis captivitatis. Pugna contra iudaizantes videtur tempore captivitatis immo iam antea, cum Apostolus Romanis scriberet, esse finita. Facilius illa itinera, quae Ph 2, 19-30 commemorantur, explicantur supposita captivitate Ephesina quam Romana. Argumenta vero, quae pro antiqua opinione afferantur, non esse apposita. Constat enim Paulum saepius captivum fuisse. Vox *praetorium* (1, 13) adhibetur non solum ad designanda castra praetoriana romana, cf Mt 27, 27 ; J 18, 28 ; A 23, 35. Fideles ex Caesaris domo (4, 22) in provinciis quoque, maxime Ephesi, possunt supponi, quod ex inscriptionibus demonstratur. Exsistebant enim collegia libertorum et servorum Caesaris, cf *Feine*, l. c. 95ss.

b) Sed haec argumenta rem minime evincunt. Quod linguam attinet, epistulae ad Col et Eph propter suam materiam vix conferri possunt cum nostra, cuius materia est omnino alia. Pugnam autem contra iudaizantes absolutam esse tempore originis epistulae ad Rom falsum est, neque credendum est talem pugnam tam celeriter fuisse finitam. Quam maxime enim probabile est eam renatam esse tempore longae captivitatis Pauli. Quae de praetorio et fidelibus ex Caesaris domo dicuntur, non certo quidem probant sententiam veterum, sed eam admodum commendant. Certo si Roma mittuntur salutationes ex Caesaris familia, multo magis ostenditur Evangelii progressus, quam si hoc aliunde scribi potest.

Quod autem captivitatem Ephesinam attinet, ea non potest dici impossibilis, at nullo argumento, quod interim propositum est, probatur. Non enim agitur de brevi aliqua captivitate aliquot dierum vel hebdomadum, sed de diuturna. Quod iam eo probatur, quia vincula Pauli dicuntur innotuisse *in toto praetorio* et apud reliquos omnes, et exinde etiam praedicationem incrementa sumpsisse. Quae longius tempus postulant. Haec autem optime respondent condicioni captivitatis romanae. Per milites enim Paulum alternatim custodientes paulatim eius causa innotescere potuit. Et Romae multo difficilius erat, causam Apostoli perspicere quam Ephesi, ubi longo tempore conversatus erat et inter ipsos Asiarchas amicos numerabat, A 19, 31.

Confirmatur idem, si perpendimus condiciones Epaphroditi 2, 25ss. Philippenses audita Pauli captivitate pecuniam collegerunt, eam ad Paulum miserunt, per Epaphroditum qui apud Apostolum remansit et in eius

servitio in aegritudinem lapsus est. Philippenses de hoc certiores redduntur, et Paulus et Epaphroditus audiunt, Philippenses iam accepisse nuntios huius aegritudinis et ut videtur aliquomodo dubitasse, num veritati responderet. Haec autem omnia supponunt plura itinera, quae captivitatem longam postulant. Talem autem captivitatem Ephesi admittere fontes minime suadent, immo ne permittere quidem videntur. Nam quae afferuntur, 1 C 15, 32 aut 2 C 1, 8ss ; 11, 23 ; R 16, 4. 7, aut Clementis Rom. testimonium (5, 6), Paulum septies vincula portasse, ostendunt quidem Paulum saepius vinctum fuisse, sed nullo modo ex his concludere licet ad captivitatem longioris durationis, et quae de persecutionibus Ephesinis dicuntur, solum convenire videntur tumultuosae persecutioni, quae brevi tempore sedata est. Proinde censemus hanc sententiam a recentioribus excogitatam factis non commendari et cum permultis tenemus sententiam traditam cum *Cornely*, *Knabenbauer*, *Jacquier*, *Meinertz*, *Coppieters*, *VWeber*, *Wohlenberg*, *Zahn*, aliis.

2. *Quando* autem scripta sit epistula, ante alias an post alias, non satis exploratum est, neque eadem est auctorum sententia. *Bleek*, *Lightfoot Hort*, alii censent epistulam scriptam esse ante alias. Concedimus ea quae in epistula dicuntur et supponuntur, non necessario postulare plus quam sex fere menses. Sed cum ex A 28, 30 sciamus Paulum per biennium Romae detentum fuisse et eius causam eo tempore nondum fuisse actam, in nostra epistula autem hoc admittendum esse videatur (Ph 1, 7. 16. 20 ; 2, 17), rectius dicemus epistulam scriptam esse versus finem captivitatis. Praeterea, si 1, 25s (τοῦτο πεποιθὼς οἶδα) et 2, 24 (πέποιθα ἐν Κυρίῳ ὅτι καὶ αὐτὸς ταχέως ἐλεύσομαι) cum Phm 22 comparamus (para mihi hospitium, nam spero me donari vobis), fiducia maior in Ph enuntiatur, quam in aliis epistulis. Quapropter videtur Ph postea scripta esse, cum Paulus iudicare potuerit finem suae captivitatis propinquum esse.

3. De epistulae *genuinitate* ex antiquissimo tempore constat. *Clemens R.* in sua epistula ad Cor 16, 1 satis clare alludit ad Ph 2, 5ss. *Polycarpus* explicite loquitur de epistulis Pauli ad hanc ecclesiam (n. 3. 11). Alia omittimus, cum testimonia abundent.

Nostris vero temporibus cum *Evanson*, *Baur*, *Zeller*, alii genuinitatem in dubium vocaverunt, sed rationes tam debiles sunt, ut impugnatores inter se de pondere suorum argumentorum pugnent. Sufficit provocare praeter testimonia externa ad indolem epistulae, v. g. ad ea quae Paulus de se ipso 1, 12-30 dicit, quae de Epaphrodito narrat 2, 25-30, de eleemosyna accepta 4, 10-20, ut quivis concedat haec non posse esse conficta. Quod linguam et theologiam attinet, haec omnino congruit cum magnis epistulis.

4. *Subsidia. AVelasquez* S. I., Pinciae 1626. *Beelen*[2], Lov. 1852. *KJMüller*, Fr. 1899. *MWaldhauser*, Die Kenose u. die moderne protest. Christologie, Mainz 1912. *HSchumacher*, Christus in seiner Präexistenz ; Kenose nach Ph 2, 5-8 ; 1-2, R. 1914. 21.

Acatholici : Lightfoot[12], Ld. 1896. *AKlöpper*, B. 1893. *MJones*, Ld. 1918.

CAPUT IV

DE EPISTULIS PASTORALIBUS

§ 18. De epistularum pastoralium argumento

491. Epistulae, quae inter Paulinas peculiarem locum obtinent et ad duos ex primariis adiutoribus Apostoli scriptae sunt, ex s. 18 exeunte appellatae sunt *pastorales*, quia tradunt praecepta et regulas muneris pastoralis exercendi. Epistulae quamvis inscribantur *Timotheo* et *Tito*, tamen propter argumentum non tam utilitatem singulorum quam ecclesiarum ordinem et profectum respiciunt, quare ab illa epistula distinguuntur, quae ad Philemonem in re privata a Paulo scripta est.

1 Nullus ex S. Pauli discipulis Apostolo tam carus fuisse videtur quam *Timotheus* Lystrensis, qui in primo itinere apostolico ad fidem adductus, in secundo a discipulis Apostolo commendatus in socium itineris et apostolatus assumptus est, in quo munere apud magistrum usque ad ultimos annos fideliter perseveravit. Pater erat gentilis, mater iudaea, *Eunice* nomine, avia *Lois* (2 T 1, 5). Paulus Timotheum propter Iudaeos circumcidit, A 16, 1ss. Cum Apostolus ex Macedonia pulsus de statu ecclesiarum sollicitus esset, Timotheum Thessalonicen misit ; quam laetos nuntios Paulo attulerit, ex 1 Th discimus. In epistulis ad hanc ecclesiam scriptis Timothei nomen cum Silvano et Paulo legimus, in 2 C 1, 19 eadem nomina commemorat mentionem faciens primordiorum ecclesiae. In tertio itinere cum Paulo Ephesum venit, unde ad Corinthios missus est, 1 C 4,17 ; 16,10s, optime a magistro commendatus. Ante Pauli discessum ex Asia iterum in Macedoniam dirigitur, A 19, 22, eius nomen scriptum est in 2 C. Paulum sequitur in Palaestinam, unde cum eo videtur instituisse iter romanum. In epistularum inscriptionibus ad Ph C Phm nomen recurrit, et in epistula ad Ph tantis laudibus celebratur, ut appareat, quantopere Paulus eius fidelitate et zelo confisus sit, Ph 2, 19-23. *Eusebius* (HE III 4, 4) tradens Timotheum a Paulo constitutum esse Ephesiorum episcopum, non aliunde quam ex 1 T hoc hausit. Ex Hb 13, 23 non certo concluditur Timotheum cum Apostolo captivum fuisse et iam absolutum esse, cum

verbum ἀπολελυμένος ex contextu rectius intellegatur de profectione Timothei ad Apostolum, qui eum exspectat, et cum advenerit, cum eo profecturus est.

2. Pauciora de *Tito* altero Apostoli discipulo tradita sunt. In Actis Apostolorum ne nomen quidem traditum est. Ex G 2, 1 scimus eum fuisse gentilem, Apostoli comitem in itinere hierosolymitano, neque coactum esse suscipere circumcisionem. Ex eo quod Paulus eum appellat « filium sincerum » Tt 1, 4, aliqui concludunt eum ab Apostolo ad fidem conversum esse. At conclusio non est certa. In tertio itinere cum Paulo fuit, ab eo versus finem praedicationis Ephesinae in Achaiam missus, quam missionem optimo cum successu perfecit, 2 C 7, 6-15 ; ita ut Paulus ei negotium collectae absolvendae commiserit. Titus Corinthi magistrum suum imitatus est : « Nonne eodem spiritu ambulavimus, nonne iisdem vestigiis ? » 2 C 12, 18. In eadem epistula appellatur « socius meus et in vos adiutor » 8, 23. In 2 T 4, 10 sermo est de profectione in Dalmatiam. Sed quo auctore eam instituerit, non insinuatur. Quae *Eusebius* (HE III 4, 4) narrat, ex Paulo derivantur. Neque aliae traditiones fide dignae ad nos pervenerunt de ultimis vitae fatis. Plerumque censent eum in Creta mortem obiisse. Sed de hac re minime constat, cum secundum 2 T 4, 10, quae epistula post Tt scripta est, Titus non iam in insula versetur et in epistula ad ipsum missa (Tt 3, 12) iubeatur ad Apostolum Nicopolim venire. Neque traditum est eum in Cretam rediisse.

492. Quae de ultimis Apostoli itineribus ex nostris epistulis erui possunt, breviter tetigimus antea (n. 436, 2).

1. *Primam ad Timotheum* epistulam Paulus scripsit e Macedonia, postquam Ephesi versatus est cum Timotheo, 1 T 1, 3, sperans se brevi ad discipulum rediturum esse 3, 14 ; idem insinuat 4, 13. Haec autem non posse referri ad tertium iter evangelicum Apostoli, cum ex Asia in Macedoniam proficisceretur (cf A 20, 1), quod *Theodoreto* et aliis ex antiquis interpretibus placuit, patet. Tum enim Timotheum antea in Macedoniam praemiserat, A 19, 22.

2. Unde epistula ad *Titum* scripta sit, non dicitur in ipsa epistula. Subscriptio codicum, eam missam esse a Nicopoli Macedoniae, non est fide digna et videtur excludi ex modo loquendi 3, 12, secundum quem nondum ibi est. Sed videtur mox eo profecturus esse, cum Titus iubeatur « festinare » ad Paulum. Praedicatio Evangelii in Creta insula, quae in epistula supponitur, non fuit in secundo magno Apostoli itinere, cum eo tempore Apollos (Tt 3, 13), nondum fuerit cum Paulo et Paulus tum minime cogitaverit hiemare Nicopoli. At ne in tertio quidem itinere condiciones eae fuerunt, ut congruant iis, quae in ep. ad Titum supponuntur. Tum enim Paulus in Achaia hiemavit, A 20, 2. Quare sententia quorundam veterum, inter quos Hieron. est, epistulam scriptam esse in secundo itinere, est omittenda. Paulum autem non praedicasse Ev, cum iter in Italiam ex

captivitate Palaestinensi instituerat (cf A 27, 7-13), manifestum est. Proinde haec quoque epistula scripta est post primam captivitatem romanam.

3. *Altera ad Timotheum* epistula scripta est ex captivitate, 1, 8. 12 ; 2,8s Apostolus mortem propinquam cogitat, 4, 6ss. 18. Cum Timotheus iubeatur cito ad Paulum venire (4,9), Apostolus finem causae suae et vitae aliquomodo differri censet. Quae vero epistulam praecesserint, ex Pauli verbis tantum obscure insinuantur. Apostolus brevi antequam Romam profectus est, videtur iterum in Asiam rediisse, 2 T 1, 15. Quae narrantur de sociis, Tychico 4, 12, de Erasto, Trophimo, 4, 20, qui infirmus a Paulo Mileti relictus est, argumento sunt eum non longe antea in Asia et Achaia fuisse. Idem confirmatur 4, 13, ubi Timotheus iubetur penulam afferre, quam Apostolus Troade reliquit. Haec enim respicere facta, quae praecedunt 1 T, omnino incredibile est, cum multo plus quam integer annus inter profectionem Pauli ex Asia et 2 T fluxerit.

Ex 4, 19 autem, ubi salutantur Aquila et Prisca et Onesiphori domus, sequitur Timotheum versari Ephesi, cf 1,18. Nomina vero Pudens, Linus, Claudia (4, 21) docent epistulam scriptam esse Roma.

Quae de Erasto et Trophimo dicuntur (4, 20), non addita esse videntur, ut Timotheus de eorum gestis doceatur, sed potius ut discat, cur Paulus solus sit, et qua ex causa Trophimum non secum duxerit. Timotheus nunc non primo didicit Trophimum Mileti remansisse, quae urbs Epheso vicina est.

493. *De argumento et dispositione epistulae primae ad Timotheum.*

Prima epistula est secundum S. Thomam « pastoralis regula, qua Apostolus suum discipulum instruit de omnibus quae spectant ad regimen praelatorum ».

Exordium 1, 1-2 continet inscriptionem.

1. Apostolus docet se Timotheum Ephesi reliquisse, ut contra falsos doctores veram doctrinam tueatur, cuius finis est caritas pura et fides non ficta secundum Ev, cuius praeco ipse ex misericordia Dei factus est 1, 3-20.

2. Praecepta de oratione, de viris et mulieribus 2, 1-15. Admonitio precandi pro omnibus, ut ad salutem perveniant 2, 1-7, praecipue viri monentur, ut sine ira manus puras elevent 2,8, mulieres ad modestiam oboedientiam hortatur 2, 9-15.

3. De dotibus praepositorum Ecclesiae, episcoporum et diaconorum 3, 1-7. 8-13.

4. Admonitio ad Timotheum, ut tamquam dignus Ecclesiae minister secundum magnum pietatis mysterium falsas doctrinas (fabulas, reprobationem matrimonii et creaturarum Dei) oppugnet, memor vocationis et gratiae acceptae 3, 14-4, 16.

5. Praecepta, quomodo T. se gerat erga singulos status : Seniores,

viduas, presbyteros et ordinandos, quomodo servi se gerant 5, 1-6, 2 (de peccatoribus 5, 24s).

6. Monita ad T. de recta doctrina servanda et sequelis falsae doctrinae et avaritiae, et ad vitam iustitiae agendam in spe adventus Domini 6, 3-16; monita ad divites 6, 17-19. Ultima admonitio *(depositum custodi)*, benedictio 6, 20-21.

494. *Argumentum et dispositio epistulae secundae ad Timotheum.*

Exordium 1, 1-5, post inscriptionem continet gratiarum actionem de fide filii sui et professionem amoris erga eum.

1. Admonitio ad T., ut memor gratiae acceptae in spiritu caritatis et fortitudinis Evangelium profiteatur et Apostolum in vinculis constitutum secundum ipsius exemplum imitetur 1, 6-18, ut alios recte instruat et ipse fortiter agat, memor praemii aeterni et fidelitatis Dei 2, 1-13.

2. Monita particularia, ut spiritu patientiae et caritatis agat contra falsos doctores (resurrectio iam facta, stultae quaestiones), arguat et ad veritatem reducat 2, 14-26. De futuris perversis hominibus praecavet, quorum modum agendi describit 3, 1-9. Ipse tamquam imitator Apostoli et instructus sacris litteris ministerium suum impleat, ut continuet opus Apostoli, qui iam praemium suorum laborum exspectat 3, 10-4, 8.

Epilogus: Timotheum invitat, ut veniat ad se, qui solum Lucam habet secum 4, 9-13. Mentionem facit Alexandri, quem cavere debet 4, 14s. In prima apologia ab hominibus derelictus a Deo confortatus 4, 16-18.

Salutationes, benedictio 4, 19-22.

495. *Argumentum et dispositio epistulae ad Titum.*

1. Apostolus ecclesias in Creta insula ita videtur fundasse, ut fundamento posito earum ulteriorem curam committeret Tito et ipse in Achaiam et Macedoniam abiret. Singulae ecclesiae nondum suos habebant praepositos, quod propter vitia Cretensium publice nota (cf Tt 1,12s, *Epimenidis* oraculum, Polybii hist. 6, 46) et propter Iudaeochristianorum inoboedientiam et vanas doctrinas magni periculi erat. Paulus ipse videtur expertus esse difficultates huius ministerii, fortasse post suum discessum nuntiis a Tito allatis novis denuo (cf 1,5) discipulum instruit et hortatur.

2. *Argumentum* epistulae hoc est :

Exordium, quo Paulus gratiae apostolatus memor Titum salutat 1, 1-4.

1. Causa, cur T. relictus sit : ut statum ecclesiarum perficeret institutis presbyteris, quorum dotes describuntur 1, 5-9. Ratio cur hoc faciendum sit, Cretensium indoles et periculum perversionis fidei per iudaicas doctrinas 1, 10-16.

2. Praecepta et monita *a*) singulis statibus tradenda, senioribus, iuve-

nibus, servis, T. ipse se exhibeat exemplum ; motivum : Christi manifestatio et adventus futurus 2, 1-15.

b) Omnes hortandi ad oboedientiam et amorem et bona opera memores gratiae Dei, 3,1-8. Haereses et haeretici vitandi 3, 9-11.

Epilogus : Mandata, salutationes, benedictio, 3, 12-15.

§ 19. De epistularum pastoralium genuinitate

496. Quaestiones de epistularum genuinitate simul tractamus, quia omnium pastoralium certo idem est auctor, quod ex genere dicendi, ex statu ecclesiae, ex adversariis, qui impugnantur, luculenter probatur. Ratio vero quaestiones de his epistulis fusius tractandi in earum condicionibus sita est.

Quae ab *ESchwartz* (Die pseudo-apostolischen Kirchenordnungen, Str. 1910) et *HHMayer* (Ueber die Past., Gtt. 1913, 20-26) contra auctoris identitatem proferuntur, nullam habent probabilitatem.

Traditionis testimonia de origine Paulina epistularum praemittimus, ut de fundamento historico inquisitionis constet, et quid antiquitas christiana de epistularum auctore senserit, appareat.

1. Scriptores saeculi tertii ineuntis omnes non solum epistularum exsistentiam testantur, sed eas etiam Paulo apostolo adscribunt, quod per se patet, cum omnium inscriptiones Apostoli nomen exhibeant et in ipso corpore Paulinam indolem constanter prae se ferant. Quare ii quoque scriptores, qui auctoris nomen non tradunt, tamquam testes originis Paulinae afferri possunt, cum epistulas Pauli nomine inscriptas non allegarent, nisi ipsis constaret de veritate huius inscriptionis et traditionis.

S. Cyprianus, *Tertullianus*, *Origenes*, *Clemens Alex.* epistulas in suo canone habent. Versiones antiquae, syriacae, copticae, vetus latina, armeniaca, gothica epistulas continent. *S. Ephraem* eas in suo commentario secundum textum veterem syriacum interpretatus est.

S. Irenaeus epistulas saepe allegat, cf adv. haer. I praef. 1 T 1, 4 (Apostolus ait) ; 1 T 6, 20, II 14, 7 (bene Paulus ait) ; 2 T 4, 12, III 3, 2 (huius Lini Paulus in his quae sunt ad Timepistulis meminit) ; Tt 3, 10, III 3, 4 (quemadmodum et Paulus ait). Eodem tempore *Canon Murat.* (60-63) epistulas enumerat.

Auctores alii epistulas allegant nomen Pauli non referentes. *Athenagoras* aperte allegat 1 T (Suppl. 13, 2 ; 16, 2 ; 37,1) ; *Iustinus M.* plures allusiones habet, Dial. 7, 8 ; 47, 17 ; 118, 7.

2. Summi momenti est testimonium *S.Polycarpi* (c. a. 107), qui allegat 1 T 6, 7 et in eodem contextu alludit ad 6, 10 (ad Phil. 4, 1). Praeterea plures allusiones, 8, 1 cf 1 T 1, 1 ; 12, 3 cf 1 T 2, 1s ; 5, 2 cf 1 T 3, 8 ; 4, 3 cf 1 T 5, 5 ; 5, 2 cf 2 T 2, 12 ; 11, 4 cf 2 T 2, 25 ; 9, 2 cf 2 T 4, 10.

Apud *Ignatium M.* solae allusiones, ad Eph. 14, 1 cf 1 T 1, 5 ; ad Polycarp. 4, 3 cf 1 T 6, 2 ; ad Smyrn. 10, 2 cf 2 T 1, 16.

Epistula *Barnabae* has allusiones habet 1, 4 cf Tt 1, 2 ; 3, 7 ; 5, 6 cf 1T 3, 16 ; 5, 6 cf 2 T 1, 10 ; 7, 12 cf 2 T 4, 1.

Clemens Rom. aliquoties ita loquitur, ut videatur dependere a nostris epistulis, cf 29, 1 et 1 T 2, 8 ; 45, 7 cf 2 T 1, 3 ; 2, 7 cf 2 T 2, 21 ; 3, 17 ; Tt 3, 1 ; 61, 2 cf 1 T 1, 17 ; 1, 3 cf Tt 2, 4s.

Holtzmann has allusiones agnoscit, sed censet epistulas posse dependere a Clemente. Quod omnino impossibile est, cum decem annis post Clementem epistulae a Polycarpo tamquam Paulinae agnoscantur.

3. Epistulae ergo eisdem antiquissimis testibus roborantur, quibus aliae Paulinae ; et testimoniis manifestis contradicunt, qui asserunt auctoritatem externam epistulis minus favere quam aliis NT[1] libris. Ecclesiae enim Syriae, Asiae, Italiae unanimes sunt in agnoscendis epistulis, viri summae auctoritatis, qui cum Apostolis et eorum immediatis discipulis conversati sunt et traditionem apostolicam tanti faciunt, suis testimoniis fundamentum firmissimum ponunt. *Irenaei* quoque testimonium propter auctoris cum ecclesia Asiae relationem et cum Polycarpo necessitudinem summi momenti est ; Decretum Commissionis Bibl. die 12 Iunii 1913, n. 1.

497. *Impugnatores genuinitatis.* 1. In antiquitate epistulae reprobatae sunt a *Marcione*, teste *Tertulliano* (c. Marc. 5, 21), qui dicit « miror quod... ad Tim duas et unam ad Tt de ecclesiastico statu compositas recusaverit. Affectavit, opinor, etiam numerum epistularum interpolare ».

Ex *Irenaeo* aliquomodo cognoscimus, qua de causa Marcion epistulas repudiaverit. Scribit enim : « similiter autem et apostoli Pauli epistulas abscidit, auferens quaecunque manifeste dicta sunt ab Apostolo de eo Deo qui mundum fecit, quoniam hic pater Domini nostri Iesu Christi, et quaecunque ex propheticis memorans Apostolus docuit » I 27, 2. In epistulis autem pastoralibus non pauca leguntur, quae cum Marcionis dogmate coniungi non possunt, cf 1 T 1, 8ss de lege ; 1, 18 ; 2, 5s ; 4, 1-5 ; 2 T 1, 5 ; 2, 8 ; 3, 14ss ; Tt 1, 15 et alia.

Praeter Marcionem *Tatianus* secundum *Hieronymi* testimonium inter adversarios numerandus est, qui 1-2 T reiecit ; in Tt praef. (ML 26, 556).

Cum Tatianus fuerit encratita, ratio reprobationis in doctrina de matrimonio et cibis cerni potest, cf 1 T 2, 15 ; 4, 3 ; 5, 14.

2. Sequentibus saeculis epistulae universaliter erant agnitae, donec ineunte saec. 19 *Schleiermacher* 1 T spuriam esse declaravit (Ueber den sog. 1. Br. des P. an T, 1807), quem alii secuti sunt. Mox autem *Eichhorn* (1812) omnes epistulas impugnavit, postea *Baur*, *Credner*, *Schwegler*, *Hilgenfeld*, *HJHoltzmann* (Die Pastoralbriefe, Lp. 1880), quem posteriores in argumentationibus sequuntur, *Wendland*, *Jülicher*, *HHMayer*, alii;

Ex his *Credner*, recenter *Harnack*, *vonSoden*, *Clemen*, *MDibelius*, *Knopf*, alii *fragmenta* quaedam genuina agnoscunt, quae postea aucta et amplificata sint. Leviorem retractationem supponit *Feine* ; *BWeiss* dubius haeret censens argumenta pro genuinitate stricta afferri non posse, sed ex negatione maiores oriri difficultates (Einltg³, 1897, 306s, Weiss-Meyer⁷, 1902, 62-71). *Deissmann* (Paulus², 1925, 12s. 59) magis ad agnoscendam genuinitatem accedit. Ex acatholicis *Zahn*, *Wohlenberg*, *Ramsay* absolutam genuinitatem defendunt.

498. *Rationes* autem, propter quas epistulae Apostoli esse negantur, hae fere sunt : *a*) Non potest temporis et adiunctorum condicio designari, qua epistulae scriptae esse possint. *b*) Lingua et genus dicendi tantopere a reliquis Apostoli epistulis differunt, ut unus auctor omnium esse non possit. *c*) Paulus ita de se loquitur, ut fictio manifesta sit *d*) Ecclesiae status in epistuliis descriptus non convenit aetati Paulinae. *e*) Haeretici impugnati fuerunt saeculo secundo aut exeunte primo.

De *condicionibus vitae* Apostoli et testimoniis certis captivitatis secundae antea diximus (n. 436). Concedimus epistulas pastorales non esse scriptas eo tempore, quod nobis in libro Actuum describitur. Sed historice dubium non est de nova periodo apostolatus Pauli. Neque verum est hanc periodum posse tantum probari supposita genuinitate epistularum pastoralium. Ceterum si ex testimoniis nostris constat epistulas esse genuinas, ex ipsis necessario sequitur Pauli vitam non finiisse prima illa captivitate romana. Quibus autem argumentis probetur Paulum non esse liberatum et muneri suo redditum non apparet, nisi quis a priori statuat de hoc constare neque dubium permitti. Decretum 12 Iunii 1913, n. IV;n.580.

499. *De lingua et genere dicendi.* Nominem fugit modum loquendi in omnibus epistulis pastoralibus esse simillimum et aliquomodo distingui a reliquis Apostoli epistulis. Alii ex impugnatoribus genuinitatis argumentum ex lingua petitum tanti faciunt, ut propter hoc solum traditionem reiciant, alii maxime recentissimi illud solum non habent ut efficax neque ut primarium. Tria autem praecipue notantur, copia verborum, quae in solis Pastoralibus leguntur ; termini a Paulo in aliis epistulis frequenter adhibiti, in Pastoralibus praetermissi ; ipsum genus dicendi.

Ut autem de hac re iudicium ferri possit, praemittimus omnes Pastorales simul sumptas non habere eundem ambitum ac ep. 2 C. Enumeratio verborum a pluribus facta est. *Herm. von Soden* (Pastoralbriefe², 177s) numerat in epistulis 897 verba, ex quibus 304 non habentur in aliis Paulinis, 171 non inveniuntur in aliis NT¹ libris. Ex 593 verbis, quae Pastoralibus cum Paulinis reliquis sunt communia, tantum 39 Paulo soli in NT° propria sunt. Alii vero alio

modo numerant rectius. *Grimm-Thayer*, Lexicon[3], 706ss, numerat 198 verba ab aliis Paulinis aliena. 1 T habet 82 unice propria, 2 T 53 ; Tt 33. Omnia 168. Accedunt 28 verba pluribus Pastoralibus iisque solis propria. Omnia ergo 196. Secundum *Church Quart-Rev.* (1907, I 344-358) ex his 13 omittenda sunt, cf Expos. Tim. 18 [1906-07] 245. Ex reliquis 73 leguntur in VA VT[1]. Eorum igitur notitia apud Paulum facile supponitur. Proinde haec 13 et 73 (86) verba omitti possunt, saltem eorum usus non est urgendus contra Paulinam originem epistularum. Manent ergo in tribus epistulis fere 100 verba propria, cf *Prat*, Theologie de S. Paul I[10], 548ss.

1. *Copia verborum* Pastoralibus propria. *a*) Constat enim multa verba occurrere, quae in aliis Paulinis desiderantur.

Si alias Paulinas comparamus, invenimus proportiones fere easdem. R habet fere 113, 1 C 110, 2 C 99, G 34, E 43, Ph 41, C 38, 1 Th 23, 2 Th 11, Phm 7. Nihil igitur ex *hapaxlegomenis* probari potest.

b) Si vero ad singula quaedam illustrationis gratia descendimus, apparebit multa facillime consideratis adiunctis explicari. Notamus autem posse multo plura exempla eiusdem rationis proponi.

Voces οἶκος, οἰκία et eorum composita et derivata dicuntur in Pastoralibus saepius occurrere quam in aliis. Res ita se habet : in solis Past. leguntur οἰκοδεσποτέω 1 T 5, 14, et οἰκοῦργος Tt 2, 5. Alia omnia in aliis Paulinis usurpantur, et praeterea οἰκοδομή, οἰκοδομέω. Sola autem materialis enumeratio nihil omnino probat, sed saepissime fallit, quod postea demonstrabimus.

Hic solum commemoramus vocem οἶκος in paucis versibus 1 T 3, 4-15 quater legi. Praeterea 1 T 4, 5 ; 2 T bis 1, 16 ; 4, 19 (ὁ Ὀνησιφόρου οἶκος). Quis hanc locutionem Paulo abiudicabit, cf R 16, 5 ; 1 C 1, 16 ; 16, 19 ; C 4, 15 ; Phm 2 ? Tandem vox semel Tt 1, 11. Haec sunt omnia. Re igitur examinata constat 1 T in *eodem* capite vocem *quater* legi, deinde semel in eadem epistula in alio contextu et semel Tt, duo autem loci 2 T omittendi sunt, quia *quinquies* eadem locutio in aliis Paulinis adhibetur. Manifestum est tali enumeratione nihil omnino probari, nec satis miramur eiusmodi exempla in nostra quaestione omnino afferri.

c) Desiderantur apud Paulum vox εὐσέβεια et similes, in Past. saepe leguntur. Εὐσέβεια 1 T *octies* legitur, semel 2 T et Tt ; εὐσεβῶς 2 T 3, 12 ; Tt 2, 12 ; εὐσεβεῖν 1 T 5, 4 ; θεοσέβεια 1 T 2, 10 ; ἀσέβεια 2 T 2, 16 ; Tt 2, 12 ; R 1, 18 ; 11, 26 ; ἀσεβής 1 T 1, 9 ; R 4, 5 ; 5, 6. Ultimae voces igitur Paulinae sunt, de aliis posset fortasse dici eas esse proprias 1 T, aliis verbis fuisse rationem aliquam particularem, propter quam Paulus hac voce saepius in 1 T utatur. Praeterea afferri solent δεσποτης, non κύριος ; σωτήρ de Deo et Christo decies ; ὠφέλιμος quater, προσέχω quinquies ; παραιτέομαι quater ; βέβηλος ter 1 T, semel 2 T ; ἐπιφάνεια in omnibus ep., apud Paulum solum 2 Th 2, 8 ; ἐπιφαίνω Tt 2, 1. 11 ; 3, 4 ; διδασκαλία et similia 1 T octies ; 2 T ter ; Tt quater ; διδακτικός 1 T 3, 2 ; 2 T 2, 24 ; ἑτεροδιδασκαλέω 1 T 1, 3 ; 6, 3 ; καλοδιδάσκαλος Tt 2, 3 ; νομοδιδάσκαλος 1 T 1, 7. Sed διδαχή, διδάσκαλος, διδάσκω apud Paulum non

raro. Ceterum haec verba in nostris epistulis saepius inveniri ex ipsa materia intellegitur, cum agatur de doctrina tuenda. Unde etiam adiectiva καλή, ὑγιής, ὑγιαίνουσα facile scribenti occurebant.

In antiquioribus quoque epistulis Paulus saepe assumpsit locutiones et terminos adversariorum vel eorum qui ei quaestiones proposuerant. Quare usus frequentior ex ipsis condicionibus ortus est.

d) Si vero *formulae* quaedam loquendi, ut πιστὸς ὁ λόγος 1 T 1, 15; 3, 1 ; 4, 9 ; 2 T 2, 11 ; Tt 3, 8, et alia in Past. occurrunt, quae alibi non leguntur, hoc non est alienum a modo agendi communi hominum, qui aliquo tempore formulas loquendi adhibent antea non usurpatas.

Verba composita fortasse in epistulis nostris frequentius adhibentur quam in aliis Paulinis. Sed quaedam ex condicionibus explicantur, multa enim occurrunt in catalogis peccatorum aut in dotibus, quae in munere pastorali requiruntur, 1 T 1, 9s ; 2, 8-15 ; 3, 2-6 ; 4, 1s ; 5, 3-16 ; 6, 3ss ; 2 T 2, 14-18. 22-26 ; 3, 2-6 ; Tt 1, 5-11 ; 2, 1-10 ; 3, 3. Quod peccatorum catalogos attinet, notum est eos apud Iudaeos saepius occurrere. Apostolus tales enumerationes ipse instituit, cf R 1, 29-32, ubi voces permultae habentur apud Paulum alibi non usitatae, cf 1 C 6, 9s ; G 5, 19ss. Deinde notamus in eiusmodi enumerationibus saepe unam vocem aliam similem suggerere, quae in alio contextu non scripta esset. Alia sunt v. g. εὔκαιρος, ἄκαιρος, utrumque 2 T 4, 2, non apud Paulum ; sed quis non videt, hoc exemplum esse quam maxime ineptum. Sed si quis ei insisteret, sufficit provocare ad 1 C 16, 12 εὐκαιρέω, et Ph 4, 10 ἀκαιρέω, certe utrumque verbum minus usitatum est quam adiectiva.

Numerus tandem compositorum etiam eorum, quae bis composita sunt, in Paulinis satis magnus est, e. g. ἀκατάληπτος, ἀκαταστασία, ἀναπολόγητος, ἀμετανόητος, ἀμεταμέλητος, ἀνεκδιήγητος, ἀνεξιχνίαστος, ἀποκαραδοκία, ἀποκαταλλάσσω, ἀνταναπληρόω, ἀνταποδίδωμι, ἀνταπόδομα, alia.

2. Maxime vero urgent, quod in Past. permultae voces « Paulinae », id est Apostolo familiares, numquam aut rarissime usurpantur. Praeter alia commemorant *particulas*, quarum usus apud scriptores solet fere constans esse.

a) In numero vocum Paulinarum, quae in Past. desiderantur, habent praecipue περισσός et affines, et καυχᾶσθαι cum similibus. Quare ut exemplum proponamus utrumque examinabimus.

Adscribimus omnes voces, prout in singulis epistulis Paulinis, Hb non excepta, leguntur.

	περισσεύειν	περισσεία	περίσσευμα	περισσός	περισσότερος	
R	3	1	0	1	0	= 5
1 C	3	0	0	0	4	= 7
2 C	10	2	2	1	9	= 24
G	0	0	0	0	1	= 1
E	1	0	0	1	0	= 2
Ph	5	0	0	0	1	= 6

	περισσεύειν	περίσσευμα	περισσός	περισσότερος	
C	1 0	0	0	0	= 1
1 Th	3	0	0	2	1 = 6
2 Th	0	0	0	0	0 = 0
Phm	0	0	0	0	0 = 0
Hb	0	0	0	4	= 4

	καυχᾶσθαι	καύχημα	καύχησις	κατακαυχᾶσθαι	ἐγκαυχᾶσθαι	
R	5	1	2	2	0	= 10
1 C	5	3	1	0	0	= 9
2 C	19	3	6	0	0	= 28
G	2	1	0	0	0	= 3
E	1	0	0	0	0	= 1
Ph	1	2	0	0	0	= 3
C	0	0	0	0	0	= 0
1 Th	0	0	1	0	0	= 1
2 Th	0	0	0	0	1	= 1
Phm	0	0	0	0	0	= 0
Hb	0	1	0	0	0	= 1

Si utramque enumerationem comparamus, elucet quantopere singulae epistulae inter se differant neque ulla ambitus proportio servetur. Sufficit perpendere numeros trium epistularum ad R 1 et 2 C, aut G Ph 1 Th, de quarum genuinitate hodie nemo dubitat, qui omnino Paulinas agnoscit. Manifestum autem est, 2 C omnes alias longe superare in utraque serie, quamvis inter se non cohaereant. Qui ergo asserunt has voces esse Paulo familiares, rectius dicerent eas *frequentes* esse in 2 C et in aliis *aliquoties* legi, in quibusdam *numquam*. Multo magis autem considerare oportet, in 2 C vocem καυχᾶσθαι legi decies et sexies in solis c. 10-12, vocem περισσεύειν in eadem epistula in c. 8-9. Perpendendum est proinde *argumentum*, de quo Paulus scribit. Numerus solus igitur nihil probat, neque respondet methodo scientificae solos numeros exscribere, non condiciones respicere. Quare argumenta, quae superstruuntur eiusmodi observationibus, nullius valoris sunt.

b) Similia dicenda sunt de *particularum* usu. Videamus paucas, ἄρα, εἰ, μέν, οὖν, ὅπως, μάλιστα, ὅταν, ὅτι, διότι.

Ἄρα in Past. non occurrit. Quoties autem in singulis epistulis legatur, sequentes numeri indicant R 11 ; 1 C 5 ; 2 C 3 ; G 7 ; E 1 ; 1 Th 1, 2 Th 1. In Ph C Phm numquam. Ratio obvia est. Ubi *argumentationes* ut R et G, frequens est usus, alibi rarus aut nullus.

Διό in omnibus Paulinis praeter C, 2 Th. Sed magna diversitas, 2 C 9 ; 1 C 2 ; G 1 ; R 6 ; E 5 ; Ph 1 ; Phm 1 ; 1 Th 3 ; Pastor. numquam.

Διότι R 4 ; 1 C 1 ; G 1 ; Ph 1 ; 1 Th3, numquam 2 C, E, C, 2 Th. Ergo *semel* in omnibus epistulis captivitatis simul sumptis, multo rarius ergo in epistulis posterioribus.

Εἰ legitur 1 T 5 ; 2 T 4 ; Tt O. In prioribus epistulis saepe : R 37 1 C 38 ; 2 C 31 ; G 18 ; in posterioribus minus frequenter, E 2 ; Ph 4 ; C 3 ;

εἴ τις 1 T 7 ; 2 T O ; Tt 1 ; R 3 ; 1 C 16 ; 2 C 8 ; Ph 7 ; G 2 ; E 1 ; C O ; εἴτε R 4 ; 1 C 16 ; 2 C 11 ; E 1, Ph 3 ; C 3 ; 1 Th 1 ; 2 Th 1 ; G O ; Phm O ; Pastor. O.

Ὅπως Pastor. O ; Ph O ; E O ; C O ; Phm 1 ; R 3 ; 1 C 1 ; 2 C 2 ; G 1. Ergo quod pluries observatum est, etiam hic obtinet, in posterioribus epistulis quaedam voces antea saepius occurrentes, postea deficiunt.

Ὅταν, in qua voce perspicere licet, quomodo usus in singulis epistulis differat, 1 T 1 ; 2 T O ; Tt 1 ; R 2 ; 1 C 12 ; 2 C 3 ; C 2 ; 1 Th 1 ; 2 Th 1 ; G O ; E O ; Ph O ; Phm O.

οὖν 1 T 4 ; 2 T 5 ; Tt O ; R 51 ; 1 C 20 ; 2 C 10 ; G 6 ; E 7 ; Ph 6 ; C 6 ; 1 Th 2 ; 2 Th 1 ; Phm 1.

Μέν 1 T O ; 2 T 3 ; Tt 1 ; R 21 ; 1 C 22 ; 2 C 9 ; G 4 ; E 1 ; Ph 7 ; C 1 ; 1 Th 1 ; 2 Th O ; Phm O. Etiam hic posteriores epistulae particulam rarius adhibent, excepta Ph, sed 1-2 Th generatim in usu particularum differunt a magnis epistulis. Cum Epistula ad Col plerumque non solum in usu verborum, sed etiam particularum cum E concordet, videtur concludi posse Paulum certis temporibus et condicionibus in usu particularum et vocum quarundam se aliter habuisse. Si autem usus particularum argumentum est eiusdem aut diversi auctoris, sequitur E et C etiam ex hac parte eidem auctori tribui posse ; ubi autem inter se non conveniunt, E magis ad maiores et antiquiores epistulas accedit, ut origo Paulina epistulae eo magis commendetur.

c) Quomodo secundum argumentum epistularum locutiones quaedam adhibeantur aut omittantur, videmus ex R, ubi μὴ γένοιτο *decies* legitur, idem in G bis, semel 1 C, in aliis epistulis non occurrit.

Conclusio vero ex his, quae disputavimus, omnino certa est, pro materia et modo tractandi, pro temporum diversitate Paulus alio modo loquitur. Quare si in Pastoralibus quaedam differentiae observantur, quas adesse non negamus, magna ex parte ex aliis condicionibus tum externis tum internis explicantur. Praeterea ex solo numero verborum nihil effici posse exempla allata abunde demonstrant.

3. *Lingua et genus dicendi* tandem, si in Pastoralibus magis plana sunt, ex Apostoli provectiore aetate, ex materia et personis quibus scribit, consequitur. Non opus erat longioribus argumentis, sed admonitionibus et mandatis. Lingua Pastoralium est magis polita quam aliarum, etiam epistularum captivitatis, ita ut habeatur aliquis progressus ab antiquioribus epistulis ad C, E, Ph, Phm, et ab his ad 1-2 T, Tt. Inveniuntur in Pastor. aliqui latinismi δι' ἣν αἰτίαν 2 T 1, 6. 12 ; Tt 1, 13. χάριν ἔχειν 1 T 1, 12 ; πρόκριμα 1 T 5, 21 ; ἀδηλότης 1 T 6, 17. Similia apud alios scriptores NT[1] quoque inveniuntur, et multa eiusmodi in linguam graecam recepta erant.

Non contendimus omnia, quae de genere dicendi epistularum pastoralium observantur, positive a nobis explicari, sed constat argumenta ex lingua petita alio prorsus modo proponenda esse, ut

ei vis probandi concedi possit. Ex iis autem, quae ex aliis epistulis attulimus, *positive* demonstratur argumentum, quo genuinitas epistularum pastoralium reprobetur, construi *non posse*. Decretum 12 lunii 1913, n. III.

500. *De Pauli persona, de Timotheo et Tito.*

Quae Paulus de se dicit, non videntur congruere condicionibus epistularum, quae scriptae supponuntur ad discipulos et adiutores Apostoli. Cur enim Paulus toties se vocat apostolum, cur suam vocationem, suam auctoritatem coram fidelissimis discipulis inculcat ? 1 T 1, 1. 11s ; 2 T 1, 1.11 ; 3, 10s ; Tt 1, 1ss. Sermo infertur de vita praeterita, cum persecutor esset, 1 T 1, 13-16 ; de ignorantia, causa infidelitatis, de fide et sincera conscientia, 2 T 1, 3. Haec omnia non apte videntur scripta esse.

Si Paulus de suo apostolatu loquitur, movetur gratitudine de beneficio vocationis divinae et misericordiae, quae coram amico et discipulo libenti animo agnoscitur ; deinde suis verbis revocat suam auctoritatem, cum mandata gravissima daturus sit, ut eo firmius memoriae mandentur. De sua vita praeterita autem in aliis quoque epistulis loquitur, quamquam lectores de omnibus edocti sunt, cf G 1, 13s. 23 ; 1 C 15, 8ss. De ignorantia, causa incredulitatis cf R 10, 1ss ; 11, 1s. 23-31, ubi fratres suos secundum carnem excusat. Sinceram conscientiam in illis quoque et zelum pro Deo agnoscit, etsi negat eum esse secundum scientiam, R 10, 1ss ; G 1, 13s ; Ph 3, 4ss. Timothei autem et familiae eius fidem potest eadem ratione laudare, ut in Evv laudatur fides Israelitarum aut Hb 11 laudantur tot fidei exempla, cf G 3, 6ss ; R 4, 3. 16-22.

Optime vero convenit, quod Paulus 2 T 3, 10ss commemorans persecutiones suas enumerat, quas in prima expeditione expertus est (A 13s). Timotheus enim regionem illam patriam habet et eo tempore ad fidem conversus esse videtur.

Timotheus et Titus secundum epistulas nostras constituti sunt pastores et doctores ecclesiarum Ephesi et in Creta, at non ut ibi figerent sedem stabilem, uterque enim iubetur ad Paulum venire, Tt 3, 12 ; 2 T 4, 9. 21. Modus autem quo Apostolus cum suis discipulis agit, quo eos exhortatur, alloquitur, adversariis videtur indicium fictionis esse. Appellatio τέκνον 1 T 1, 2. 18 ; 2 T 1, 2 ; 2, 1 ; Tt 1, 4, nihil habet, quo offendamur, cum de iis usitata sit, qui a Paulo ad fidem conversi sunt, 1 C 4, 14 ; 2 C 6, 13 ; Phm 10. De Timotheo praeterea alio sensu a Paulo dicitur 1 C 4, 17 ; Ph 2, 22 de filiali oboedientia et reverentia. Hanc vero appellationem ab Apostolo etiam post plures annos adhiberi nemo mirabitur. Si autem Timotheus dicitur esse iuvenis (σου τῆς νεότητος) 1 T 4, 11, hoc psychologice nullam creat difficultatem. Nam Timotheus iuvenis a Paulo assumptus est, et relativa differentia aetatis manet; potissimum solet inter eos homines

manere, qui habent relationes patris ad filium aut magistri ad discipulum. Sed obiective quoque haec appellatio conveniens erat, cum Timotheus eo tempore nondum 40 annos numerasse videatur. Praeterea indolis fortasse timidioris fuit, cf 1 C 16, 10. Unde etiam admonitiones frequentiores et graviores in epistulis, 1 T 1, 4-7. 18 ; 4, 6ss ; 5, 21 ; 6, 11-14 ; 2 T 1, 7s ; 2, 1. 3. 7. 14ss. 22ss ; 3, 14 ; 4, 2. 5.

501. Argumenta principalia contra genuinitatem Pastoralium desumuntur ex doctrina, statu Ecclesiae et erroribus impugnatis.

Qui cum Harnack, Mayer, aliis epistulas primitivas, postea amplificatas supponunt, interpolationes et additiones non paucas statuunt. *Harnack* propter verba ἀντιθέσεις τῆς ψευδονύμου γνώσεως putaverat, 1 T 6,20s contra Antitheses Marcionis scriptum esse, sed hanc sententiam non iam sustinet (Marcion², 1924, 3s). Alii, *Corssen* (ZNW 4 [1903] 22-47), *Mayer* videntur relationem ad Acta Pauli et Theclae supponere. Haec esse inepta manifestum est.

Sed non minus ineptae sunt aliorum obiectiones et argumenta, quibus ostendere conantur epistulas non esse scriptas ante saeculum secundum. Reiciunt quidem sententiam scholae Tubingensis et similes, secundum quam fere omnia documenta NT¹ scripta sunt saeculo secundo, et agnoscunt religionem christianam saeculo primo tempore Pauli fuisse evolutam. Nihilominus in singulis quaestionibus diiudicandis saepe ita haerent, ac si placitis scholae Tubingensis omnino fidem adhiberent. Praeterea cum ex testimoniis externis invictis constet Pastorales ante finem saeculi primi exstitisse, omnia argumenta interna, quibus contrarium probare studuerunt, infirma esse evidens est.

502. *De doctrina et statu Ecclesiae secundum Pastorales.*

1. Non minus quam in aliis epistulis Paulus salutem ponit in gratia et misericordia divina, in Christo unico redemptore. Si vox *Soter* in nostris epistulis adhibetur, hoc fortasse repeti potest ex usu Ecclesiae et liturgico, cf 1 T 3, 16. *Fides* est radix iustificationis, 1 T 1, 2. 4s ; 3, 13 ; 2 T 1, 5. 13 ; 3, 15 ; 4, 7 ; Tt 1, 1.4 . Sed fides alio quoque sensu sumitur, ut in prioribus Paulinis, de tota oeconomia salutis aut de summa veritatis revelatae, 1 T 1, 19 ; 4, 1 ; 6, 10. 21 ; 2 T 3, 8 ; Tt 1, 13 ; 2, 2. Quaestiones de *Lege* in Pastoralibus non ita tractantur, ut in prioribus epistulis ; propterea Paulus non contra legem agit, et 1 T 1, 7 legem bonam dicit, ut R 7, 12. 14. In utroque loco agitur de lege, quatenus praecepta moralia continet. De qua Paulus iam R 2, 12s. 25ss loquitur asserens iudicium futurum esse secundum observationem legis. Consequenter Apostolus in Pastoralibus opera bona magnopere inculcat 1 T 5, 10. 25 ; 6, 18 ; 2 T 3, 17 ; Tt 1, 16 ; 2, 7. 12 ; 3, 1. 8. 14. Haec autem monita non solum permultis exemplis ex aliis epistulis comprobantur, sed spectatis condicionibus Pastoralium necessaria erant.

2. In Pastoralibus *doctrīnae sanitas* maxime commendatur, 1 T 1, 3s. 18s ; 4, 6s. 13. 16 ; 5, 17 ; 6, 3. 20 ; 2 T 1, 13s ; 2, 2. 15 ; 3, 10. 14ss ; 4, 2ss ; Tt 1, 9. 13s ; 2, 1ss. 7. Apostoli monita de unitate et veritate doctrinae servanda conveniunt omni ex parte cum iis, quae in ep. ad G, 1 C, Ph, C, E semper docuit. Haec autem monita discipulis ideo inculcantur, quod his incumbit cura invigilandi doctrinae traditae ; et cum Apostolus videat tot pullulare falsarum et vanarum doctrinarum germina, satisfacere sibi non potest in monendis adiutoribus suis, praesertim cum sciat se mox suis fidelibus ereptum iri.

3. *Ecclesiam* Paulus appellat 1 T 3, 15 *domum Dei*, alia imagine quidem quam in epistulis ad E et C, ubi Ecclesia est *corpus Christi*. At imago domus non est nova, cum saepius 1 C et in aliis epistulis (E 2, 20 ; C 2, 7) de ecclesiis particularibus et universali imago aedificii et templi adhibeatur. Cum hac imagine Ecclesiae ut domus Dei cohaeret locutio στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, Ecclesia est quasi arx et turris munitissima, in qua veritas custoditur et contra hostium impetus defenditur. In epistulis ad E et C haec doctrina saltem implicite continetur, cum Ecclesia in eis dicatur corpus Christi, quod in se concludit totam plenitudinem Christi (E 1, 23, cf 3, 10). Si enim Christi plenitudine impleta est et si per Ecclesiam multiplex sapientia Dei in mysterio salutis manifestatur. ipsa illud quam maxime continet et conservat.

4. *Status* Ecclesiae secundum Pastorales magis evolutus esse cernitur quam in antiquioribus epistulis. Neque hoc mirum, cum progrediente tempore necessitas magis urgeret. Notare autem iuverit Paulum in suis epistulis hanc necessitatem propter pericula praesentia etiam magis enuntiare.

In Pastoralibus status *hierarchicus* supponitur vel instituitur. Nominantur *episcopi*, 1 T 3, 1-7 ; Tt 1, 7-8, et dotes quibus instructi esse debent, enumerantur. De *presbyteris* sermo est 1 T 5, 17ss ; Tt 1, 5s, de *diaconis* 1 T 3, 8-13. Presbyteris et episcopis incumbit munus docendi, 1 T 5, 17 ; Tt 1, 9. Haec dicuntur esse signum posterioris temporis.

Sed de nominibus iam antea constat, cf A 20, 17-28, ubi nomen episcopi et presbyteri promiscue adhiberi videtur, sicut Tt 1, 5-9. Ph 1, 1 episcopi et diaconi commemorantur. A 14, 23 in singulis ecclesiis presbyteros constitutos esse iam in primo itinere apostolico traditur. Porro in pluribus epistulis Paulinis indubia indicia ordinum inveniuntur, etiamsi non licet singula munera accurate circumscribere, cf 1 Th 5, 12s ; 1 C 16, 15s ; R 12, 8 ; C 4, 17 (cf *Dieckmann*, De Ecclesia I n. 411-426). Primis quidem temporibus necessitas ordinis hierarchici non tanta erat, cum et apostoli ecclesiis ab ipsis fundatis invigilarent et eas regerent, et propter dona frequentia charismatica doctrinae abunde esset provisum. Nihilominus simul aderant praepositi, quibus cura regendi commissa erat. Si R 16, 1 Phoebe dicitur munus obire diaconiae, multo magis tale munus de viris supponendum est. Ceterum vox diaconus, diaconia in Pastoralibus praeter munus ordinarium significat etiam munus apostolicum praedicandi ut in prioribus Paulinis, cf 1 T 1, 12 ; 4, 6 ; 2 T 4, 5 (11).

Impositio manuum, cum qua confertur gratia, quae resuscitari potest, in aliis epistulis quidem non commemoratur, sed nulla erat occasio eius mentionem faciendi. Suas analogias vero habet in A 6, 6 ; 8, 17. 19 ; 9, 12. 17 ; 13, 3 ; 14, 23. Agi autem de impositione, quae non solum propria est Timotheo (1 T 4, 14 ; 2 T 1, 6), sequitur ex 1 T 5, 22.

Secundum 1 T 5, 3-16 exsistit in ecclesia status *viduarum* cum promissione Deo facta (*prima fides* 5, 12), cum obligationibus et quibusdam iuribus. Vidua eligatur non minus 60 annorum, iuniores nubere iubentur. Haec autem aliquomodo differunt ab iis, quae Paulus decem fere annis antea Corinthiis scripserat, 1 C 7, 8. 25ss. 40. Sed principia alia non statuuntur, sola applicatio humanae inconstantiae magis accommodata est ; cf tamen 1 C 7, 7. 9. 28. 36. Quidam vero ex recentioribus, qui negant post a. fere 60 exstitisse statum viduarum in ecclesia, ipsi interpretantes 1 C 7, 36-38 supponunt statum virginitatis voto firmatum in ecclesia Corinthiorum c. a. 55. De his decretum 12 Iunii 1913, n. III ; n. 580.

503. *De erroribus qui in Pastoralibus impugnantur.*

Cuius indolis sint falsae doctrinae, quas Apostolus in his epistulis impugnat, satis definiri potest. Sed quamvis in omnibus epistulis eadem fere indoles errorum agnoscatur, fortasse differentiae doctrinae adsunt, quod facile supponitur, cum eiusmodi falsae doctrinae ab aliis alio modo proponi soleant.

Communis autem est aliquis Iudaismus 1 T 1, 7 ; volunt enim quidam esse νομοδιδάσκαλοι, quae vox de lege iudaica intellegenda est, quia statim sequitur institutio de lege ; sec. Tt 1, 10 sunt ex circumcisione ; movent quaestiones de lege et propagant fabulas iudaicas, Tt 1, 14 ; 3, 9, eadem videntur supponi 1 T 1, 4 et 2 T 4, 4 ; tradunt genealogias 1 T 1, 4 ; Tt 3, 9, prout scimus eas esse traditas in libris iudaicis apocryphis (Iubilaeorum liber et alii). Profitentur sapientiam et pietatem perfectiorem. Unde nomen (ψευδώνυμος) γνῶσις 1 T 6, 20. Deum se nosse profitentur, Tt 1, 16, sed operibus eum negant. Videntur iactasse suas doctrinas (1 T 1, 7 ; 6, 21), quas Apostolus dicit βεβήλους κενοφωνίας, 1 T 6, 20, cf 4, 7 ; 2 T 2, 16 ; cf 2, 23. In utroque loco asserit eos circa fidem (veritatem) excidisse. 2 T 2, 18 agitur de falsa doctrina circa resurrectionem, quam Hymenaeus et Philetus iam factam esse profitebantur. Videtur idem Hymenaeus esse, qui 1 T 1, 20 cum Alexandro nominatur tamquam blasphemus, qui circa fidem naufragavit.

Pietatis speciem prae se ferunt, sed eius virtutem non habent 2 T 3, 5.

Docent abstinentiam a cibis quibusdam 1 T 4, 3, Tt 1, 14s, utpote immundis, prohibent matrimonium 1 T 4, 3. Prius videtur iudaicae esse observantiae, praesertim cum Tt 1, 14 sermo sit de iudaicis mythis et mandatis hominum. Alterum magis ad gnosticas doctrinas alludit. Sed utrumque videtur ex eadem consideratione procedere.

Hos dicit Paulus a spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum decep-

tos, qui mendacia loquuntur sub specie veritatis 1 T 4, 1s, dum ipsi a diabolo captivi tenentur et secundum eius voluntatem ducuntur 2 T 2, 26. Pietatem profitentur, sed ex ea occasionem lucri et quaestus sumunt 1 T 6, 5 ; Tt 1, 11. Vitiis omnibus indulgent 1 T 6, 3-5 ; 2 T 3, 1-6 ; 4, 3s. Semper in peius proficiunt, errant et in errorem alios indicunt 2 T 3, 13. Maxime mulieres seducunt 2 T 3, 6s, earum cupiditatem excitantes, cf 4, 3s ; 1 T 5, 16.

Manifestum est Apostolum hos homines tamquam haereticos habere, qui ipsi fidem amiserunt et alios a fide avertunt 1 T 1, 20 ; 6, 10. 21 ; 2 T 2, 18 ; 3, 8. Non omnia autem haereticae indolis sunt, sed potius ut vana et inutilia a Paulo diiudicantur, similiter ut doctrina et exercitia apud Colossenses propagata. Sed indoles errorum maiorem habet affinitatem cum doctrinis in ep. Iudae et 2 Petri impugnatis. Plura ex his apud Gnosticos saeculi secundi recurrunt, sed nondum agitur de dualismo gnostico. Sicut ea quae Apostolus 1 C 6, 12ss ; 8, 1ss ; R 14, 1ss ; 16, 17ss ; Ph 3, 18 ; C 2, 4ss. 16ss impugnat, praeludere videntur falsis doctrinis Pastoralium, ita hae praeludunt gnosticismo. Nihil autem habetur in Pastoralibus, quod non ultimis S. Pauli temporibus convenire possit. Et cum aliunde constet syncretismum tum magnopere viguisse, facile intellegitur varia elementa undique assumpta esse et quamvis agatur generatim de eadem doctrina, tamen videntur plures eius species exstitisse et singuli magistri pro sua quisque facultate alio modo docuisse.

504. *De argumentis internis*, quibus genuinitas Pastoralium comprobatur. Permulta in epistulis traduntur de Paulo et eius discipulis, ut omnes concedere debeant haec non esse conficta.

1. Ea quae narrantur plerumque non explicantur, sed solum personae aut facta breviter commemorantur, ut nullum appareat studium nova tradendi. Personarum nomina pleraque in libris aliis NT[1] non occurrunt, neque sunt nomina eorum, qui tamquam discipuli Apostolorum postea insignes habentur, ut Ignatius, Polycarpus. Ea autem quae Actis Pauli et nostris epistulis communia sunt, Demas, Hermogenes, Onesiphorus, evidenter ex Pastoralibus assumpta sunt. Nomina legimus haec in Pastoralibus : Hymenaeus 1 T 1, 20 ; 2 T 2, 17 ; Philetus 2 T 2, 17 ; Phygelus, Hermogenes 2 T 1, 15 ; Onesiphorus et eius domus 2 T 1, 16 ; 4, 19 ; Lois, Eunice 2 T 1, 5 ; Crescens, Carpus, Eubulus 2 T 4, 10. 13. 21 ; Artemas, Zenas Tt 3, 12s ; Alexander aerarius 2 T 4, 14 (1 T 1, 20), cf A 19, 33s, qui est Iudaeus. Ibi A 19, 24 narratur de Demetrio argentario, sed haec narratio non potuit esse occasio fingendi Alexandrum aerarium, qui est christianus et inter falsos doctores numeratur. Nomina romana Pudens, Linus, Claudia (2 T 4, 21) maxime commendant genuinitatem epistularum.

Quae de Onesiphoro dicuntur 2 T 1, 16ss, ab omnibus agnoscuntur fide dignissima. Idem valet, si Demas dicitur Apostolum ignominiose dereliquisse 2 T 4, 10, qui C 4, 14 et Phm 24 inter fideles adiutores Pauli

enumeratur. Optime consonant cum A 16, 1 quae de Eunice et Loide narrantur 2 T 1, 5, nomina autem non sunt hausta ex A. In aliis quoque, quae 2 T 4, 9ss habentur et quae Paulus de se vel aliis dicit Tt 3, 12-15, nihil fictionis contineri plerique fatentur, unde ex eiusmodi locis hypothesis fragmentorum Paulinorum exorta est.

2. Tandem ex modo loquendi et ideis Paulina origo magnopere commendatur. Pauca tantum ex epistulis excerpimus, quibus hanc assertionem probamus.

1 T 1, 4 dispensatio Dei quae est in fide, cf 1 C 4, 2 ; 9, 17.
1, 5 finis praecepti est caritas, cf R 13, 8ss, alia.
1, 12 fidelem me exsistimavit ponens in ministerium, cf 1 C 3, 5 ; 7, 25 ; 2 C 11, 23 ; R 11, 13.
1, 14 superabundavit gratia, cf R 5, 20.
1, 17 Doxologia, cf R 16, 27.
2, 11 de mulierum subiectione et silentio, cf 1 C 11, 2-16 ; 14, 33ss.
2, 15 Eva a serpente decepta, cf 2 C 11, 3.
3, 16 Hymnus, cf R 1, 3s.
4, 4 escae sumendae cum gratiarum actione, omnis creatura bona, cf 1 C 10, 30 ; R 14, 14.
4, 6 bonus diaconus Christi, cf 1 C 3, 5.
5, 17s retributio et merces operarii evangelici, cf 1 C 3, 4 ; 9, 18 ; 16, 16.
6, 1s de servis, μᾶλλον δουλευέτωσαν, cf 1 C 7, 21.
2 T 1, 3 oratio pro lectore epistulae, cf R 1, 10 ; Ph 1, 3ss.
1, 8 testimonium Domini, cf 2 Th 1, 10 ; 1 C 1, 6 ; 2, 1.
1, 9 qui nos vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam, cf R 8, 28ss ; et alia.
1, 10 Iesu Christi qui destruxit mortem, cf 1 C 15, 26.
1, 13 in fide et in dilectione in Christo, cf G 5, 6 ; E 6, 23 ; 1 Th 3, 6 ; 5, 8.
1, 14 per Spirtum S. qui habitat in nobis, cf R 8, 11.
2, 4 ut placeat ei, cf 1 C 7, 32s.
2, 5 qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit, cf 1 C 9, 24. 27.
2, 6 de labore et praemio operarii, cf 1 C 9, 7. 10.
2, 8 Iesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David, cf R 1, 3s.
2, 10 omnia sustineo propter electos, cf C 1, 24 ; Ph 2, 17s ; 2 C 4, 11 ; 12, 15.
2, 11 si commortui sumus, et convivemus, cf R 6, 1-9 ; 8, 11. 16s.
2, 13 ille fidelis permanet, negare seipsum non potest, cf R 3, 3 ; 11, 28ss ; 15, 8.
2, 20s vasa in honorem, quaedam in contumeliam, cf R 9, 21s.
3, 5 ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας, cf R 2,20 ἔχοντα τὴν μόρφωσιν τῆς γνώσεως ἐν τῷ νόμῳ.
3, 12 omnes qui pie volunt vivere... cf 1 Th 2, 3ss ; Ph 1, 28ss.
Tt 1, 2 Deus promisit salutem, R 1, 2 ; 16, 25s.
1, 15 omnia munda, cf R 14, 14.
2, 5 mulieres subditae viris, cf E 5, 22ss ; C 3, 18.
2, 8 nihil malum dicere de nobis, cf 1 C 10, 32 ; 2 C 8, 20s; 11, 8.
2, 9 servi subditi, cf E 6, 5-8 ; C 3, 22-25.

2, 14 dedit semetipsum pro nobis, cf G 1, 4 ; R 3, 24s ; E 5, 25, alia.
3, 3 eramus et nos insipientes, increduli cf 1 C 6, 11 ; E 2, 2s.
3, 5 non ex operibus, cf R 3, 19s ; 4, 2 ; E 2, 4-10.
3, 7 iustificati gratia, haeredes, cf R 3, 24 ; 8, 16ss.

Quibus exemplis multo plura addi possunt, quibus ostenditur auctorem Pastoralium imbutum esse adeo sententiis et ideis Apostoli, ut eisdem familiarissime utatur, idque valet de omnibus epistulis. Theologia S. Pauli ex omnibus agnoscitur, eadem principia, etiamsi applicatio alia adiuncta supponit. Decretum 12 Iunii 1913, n. III.

Quare si omnia perpendimus, testimonia efficacissima *externa*, argumenta non pauca *interna* tum historica, tum theologica, tum affinitatem linguae et locutionum cum Pauli lingua, difficultatibus, quae afferri solent, nullo modo eam vim tribuemus, quam adversarii illis tribuunt. Nam argumentum ex lingua petitum esse prorsus inefficax demonstratum est ; argumentum vero ex statu Ecclesiae et historia desumptum tum solum alicuius momenti est, si cum schola antiqua criticorum asseritur pleraque documenta nostra esse saeculi secundi, quod hodie communi consensu reicitur et ab omni sana scientia reiciendum est. His vero simul ostensum est hypothesim *fragmentariam* nullo testimonio externo niti, internis rationibus prorsus esse destitutam, et eam proinde non solum esse superfluam, sed omnino reiciendam. Decretum 12. Iunii 1913, n. II.

Commentarii et subsidia : MMack[2], Tb. 1841. *Ginoulhiac*, Grenoble 1865. *APadovani*, P. 1892. 1896. *JBelser*, Fr. 1907. *EBosio*, Firenze 1911.

FrMaier, Die Hauptprobleme der Past[3]., Mst. 1820. *JFischer*, Die Bestimmung der Past., Weidenauer Stud. 1 [1906] 177-226.

Acatholici : JDMichaelis, Gtt. 1750. *JLvonMosheim*, Hambg 1755. *Wiesinger*, 1850. *HKölling*, B. 1882-87. *KKnoke*, Gtt. 1887-89. *ERiggenbach*[2], KK, M. 1898. *EFBrown*, Ld. 1917. *RParry*, Ca. 1920. *PNHarrison*, The Problem of the Pastoral Epistles, Oxf. 1921.

CAPUT V

DE EPISTULA AD HEBRAEOS

§ 20. De argumento et occasione epistulae

505. In numero epistularum Paulinarum in codicibus non eodem semper ordine (cf n. 439) legitur epistula, quae inscripta est Πρὸς Ἑβραίους. Hoc autem nomine nota est, ex quo primum de titulo epistulae audimus, apud *Tertullianum* (de pudic. 20), apud *Alexandrinos*, quorum traditio saltem usque ad medium saeculum secundum ascendit.

Quoniam vero epistula vario sub respectu a reliquis S. Pauli epistulis differt neque in antiquitate de ea omnium eadem sententia fuit, in historiam traditionis fusius inquiremus et quaestionem genuinitatis accuratius tractabimus. Primo autem ex epistula ipsa occasionem et finem determinabimus.

De epistulae occasione et fine. 1. Epistula ab ipso auctore dicitur λόγος παρακλήσεως 13, 22, *verbum exhortationis* (potius quam solatii).

Ac revera exhortatio ab initio epistulae usque ad finem repetitur, cf 2, 1-4 ; 3, 1s. 12ss ; 4, 1s. 11ss. 16 ; 5, 11ss ; 6, 1. 11s. 18s ; 10, 19-39 ; 12, 1-29 ; 13, 7-15. Exhortatio autem eo tendit, ut lectores ad constantiam et fidelitatem roborentur, quia in summo periculo versantur propter cor malum incredulitatis deficiendi a Deo vero, 3, 12 ; cf 4, 11, quod maxime describitur 6, 4ss ; 10, 26ss, et ab auctore diiudicatur tamquam gravissimum peccatum contemptus Dei et Christi et gratiae S. Spiritus.

Lectoribus necessaria est patientia, constantia 2, 1 ; 3, 12 ; fiduciam et gloriationem spei usque ad finem retinere debent. 3, 6. 14 ; 6, 11 ; 10, 23. 36. 39 ; 12, 3. 12 ; 13, 8.

2. Causa autem, cur indigeant hac admonitione, est animi deiectio in tribulatione et visitatione divina 12, 1-13. Peccatum enim infidelitatis eos constringere minatur, fatigantur, cum Dei intentionem non iam intellegant, 12, 1. 4. 7. 11. Quare Apostolus hortatur, ut cum fiducia accedant ad

Filium Dei, ad thronum gratiae, ut inveniant misericordiam et gratiam ad auxilium opportunum, quo nunc indigent 4, 16.

3. Quapropter Christum ipsum proponit, qui per omnia fratribus assimilatus est, qui ipse passus et tentatus est 2, 17s, qui potest compati infirmitatibus nostris 4, 15, qui crucem sustinuit 12, 2, qui ad dexteram Dei vivit et interpellat pro nobis 7, 25. Christum demonstrat, qui ipsis auxilio fuit, qui lectorum praepositos ad gloriosum exitum perduxit, et idem est hodie in pugna et tribulatione 13, 8.

4. Ad lectorum deinde ipsorum experientiam provocat, qui a Domini apostolis verbum Dei acceperunt, et suis oculis viderunt divina signa et experti sunt S. Spiritus distributiones 2, 3s, qui gustaverunt donum caeleste 6, 4s ; 10, 22. 26. 29 ; 12, 22ss. Ipsi *propter tempus* debebant esse magistri 5, 12. In tempore praeterito suam fidem opere probaverunt 6, 9ss ; 10, 32ss. Tanto gravius ergo est peccatum defectionis post tot gratias et tam manifestam revelationem divinam 2 ,3 ; 6, 3-8 ; 10, 26-30 ; 12, 25. 29.

506. Epistulae *finem* esse exhortatorium iam diximus. Cui fini argumentatio theologica inservit. Ideo Apostolus totus in eo est, ut ostendat lectoribus suis in Christo plenitudinem veritatis et gratiae datam esse, quam non possunt reicere, nisi se a salute excludere velint. Revelationem enim divinam, quae per Christum annuntiata est, non iam per prophetas, sed per ipsum Filium Dei allatam esse, novum foedus non per angelos, sed per Filium conclusum esse, qui ipso Moyse legislatore superior est, 1, 1ss ; 2, 1ss ; 3, 3-6. Christum etiam munere et opere sacerdotali superare sacerdotium VT[1], cum sit sacerdos in aeternum, qui morte sua et sanguinis effusione peccata vere deleverit et nos emundaverit, ut accessum ad Deum habeamus 5, 1-10, 18. Sicut revelatio divina per Filium absolvitur, ita redemptio quoque eius sacrificio perficitur 7, 27 ; 9, 12. 25-28 ; 10, 10. 13. 26. In his *argumentum* et *dispositio* epistulae fere continetur.

Inscriptionem autem epistula non habet neque unquam habuisse videtur. De explicatione huius facti postea dicemus. Exordii autem loco haberi potest 1, 1-4, quia his versibus summatim totum fere argumentum comprehenditur, Christi praecellentia prae prophetis, prae angelis, eius opus *(purgatio peccatorum)*, et glorificatio ad dexteram Maiestatis divinae. Sed formaliter hi versus non sunt a sequentibus distinguendi.

Ordo vero partium hic est, ut aliquomodo possit pars didactica et paraenetica distingui, quamvis distinctio haec non sit adaequata, ut iam diximus. In priore enim parte non solum breves quaedam admonitiones leguntur, sed etiam longiores, ut 3, 1-4, 16. Quae sectio fere integra est paraenetica. Nam 3, 3-6 non est nova pars, sed potius digressio, quae instituitur ex occasione

nominis Moysis, 3, 2. Nihilominus non inepte a 10, 19 (aut 11, 1) novam partem incipimus, quia admonitio longius protrahitur. Haec vero pars plura continet, et quaedam minus stricte cum argumento epistulae cohaerent, ut 13,1-6.

507. *Argumentum* epistulae his verbis enuntiari potest : Retinete fidem Iesu Filii Dei, qui Dei verba attulit et tamquam Summus Sacerdos vos a peccatis redemit.

Unde duae partes : 1. Iesus Christus est nuntius Dei perfectissimus, quare eius verbis obsequendum est. 2. Christus est sacerdos, qui opus redemptionis perfecit, quare ei fides servanda est. Altera pars fusius exponitur, et Apostolus ei explicandae magis incumbit et iam in priore parte eam praeparat (cf 2, 9s), ubi passionis et mortis Christi mentio fit, deinde 2, 17 appellatio Pontificis primo legitur (cf 3, 1). Transitus autem fit 4, 14-16 ad novam partem.

A. Pars didactica 1, 1-10, 18.

I. *Christi, filii Dei, persona et dignitas*, eius demissio ad nos obligant nos, ut fidem in eum et eius verbum constanter teneamus 1, 1-4, 13.

1. Christus, Dei filius, prophetis maior, creator mundi, salutis auctor, nomine et dignitate superat angelos, qui ei subiciuntur, qui in ministerium deputantur eorum, qui salvantur. Proinde novi foederis annuntiatio per Christum facta, per Patrem et Spiritum confirmata magis obligat quam veteris foederis promulgatio per angelos facta 1, 1-2,4.

2. Christus, quia salus hominibus, non angelis destinata est, salutis auctor, in omnibus similis factus fratribus diabolum per mortem suam superavit et peccata delevit, misericors et fidelis sacerdos 2, 5-18.

3. Quare nobis tenenda est confessio Apostoli et Sacerdotis Iesu, qui fidelis erga Deum, tamquam filius super totam domum Dei constitutus est, non sicut Moyses tamquam famulus in domo 3, 1-6.

4. Admonitio ex Ps 94, ne propter incredulitatem irae Dei subiciantur sicut generatio Israel tempore Moysis 3, 7-19, sed festinent ingredi in requiem divinam oblatam 4, 1-11, quia coram verbo divino rationem reddituri sunt 4, 12s.

II. *Christi sacerdotium et sacrificium* motivum fidelitatis et constantiae 4, 14-10,18.

Transitus 4, 14-16. Admonitio ex praecedentibus : *teneamus confessionem* Sacerdotis, qui compatitur nobis et gratiae auxilium uberrimum offert.

1. Christus est verus Sacerdos humanus, non ipse quidem peccato obnoxius, sed sicut Aaron a Deo vocatus (Ps 2, 7 ; 109, 4), et per oboedientiam et passionem suam comprobatus 5, 1-10. *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech.*

2. Antequam Apostolus huius sacerdotii dignitatem describit, corripit et excitat lectores, qui propter inconstantiam suam incapaces sunt doctrinae tam sublimis et in summo periculo versantur incidendi in maledictum divinum 5, 11-6, 8. Sed propter fidelitatem priorem et Dei bonitatem sperat meliora et provocat ad fiduciam exemplum Abrahae proponens, cui

Deus per iusiurandum benedictionem promisit, ut tali fiducia roborati teneant spem in Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech 6, 9-20.

3. Christus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech 7, 1-28.

a) Ordo et dignitas sacerdotii Melchisedech 7, 1-10. Ex nomine rex iustitiae et pacis, habet sacerdotium in perpetuum 7, 1-3 , eius dignitas superat sacerdotium aaroniticum, Abraham ei decimas solvit, benedictionem accepit ab eo, sacerdotes levitici moriuntur, in Abraham decimas solverunt 7, 4-10.

b) Christi sacerdotium eo, quod est secundum ordinem Melchisedech, ostendit sacerdotium aaroniticum fuisse imperfectum et inutile ; Christi sacerdotium confirmatum iureiurando introducit melius testamentum et quod est sempiternum, promittit perfectam salutem 7, 11-25. Christus igitur sua persona et sanctitate et sacrificio est sacerdos noster omni ex parte perfectus 7, 26-28.

4. Christus est perfectus sacerdos in suo sacrificio 8, 1-10, 18.

a) Christus sacerdos veri tabernaculi caelestis 8, 1-2.

b) Si enims acerdos est, debet sacrificium offerre, quod non potest in tabernaculo terrestri, cum habeat suos sacerdotes. Sed hoc tabernaculum est typus caelestis, et totum testamentum vetus secundum prophetam cedet novo, cuius mediator Christus, in quo vera remissio peccatorum promittitur 8, 3-13.

c) Christi sacrificium superat sacrificia vetera. Nam tota institutio veteris tabernaculi est terrestris, et ipso cultu ostenditur eam esse typicam et imperfectam 9, 1-10. Christus autem perfectius sacrificium obtulit suo sanguine aperiens caelum et peccata delens 9, 11-14.

d) Sanguinis autem effusio et mors Christi necessaria erat, quia testamentum ut sit efficax supponit mortem testatoris 9, 15-17, quod etiam in vetere testamento obtigit, cum conclusum sit sanguinis effusione et aspersione et omnis fere purificatio sanguine fiat 9, 18-22. Dedicatio vero caelestis tabernaculi postulabat perfectius sacrificium et meliorem sanguinem 9, 23-24.

e) Christi sacrificium est perfectum, quia unico sacrificio omnia peccata delevit, quod eo ostenditur, quia alioqui debuisset saepius mori 9, 25-28. Veterum sacrificiorum imperfectio manifestatur ex eorum frequentia et debilitate 10, 1-4, Christi sacrificium consistit in oblatione voluntaria et unica sui corporis, qua voluntatem Patris implevit et nos sanctificavit 10, 5-10. Christi reditus in caelum comprobat redemptionem unico sacrificio esse perfectam, sicut praedictum est per prophetam, unde non iam futura est oblatio pro peccato 10, 11-18.

B. Pars paraenetica 10, 19-13, 17.

1. Admonitio ad lectores, ut memores gratiae acceptae fideliter teneant confessionem suam et caritatem foveant 10, 19-25, ne voluntarie peccantes se privent fructu sacrificii Christi et iudicio divino obligentur 10, 26-31, sed potius memores constantiae prius probatae fide firma exspectent Domini adventum 10, 32-39.

2. Quid vero haec fides praestet et quomodo omnes sancti veteris testamenti fidem professi sint et profiteri debuerint, docet nubes testium 11, 1-40, et potissimum exemplum Christi ipsius, auctoris et consummatoris fidei 12, 1-3.

3. Ut autem facilius perseverent in tribulationibus, Apostolus docet eas proficisci ex paterno amore Dei et gignere fructum iustitiae 12, 4-11.

4. Tandem hortatur ad constantiam, ad pacem, sanctimoniam, virtutes illas, quibus maxime in gratia confirmantur, ostendit, ad quam communionem et gratiam vocati sint, comparando eorum vocationem cum manifestatione veteris testamenti, ut tum timore vindictae divinae tum firma fiducia roborati Deo serviant 12, 12-29.

5. Hortatur ad caritatem, castitatem, fiduciam Dei 13, 1-6.

6. Ultima admonitio fidelitatis erga Christum et communionis cum ipso in improprerio eius ferendo, ad beneficentiam et oboedientiam 13, 7-17.

Epilogus : Apostolus se precibus lectorum commendat, benedictionem a Deo pacis precatur, ut epistulam bene recipiant hortatur, de Timotheo, salutationes et ultima benedictio 13, 18-25.

§ 21. De lectoribus epistulae

508. Epistulam respicere in omnibus statum lectorum et ad eorum necessitates esse ordinatam, ex ipso argumento et dispositione manifestum est. Quare haec quoque epistula integre ex condicionibus lectorum concipienda et intellegenda est. Qui autem lectores sint, cum numquam nomine compellentur, ex solis internis argumentis conici potest.

Cum antiqui unanimiter epistulam designent tamquam scriptam *ad Hebraeos*, quaeritur, num recte senserint, et ille recte senserit, qui primus epistulam inscripsit ad Hebraeos.

1. Ex recentioribus enim sunt, qui hanc inscriptionem aptam esse negent. Primus videtur *EMRoeth* enuntiasse sententiam epistulam destinatam esse ethnicochristianis (Epistulam vulgo ad Hb inscriptam non ac Hb id est Christianos genere Iudaeos, sed ad Christianos genere gentiles et quidem ad Ephesios datam esse demonstrare conatur, Francof. 1836). Cui sententiae postea plures accesserunt, *Herm von Soden*, *Jülicher*, *Schürer*, *Weizsäcker*, *Pfleiderer*, *HJHoltzmann*, *Hollmann*, *MDibelius*, *Feine*, alii.

2. Rationes vero, quibus hanc opinionem probare conantur sunt hae : Argumenta, quibus inscriptio ad Hebraeos suaderi dicitur, non esse probabilia, et in epistula contrarium doceri. Neque enim accurata descriptio tabernaculi et sacrificiorum, neque notitia veteris testamenti, quae apud lectores supponitur, probat eos ex Iudaeis conversos esse. Non agitur de cultu templi sed de tabernaculo, neque supponitur lectores allici splendore

cultus et sacrificiorum. Accuratam autem notitiam VT[1] Paulus in omnibus suis epistulis apud ethnicochristianos supponit. Praeterea agitur de defectione ad atheismum, cf 3, 12, non ad Iudaismum, semper sermo est de infidelitate. Maxime vero notant 5, 12-6, 2, ubi Apostolus loquitur de elementis institutionis christianae, quae sunt fides in Deum, resurrectio mortuorum, doctrina de impositione manuum, de baptismis. Deinde in epistula universalitas salutis saepius inculcatur ; 2, 9 Christus pro omnibus mortem gustavit ; 2, 10 multos filios in gloriam duxit, cf 9, 28 ; 12, 15.

3. At haec argumenta minime efficacia sunt. Quae ultimo loco attulimus, nullius valoris sunt. Quid enim si universalitas salutis docetur, sequitur de statu lectorum ? Quam inepte vero provocetur ad 12, 15 patet consideranti, eo loco moneri lectores, ne sinant germinare radicem amaritudinis, cum illa inquinari possint οἱ πολλοί, id est totus coetus, ecclesia lectorum. Apostasia autem a Deo etiam habetur, si Christiani a Christo, Dei filio deficiunt, qui per Deum Patrem tot testimoniis demonstratus est legatus divinus et redemptor. Nihil fortasse apud Paulum et ipsum Christum in Ev Ioannis frequentius quam haec doctrina inculcatur, ignorantiam Christi et incredulitatem involvere ignorantiam Patris et incredulitatem erga revelationem VT[1].

4. Positive vero ostenditur, epistulam ad Iudaeochristianos scriptam esse non tam ex descriptione institutionum VT[1] et argumentatione ex eo frequentissima, quam ex tota indole epistulae. Concedimus enim Apostolum supponere etiam apud ethnicochristianos notitiam SScr[ae] VT[1], concedimus, non agi in epistula de cultu in *templo* vigente, sed de tabernaculo, ita ut epistula scripta esse possit ad quemvis coetum Iudaeochristianorum ubique terrarum degentem. Sed cum absoluta certitudine ostenditur lectores esse Iudaeochristianos inde, quod tota epistula a primo versu est in demonstranda praecellentia NT[1] prae Vetere. Haec autem argumentatio nullum sensum habet et plane irrita est, nisi agitur de lectoribus, quibus VT est summa auctoritas. Ethnicochristianis autem VT est non propter se auctoritas, sed propter Christum. Quid revera velit tota ratio argumentandi coram lectoribus, qui in periculo versantur relabendi in paganismum, nemo assequi potest. An fortasse auctor epistulae, qui undique ex VT[o] sua argumenta desumit et tam deliberate scribit, illud solum non deliberavit, quibus lectoribus scribat et quibus rationibus illos confirmare aut a defectione efficaciter deterrere possit.

5. Quam incommode vero aliqui loci epistulae afferantur contra nostram sententiam, ex uno loco facile ostenditur. Provocant ad 9, 14, ubi Apostolus docet sanguinem Christi conscientiam nostram emundare ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi. Propter *opera mortua* et terminum *Deus vivens* volunt haec verba scripta esse ethnicochristianis. Sed ex contextu evidens est agi de Iudaeochristianis. Antea enim dictum erat sanguinem animalium sanctificare *ad emundationem carnis* 9, 13, non autem posse emundare *iuxta conscientiam* 9, 9. Manifeste ergo ex contextu Iudaei his sacrificiis emundati nondum habent conscientiam

mundatam ab operibus mortuis, neque his sacrificiis apti redduntur ad serviendum Deo viventi. Qui autem vel leviter Paulum aut Evv legerit, non afferet terminum *opera mortua* (6, 1 ; 9, 14) tamquam argumentum contra sententiam veterum.

Proinde haec recentiorum opinio omni ex parte est probabilitate destituta et sepelienda.

509. Ad quam autem ecclesiam epistula missa sit, magnopere disputatur. Veteres cum permultis recentioribus catholicis censent epistulam destinatam esse Christianis palaestinensibus, primario aut unice hierosolymitanis.

Illi autem, qui lectores habent ethnicochristianos, varia proponunt, ecclesiam Ephesinam, palaestinensem aliquam, e. g. Caesareensem, aut aliam asianam aut achaicam aut alexandrinam. Romanae vero ecclesiae epistulam destinatam esse volunt *HJHoltzmann*, *vonSoden*, *Zahn*, *Harnack*, *Feine*, *Seeberg*, *Dibelius*, *Windisch*, *Moffatt*, ex catholicis idem probabile habet *JQuentel* (RB NS 9 [1912] 50-68). Rationes autem, quibus ducuntur, sunt hae : Verba in fine epistulae 13, 24, οἱ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας docent auctorem esse extra Italiam et salutare cum Christianis ex Italia ortis ecclesias Italiae, praecipue ecclesiam romanam. Huic vero ecclesiae indoles epistulae respondere dicitur, cum persecutiones videantur referendae esse ad initia persecutionis Domitianae ; cf 10, 32ss, maxime quae de rapina bonorum dicuntur. Praepositos, qui ipsis locuti sunt verbum Dei et iam exitum gloriosum habent (13, 7), esse Petrum et Paulum apostolos. Difficultatem quae ex indole ecclesiae romanae oritur, eo solvunt, ut cum *Zahn* et *Harnack* statuant epistulam ecclesiae alicui domesticae destinatam esse.

Quae hypothesis, quamvis possit apparere probabilis, si accuratius examinatur, est impossibilis. Si enim epistula scripta est ad Iudaeochristianos, quod nobis certum est, non potest esse scripta Romanis, multo minus versus finem saeculi primi. Si epistula scripta est Romam, cur nulla mentio persecutionis Neronianae, cf 6, 10 ; 10, 33s ; cf 12, 4. Non est sermo de martyrio cruento, quod eo magis mirandum esset, si ageretur 13, 7 de martyrio Petri et Pauli. Neque argumentum, quod longo tempore habitum est principale, ex Hb 13, 24 οἱ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας est ullo modo efficax. Haec enim locutio tam usitata in lingua graeca significat eos qui ex aliqua regione orti sunt, sive in ea versantur sive non, cf A 17, 13 Iudaei, qui sunt ex Thessalonice et ibi versantur ; cf *Euseb.* HE IV 2, 4 ; *Herodot.* VIII 114 ; Polyb. V 86, 10 ; 1 Mach 11, 2. 14. 61s et innumera exempla alia. Praeterea notum est Graecos et Latinos in epistulis scribendis plerumque cogitare condicionem legentium et scribere Roma, non Romae, sicut legimus in subscriptionibus codicum ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης. Tandem si *Clemens Romanus* in fine primi saeculi epistulam novit et frequenter allegat, non probatur eam ad Romanos esse scriptam.

2. Cum teneamus epistulam destinatam esse fidelibus ex Iudaeis, lectores non possunt esse nisi in provincia, in qua Iudaei magnas communitates habebant, in Palaestina (Syria) aut Alexandriae aut fortasse Cypro. Traditio alexandrina non habetur, neque ipsi Alexandrini, qui primi de epistula nobis referunt, quidquam sciunt de alexandrina destinatione. Epistula autem ad Alexandrinos in *Fragm. Murat.* commemorata (63ss) non potest esse ep. ad Hb.

Catholici plerique retinent epistulam destinatam esse ecclesiae hierosolymitamae. Quae sententia commendatur condicionibus, quae post a. 60 in Palaestina vigebant. Post Iacobi enim mortem Christiani tribulationibus multis expositi erant, eodem tempore Thebuthis quidam ecclesiam corrumpere conatus est (*Euseb.* HE IV 22, 4s). Sed contra hanc opinionem opponunt ecclesiam hierosolymitanam fuisse adeo pauperem, ut Paulus pro ea eleemosynas collegerit, eam proinde non potuisse sanctis ministrare (6, 10 διακονήσαντες τοῖς ἁγίοις καὶ διακονοῦντες; 10, 34 τοῖς δεσμίοις συνεπαθήσατε). Ecclesiam, cui epistula scripta sit, esse ecclesiam ab apostolis fundatam, quae Dominum ipsum non audierit 2, 3, quod de ecclesia hierosolymitana dici non possit. Neque de hac ecclesia potuisse affirmari eam denuo instruendam esse de elementis fidei christianae 5, 12. Epistulam porro graece scriptam, cuius lingua tantopere locutionis puritate excellat, non esse destinatam ecclesiae, cuius lingua fuerit aramaica.

Ex his rationibus ea fere sola vim habet, quae ex ministerio erga sanctos desumitur, praesertim cum agi videatur de frequentiore ministerio, quod adhuc exercetur dum epistula scribitur. Sed quia Hierosolymis quoque erant opulentiores, non est improbabile ab his auxilium inopibus praestitum esse. Quod linguam graecam attinet, cum in urbe plures coetus Iudaeorum hellenistarum essent, difficultas omnis evanescit. Si ad eos epistulam scriptam supponimus, ea quoque quae de Domini et apostolorum praedicatione dicuntur, habent facilem et aptam interpretationem. Attamen concedimus veterum sententiam non niti traditione, sed potius ex inscriptione epistulae « ad Hebraeos » ortam esse, et eam gaudere aliqua quidem probabilitate, at certam non esse. Argumenta vero, quibus alia determinata ecclesia designetur, afferri non possunt.

Aliqua obscuritas habetur in suppositione inscriptionis hierosolymitanae in verbis 13, 19, ubi Apostolus precationes lectorum pro se exposcit, ἵνα τάχειον ἀποκατασταθῶ ὑμῖν. Quae videntur supponere relationes magis familiares, quam Paulus cum ecclesia hierosolymitana habuit.

§ 22. De auctore epistulae

510. Quaestio de auctore epistulae iam in antiquitate multum est agitata et nostro tempore interpretes sententias varias tenent.

In ecclesia *graeca* et *syriaca* et *coptica* dubia quidem enuntiabantur, sed

nullus nomine nobis notus est, qui alium quam Paulum apostolum habuerit auctorem, quamvis non eodem sensu Pauli auctoritatem determinaverint.

1. Prima de auctore testimonia nobis tradita sunt ex ecclesia *Alexandrina*. *Clemens* (*Euseb.* HE VI 14, 2ss) traditionem aliquam *beati Presbyteri*, Pantaeni scilicet, refert, Paulum ex modestia epistulae ad Hb suum nomen non praefixisse. Constat ergo medio fere saeculo secundo Alexandriae epistulam habitam esse Paulinam, *Clemens* suam ipsius sententiam his verbis proponit epistulam esse Pauli eamque scriptam esse Hebraeis hebraica lingua, Lucam autem eam studiose Graecis transtulisse (l. c.).

2. *Origenes* (*Euseb.* HE VI 25, 11-14) in suis homiliis in Hb asserit linguae indolem esse diversam ab epistulis Pauli συνθέσει τῆς λέξεως ἑλληνικωτέρα). Τὰ νοήματα vero esse Paulo digna et secundum Origenis sententiam ipsius Pauli ἡ δὲ φράσις καὶ ἡ σύνθεσις ἀπομνημονεύσαντός τινος τὰ ἀποστολικὰ καὶ ὥσπερ σχολιογραφήσαντός τινος τὰ εἰρημένα ὑπὸ τοῦ διδασκάλου. Si qua ergo ecclesia habet hanc epistulam tamquam Pauli, in honore sit (εὐδοκιμείτω) etiam propterea, non enim sine causa (εἰκῇ) οἱ ἀρχαῖοι ἄνδρες eam tamquam Pauli tradiderunt. Origenis verba sunt ambigua. Possunt enim ita intellegi, ut Paulum habeat aliquomodo auctorem epistulae et ex mandato et secundum mentem magistri eam scriptam. Sed ita quoque concipi possunt, ut Apostoli verba ab aliquo eius discipulo occasione data amplificata sint, et Paulus solum sensu latiore et remoto auctor epistulae dici possit. Prior vero interpretatio magis respondet constanti modo loquendi et agendi Origenis. Deinde Origenes hoc loco insinuat epistulam non ab omnibus ecclesiis recipi, sed quae sint, non dicit. Idem affirmat in epistula ad *Africanum* (n. 9, MG 11, 65s), ubi loquitur de quibusdam, qui epistulam reprobant (ἀθετοῦντες) ; ex sequentibus autem apparet Origenem ipsum his non adnumerari. Quod modo agendi ipsius luculenter comprobatur. Nam in omnibus suis operibus epistulam frequenter allegat, numquam dubium de Paulina origine manifestans, sed semper eam nomine Pauli aut Apostoli laudans.

3. Alexandrini posteriores omnes Paulinam indolem et originem tuentur, *Dionysius* ad Fabium Antiochenum (*Euseb.* HE VI 41, 6). *Petrus*, *Alexander*, *Athanasius* exhibens canonem NT[1], *Cyrillus* (epistulam interpretatus), *Didymus*.

4. Saeculo 3 in ep. synodica concilii Antiocheni (269) Hb sub Pauli nomine allegatur, item a *Methodio*, *Eusebio*, *Cyrillo Hieros.*, *Epiphanio*. Non aliter scriptores Cappadoces, *Basilius*, *Gregorius Naz.*, *Gregorius Nyss.*, *Amphilochius* ; Syri *Chrysostomus*, *Theodorus Mops.*, *Theodoretus* ; scriptores linguae syriacae *Aphraates*, qui ea saepe utitur, *Ephraem* (commentarius). Accedunt omnes versiones orientales, quae epistulam ab initio tamquam Paulinam tradunt.

5. Constat igitur de unanimi fere traditione orientali, quam etiam *Hieronymus* agnoscit (ad Dard. ep. 129, 3, c. 414) « epistulam non solum ab ecclesiis orientis, sed ab omnibus retro ecclesiasticis graeci sermonis

scriptoribus quasi Pauli apostoli suscipi, licet plerique eam vel Barnabae vel Clementis arbitrentur, et nihil interesse cuius sit, cum viri ecclesiastici sit et cotidie ecclesiarum lectione celebretur, quodsi eam Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas, nec Graecorum quidem ecclesiae Ap Ioannis eadem libertate suscipiunt, et tamen nos utramque suscipimus nequaquam huius temporis consuetudinem sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerumque utriusque abutuntur testimoniis, non ut interdum de apocryphis solent facere, ...sed quasi canonicis et ecclesiasticis. »

6. Ex scriptoribus orientalibus primus *Polycarpus* videtur esse testis epistulae, cf 12, 2 et Hb 6, 20 aut 7, 3 ; 6, 3 et Hb 12, 28. Apud *Ignatium* fortasse allusio, ad Philad. 9, 1 et Polycarp. 12, 2. Ep. *Barnabae* item alludit, cf Barn. 5, 1. 6. Fortasse *Aristides* (Apol. 15 ad Hb 2, 9).

511. Ex verbis modo allegatis discimus *Latinos* epistulam non recepisse, et si Hieronymo integram fidem adhiberemus, initio saeculi 5 epistula in occidente nondum fuisset recepta, quod non omnino obtinet.

1. Epistula nota erat in occidente et auctoritate gaudebat a fine saeculi primi. Testis est *Clemens R.*, qui saepe epistulam allegat, numquam autem nomen auctoris tradit. Clem. 36, 2-5 aperte sequitur Hb 1, 1-5, quod ex locutionibus et allegationibus VT[1] probatur, in quibus pluries contra VA cum epistula ita concordat, ut dependentia manifesta sit. Praeterea cf Clem. 17, 1 et Hb 11, 37ss ; Clem. 21, 9 et Hb 4, 12 ; Clem. 27, 2 et Hb 6, 18; Clem. 56, 4 et Hb 12, 6, et alia quaedam. Ex tam frequenti autem allegatione evidens est Clementi epistulam fuisse valde familiarem et magnae auctoritatis.

Iustinus M. plures habet allusiones ad Hb ; Apol. 12, 1 vocatur Iesus *Apostolus*, cf Hb 3, 1. Saepe commemoratur *sacerdotium secundum ordinem Melchisedech* ; Dial. 13, 1 habetur allusio ad Hb 9, 13s, quae ex oppositione magis innotescit. Dial. 67, 9 allusio ad Hb 12, 21.

Fortasse *Ptolemaeus* gnosticus (c. 160) in sua ad Floram epistula alludit ad Hb, cf 3, 9 ; 4, 3s et Hb 9, 9s ; 10, 1, ubi plures locutiones similes occurrunt.

Irenaeus numquam epistulam allegat nomine auctoris, et in opere adv. haer. paucae sunt allusiones, cf II 30, 9 et Hb 1, 3, et alia pauca. Sed secundum *Eusebium* (HE V 26) in opere διαλέξεων διαφόρων epistulam allegavit. *Stephanus Gobarus* (auctor s. 6, apud Photium, bibl. cod. 232, MG 103, 1104) asserit Hippolytum et Irenaeum negasse epistulam esse Pauli. Photius ipse nihil affirmat.

Ex *Hippolyto* aliquae allusiones afferri possunt, ex quibus notitia epistulae supponi potest. Secundum Stephanum et Photium (*Phot.*, bibl. cod. 121. 232) negavit epistulam esse Pauli, quod confirmatur ex Dionysio Bar Salibi allegantis testimonium Hippolyti de tredecim Pauli epistulis ;

« illam ad Hb non agnoscit esse Pauli, sed Clementis fortasse » (Com. in Ap 1, 4). Sed ex eius scriptis constat gnosticos epistulam frequenter adhibuisse .

Tertullianus epistulam (Hb 6,4-8) allegat his verbis : « exstat et Barnabae titulus ad Hebraeos... et utique receptior apud ecclesias ep. Barnabae illo apocrypho Pastore ». Ex quibus verbis apparet Tertullianum non de auctore dubitare, sed de canonicitate. Testatur autem epistulam saltem a quibusdam ecclesiis receptam esse. *Cyprianus* epistulam numquam allegat.

In *Romana* ecclesia *Caius* ep. ad Hb quoque reiecit, *Euseb.* HE VI 20, 3. *Hieronymus* vero (de vir. ill. 59) narrat eum negasse Paulinam originem. Neque alii Latini saeculi tertii epistulam adhibent aut ut Paulinam agnoscunt. Primi interpretes epistularum S. Pauli latini, *Ambrosiaster* et *Pelagius* tantum tredecim epistulas exponunt, atque codices D et G graeco-latini et canon *Mommsenianus* epistulam omittunt. De ecclesia *Romana* *Eusebius* (HE VI 20, 3) asserit *quosdam* Romanorum negare suo tempore epistulam Pauli esse, cf III 3, 5, quod Hieronymus usque ad suum tempus extendit.

2. At a medio fere saeculo 4 consuetudo orientalis in occidente praevalere incipit. *Hilarius* epistulam saepe allegat ut Paulinam, *Lucifer Calaritanus* totum textum 3, 5-4, 10 exscribit in opere *De non conveniendo cum haeret.* 1. Ex quo elucet textum latinum eo tempore adfuisse. *Ambrosius*, *Rufinus* et alii Latini ut *Marius Vict.*, *Pacianus* epistulam agnoscunt. Versus finem deinde saeculi in conciliis *Hipponensi* (393), *Carthaginensi* (397) epistula iam enumeratur « Pauli Apostoli epistolae tredecim, eiusdem ad Hb una ». Sequentes vero catalogi *Innocentii* I (405), *Carthag.* II (419) 14 epistulas enumerant.

S. Augustinus post annum fere 405 videtur dubiis de Paulina origine aliquomodo cessisse, quia ex eo tempore non iam Paulum auctorem nominat, sed dubia refert aut nullum auctorem nominat. Sed ep. 111, 5 : « unde Apostolus », quod certo Paulum designat. De peccat. merit. et remiss. I 27, 50 (a. 412) haec : « quamquam nonnullis incerta sit... magis me movet auctoritas ecclesiarum orientalium ». De doctr. christ. 2, 8 enumerat epistulam in canone librorum NT[1].

Gregorius Eliberitan. († c. 400) in tract. 10 allegans Hb 13, 15 dicit « sed et sanctissimus Barnabas inquit ». Eodem tempore *Philastrius* (haer. 89) commemorat sententiam eorum, qui dicunt epistulam aut esse Barnabae apostoli aut Clementis, alii autem Lucae... Quia addiderunt in ea quaedam non bene sentientes, inde non legitur in ecclesia, et si legitur a quibusdam, non tamen legitur in ecclesia populo, nisi tredecim epistulae ipsius et ad Hb interdum... et quia et factum Christum dicit in ea, inde non legitur, de paenitentia autem propter Novatianos ». Revera in occidente propter has rationes difficilius epistula universalem agnitionem invenisse videtur. Postea in Ecclesia epistula sine controversia recepta

est, et omnia concilia eam inter canonicas Scripturas nomine Pauli apostoli enumerant. Soli *Erasmus* et *Caietanus* propter Hieronymi verba aliqua dubia enuntiant (n. 28, 4); cf Decretum Comm. Bibl. 24 Iunii 1914, n. I; n. 581.

§ 23. De dubiis contra genuinitatem epistulae

512. Contra genuinitatem epistulae iam s. 2 notatum est factum, quod epistula caret inscriptione solita, maxime autem linguae diversitas. A recentioribus praeterea additur doctrinae differentia, modus allegandi VT, et maxime auctoris verba 2, 2, quibus asserere videtur se ab apostolis accepisse doctrinam Christi, quod a Paulo dictum esse non potest.

1. Ex *Clemente* constat iam *Pantaenum* quaestionem tetigisse, cur in epistula nostra inscriptio desideretur, quae in aliis Paulinis omnibus legatur. Ille quaestionem solvit dicens, quia Dominus ipse ad populum Israel Apostolus missus erat, Paulus ex humilitate noluit se dicere apostolum. Alii ut *Ephraem*, qui fuse de hac re loquitur, plures rationes afferunt, humilitatem Apostoli aut timorem, ne lectores offenderet, aut reverentiam aliorum apostolorum, qui fortasse adhuc Hierosolymis versabantur, aut quia Paulus non ad eos missus erat neque eos in fide erudierat. Recentiores autem aut unam ex his rationibus sequuntur, aut censent inscriptionem esse deperditam. Fatemur quaestionem non cum certitudine solvi posse, sed inde non oritur seria difficultas contra originem Paulinam.

2. *Linguae differentiae* sane non exiguae sunt; oriuntur autem tum ex verborum electione, tum ex modo loquendi et toto genere dicendi. Sententiae enim constructae sunt secundum regulas grammaticae, in tota epistula vix occurrunt anacolutha. Aliqui censent epistulam scriptam esse in prosa artificiali et secundum rhythmum *(Blass*, Epistola ad Hb, 1903).

a) Certum est linguam esse satis politam, adhibentur locutiones apud auctores litterarios occurrentes, apud Paulum inusitatae, ὡς ἔπος εἰπεῖν, περὶ οὗ πολὺς ἡμῖν ὁ λόγος, χωρὶς πάσης ἀντιλογίας, περὶ ὧν οὐκ ἔστιν νῦν λέγειν κατὰ μέρος, τούτων οὕτως κατεσκευασμένων, πόσῳ δοκεῖτε χείρονος ἀξιωθήσεται τιμωρίας, καὶ τί ἔτι λέγω; ἐπιλείψει με ὁ χρόνος, τοσοῦτον ἔχοντες περικείμενον ἡμῖν νέφος μαρτύρων, ἔλαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους, et alia. Auctor videtur studio teneri delectandi lectores, quod comprobatur alliterationibus et aliis figuris loquendi, cf πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως πάλαι... τοῖς πατράσιν ἐν τοῖς προφήταις 1, 1; ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθεν 5, 8; μένουσαν πόλιν, ἀλλὰ τὴν μέλλουσαν 13, 14. In verborum collocatione amat appositionem separare a nomine, quod regit, τίνι γὰρ εἶπέν ποτε τῶν ἀγγέλων 1, 5; τηλικαύτης ἀμελήσαντες σωτηρίας 2, 3; ἄγκυραν ἔχοντες τῆς ψυχῆς ἀσφαλῆ 6, 19; τὴν ἐπαγγελίαν λάβωσιν οἱ κεκλημένοι τῆς αἰωνίου κληρονομίας 9, 15; τοσοῦτον ἔχοντες περικείμενον ἡμῖν νέφος 12, 1; κάρπον εἰρηνικὸν τοῖς δι' αὐτῆς γεγυμνασμένοις ἀποδίδωσιν

δικαιοσύνης 12, 11, et alia permulta eiusdem rationis, cf 2, 8s. 14. 17; 3, 3; 4, 11; 6, 4ss. 11. 13. 16; 7, 4. 11. 20; 8, 5s; 9, 2. 4, 16. 24. 28; 10, 1s. 11s. 20. 29. 32; 11, 1. 7. 25. 28. 34. 38; 12, 8; 13, 9. 20. Ex qua ratione oritur aliquis rhythmus vel saltem nescio quid sollemne et fere liturgicum linguae. Eiusdem rationis est, quod saepius quam in epistulis aliis Pauli subiectum verbo postponitur.

b) Usus verborum non leviter ab usu Paulino differt, particulae aliae leguntur, ἐάνπερ 3, 6. 14; 6, 3; ὅθεν sexies, καθ' ὅσον 3, 3; 7, 20; 9, 27 (ἐφ' ὅσον R 11, 13), ἐπεί novies (R 4; 1 C 5; 2 C bis), verba quaedam saepius adhibentur, quae apud Paulum raro aut numquam occurrunt, vicies προσφέρειν, numquam apud Paulum, προσέρχεσθαι septies, tantum 1 T 6, 3, et alia. At notamus verborum electionem et differentiam *solam* non efficaciter probare diversitatem auctoris, cum multa pendere soleant ex materia. Haec autem multos terminos suggerebat, e. g. προσφέρειν, προσφορά, quae vox quinquies legitur, 10, 5. 8. 10. 14. 18. Sed 10, 5. 8. est allegatio ex VT (cf R 15, 16; E 5, 2). Praeterea multa afferri possunt, quibus linguae quoque non levis similitudo nostrae epistulae et Paulinarum ostenditur. Plurima collegit *Heigl* (Verfasser u. Adresse des Br. an die Hb, Fr. 1905, 51-92. 249-268).

c) Nihilominus concedimus differentias inter Hb et alias Paulinas sub hac ratione esse longe graviores quam inter Pastorales et alias Paulinas. Nec quisquam dubitabit agnoscere Origenis verba, epistulam esse magis graecam, ἑλληνικωτέρα συνθέσει τῆς λέξεως, πᾶς ὁ ἐπιστάμενος κρίνειν φράσεων διαφοράς ὁμολογήσαι ἄν, HE VI 25,11. Quapropter non dubitamus accedere sententiae veterum et recentiorum plerorumque catholicorum, linguam epistulae non esse Pauli ipsius, sed alterius. Alexandrini quidem et cum eis alii, Hieronymus, et ex recentioribus pauci, supponebant epistulam ab Apostolo scriptam esse *hebraica* lingua et ab alio veste graeca vestitam. Hoc autem supposito nulla iam difficultas. Sed manifestum est linguam primitivam esse graecam. Proinde dicendum est alium nomine Pauli et secundum eius mandatum epistulam scripsisse, ita ut auctor revera sit Paulus, lingua alterius. Quamprimum autem hoc admittitur, difficultates omnes, quae ex genere dicendi, ex allegatione VT[1] proferuntur, solutae sunt, neque iam efficaciter urgeri possunt contra Paulinam originem. Decretum n. III.

3. Quod *allegationes ex VT*° attinet, aliquae formulae introductoriae aliae sunt, quam apud Paulum esse solent, διεμαρτύρατο δέ πού τις λέγων 2, 6; καθὼς λέγει τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον 3, 7 (9, 8); εἴρηκεν γάρ που οὕτως 4, 4; καθὼς καὶ ἐν ἑτέρῳ λέγει 5, 6; καθὼς κεχρημάτισται Μωϋσῆς 8, 5; μαρτυρεῖ δὲ ἡμῖν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον 10, 15; μεμαρτύρηται 11, 5; ἥτις ὑμῖν διαλέγεται 12, 5; νῦν δὲ ἐπήγγελται λέγων 12, 26. Semel tantum auctor humanus libri allegatur, 4,7, « in David dicendo ».

Ratio vero *argumentandi* ex VT° non est essentialiter alia quam in reliquis Paulinis. Allegari quidem solet textus graecus accuratius quam alibi,

sed haec differentia nulla est, si admittimus alium epistulae redactorem quam Paulum. *Typica* autem *applicatio* VT[1] in epistula occurrens non est aliena a Paulo, prout omnes eius epistulae demonstrant. Decretum n. II.

513. *Doctrinae* tandem differentia a recentioribus adeo solet urgeri, ut ex hoc capite solo ad alium auctorem concludant. Notant imprimis Christologiam, ideam V et NT[1] tamquam foederis. Legem alio modo diiudicari, fidem aliter concipi quam apud Paulum.

Modus loquendi etiam in his alius est quam in reliquis Paulinis, alia materia quoque tractatur quam in illis. Materia autem tractanda non a Paulo pendebat, sed a lectorum necessitatibus.

1. *Christologia* vero non est alia quam in epistulis ad Eph et Col et 2 C aut aliis. Christum superare angelos in aliis epistulis, E 1, 21 ; C 1, 15s ; G 3, 19 luculenter docetur. Hoc si in nostra epistula magis explicite tractatur, ratio habetur ex parte lectorum. Nemo sane nescit Paulum saepe se lectoribus accommodasse. Idem dicendum est de opere *redemptionis*. Christus in hac tantum epistula describitur tamquam Sacerdos. At Apostolus saepius locutus est de sacrificio Christi redemptorio, confert Christum cum agno paschali. Ergo elementa omnia habentur, ex quibus facillime occasione data gressus fieri potuit ad ideam sacerdotis concipiendam et evolvendam. Haec autem eo suggerebatur, quod lectores nimia aestimatione cultus legalis et sacrificiorum tenebantur.

2. Si apud Paulum idea novi *foederis* non toties enuntiatur, non tamen est ipsi ignota, cf G 3, 15. 17 ; 4, 24 ; 1 C 11, 25 ; 2 C 3, 6. 14 ; E 2, 12. Ex celebratione eucharistiae hic conceptus ipsi tam familiaris erat, ut nullo modo quaerendum sit, quomodo pervenerit ad illum explicandum. Deinde notamus in hoc contextu, quoties in ep. ad G vox ἐπαγγελία, epistulae ad Hb usitata (14), recurrat (novies, R octies).

3. Fructus sacrificii secundum epistulam ad Hb est καθαρισμὸς τῶν ἁμαρτιῶν 1, 3 ; καθαρίζειν τὴν συνείδησιν 9, 14 ; 10, 2, cf E 5, 26 ; Tt 2, 14 ; 2 C 7, 1 ; ἀθέτησις ἁμαρτίας 9, 26 ; ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας 9, 28 ; ἁγιασμός 12, 14 (R 6, 19. 22 ; 1 C 1, 30 ; 1 Th 4, 3. 4. 7 ; 2 Th 2, 13 ; 1 T 2, 15) ; ἁγιάζειν 2, 11 ; 10, 10. 14. 29 ; 13, 12 (R 15, 16 ; 1 C 1, 2 ; 6, 11 ; E 5, 26) ; σωτηρία 1, 14 ; 2, 3. 10 ; 5, 9 ; 6, 9 ; 9, 28 (R 1, 16 ; 10, 1. 10s ; 13, 11 ; E 1, 13 ; 1 Th 5, 9 ; 2 Th 2, 13 ; 2 T 2, 10). In omnibus his nulla est differentia a doctrina Pauli, ne locutionis quidem. Terminus aliquomodo novus est τελειοῦν τελείωσις (7, 11), qui adhibetur de Christo ipso (2, 10 ; 5, 9 ; 7, 28), qui passione sua ad perfectionem sacerdotii evehitur, et de fidelibus, qui per Christum et eius passionem redimuntur et ad perfectam salutem ducuntur (10, 14 ; cf 7, 19 ; 9, 9 ; 10, 1), de fidelibus iam glorificatis (12, 23).

4. Quoniam in epistula *fides* in sua efficacia et fructibus abunde describitur (11, 1-40), sunt qui censeant hanc considerationem esse a Paulo alienam. Sed in nostra epistula quoque fides est necessarium fundamentum

iustificationis, cf 4, 2s ; 6, 12. Neque apud Paulum desunt exempla fidei, quae magna efficit et obtinet, cf R 4, 17-22, quae futura et invisibilia tamquam praesentia exhibet, quod ex loco modo allegato elucet, cf R 8, 24s ; 2 C 4, 18, quae respondent Hb 11, 1. Ipse Apostolus 2 C 4, 13 asserit se fide ad roboratum Ev praedicare et mortem superare.

5. Quantopere autem epistula ad Hb cum doctrina et modo loquendi Apostoli congruat, ostendunt loci paralleli, qui in editionibus passim afferri solent. Pauca iuvat excerpere. Hb 1, 2s et C 1, 15s ; Hb 1, 4 et Ph 2,9 ; Hb 2, 2 et G 3, 19 ; Hb 2, 4 et 1 C 2, 4 ; 12, 4. 11 ; 2 C 12, 12 ; Hb 2, 8 et 1 C 15, 27 ; Hb 2, 10 et R 11, 36 ; 1 C 8, 6 ; Hb 5, 6 et Ph 2, 8 ; Hb 5, 12 et 1 C 3, 1ss ; Hb 5, 14 et 1 C 2, 8 ; Hb 6, 11 et Ph 1, 6 ; Hb 7, 25 et R 8, 34 ; Hb 8, 5 et C 2, 17 ; Hb 9, 28 et Ph 3, 20.

Haec autem idearum et locutionum similitudo ostendit dependentiam ab epistulis et ideis Paulinis aut arguit eundem auctorem. Alterum autem eo probabilius statuitur, quod epistula nostra antiquissima est, ut ex Clemente R. sequitur. Origo et aetas Paulina igitur hoc facto magnopere commendatur ; cf Decretum Commiss. Bibl. n. II.

514. Quis vero fuerit Apostoli *adiutor* in epistula scribenda, vix coniectura assequi nobis licet.

Plurimae opiniones propositae sunt. Veteres *Clementem R.* aut *Lucam* scriptorem aut interpretem habent. Apud utrumque enim affinitatem non mediocrem linguae cum Hb adesse putant. Alii potius cum Tertulliano, Gregorio *Barnabam* praeferunt. Cum hic levita esset, hellenista, Hierosolymis summa frueretur auctoritate, haec traditio prae aliis probanda est. Tertullianus enim tanta cum certitudine loquitur, ut appareat eum traditionem sequi. Neque omittendum est Barnabam secundum Recognitiones Clementinas Romae fuisse (1, 7ss, MG 1, 1210s). Deinde cum Cyprus insula Barnabae patria cum Aegypto semper habuerit intimas relationes, facile intellegitur, cur Barnabas graecis litteris instructus fuerit. Quare ex his multum commendatur traditio occidentalis ; praeterea explicaretur, cur Paulus Barnabae scriptionem epistulae demandaverit. Ex ipsa vero epistula traditio non explanatur, nam opinio eorum, qui in Hb 13, 22 ὁ λόγος τῆς παρακλήσεως allusionem ad nomen Barnabae υἱὸς παρακλήσεως (A 4, 36) agnoscunt, est subtilior quam probabilior. Barnabam habent epistulae scriptorem *Wieseler*, *GSalmon*, *AMaier*, *Fouard*, *FPrat*, ex acatholicis, qui Paulo nullam partem in epistula componenda tribuunt, *KBarth*, *MDibelius*, *ERiggenbach*, alii.

Placet aliis sententia a Luthero primum proposita, qui *Apollo* Alexandrinum (A 18, 24) dicit auctorem, e. g. *Zahn*, *Belser*, *Rohr*. Alia nomina commemorasse sufficiat, *Aristionem*, *Silam*, *Philippum* evangelistam, *Aquilam* et *Priscillam*.

§ 24. De epistulae indole Alexandrina

515. 1. Relationes exsistere inter Hb et librum Sap, et auctori hunc librum notum fuisse, ab omnibus agnoscitur. Locutiones plurimae similes sunt et notiones quaedam prope ad nostram epistulam accedunt.

Cf Sap 2, 14. 17 ; 3, 13 ; 4, 13. 15 ; 7, 22 ; 9, 17 ; 12, 10 ; 16, 21. Hb 1, 3 et Sap 7, 25 ; Hb 3, 12 et Sap 3, 10 ; Hb 4, 12s et Sap 18, 15s ; Hb 11, 5 et Sap 4, 10 ; Hb 11, 2 et Sap 9, 1 ; Hb 12, 5-11 et Sap 3, 5, et alia.

2. Potissimum autem *Philo* dicitur influxum exercuisse in linguam et ideas epistulae ad Hb. Quoniam Philo se senem appellat c. a. 40 (Legatio ad Caium 1), epistula ad Hb post a. 60 scripta dependere potest a Philonis operibus. In quaestione vero diiudicanda, num auctor ad Hb dependeat a Philone et quomodo dependeat, duo distinguenda esse videntur. Alterum, num *lingua* et genus dicendi eam habeat cum Philone affinitatem, ut ad litterariam relationem concludi possit. Alterum, num *idearum* similitudo talis sit, ut dependentia a Philone probetur.

a) Ac primum afferimus exempla verborum et locutionum, quae Philoni cum Hb communia sunt. αἰσθητήριον 5, 14 ; ἀλυσιτελής 13, 17 ; ἀμήτωρ, ἀπάτωρ 7, 3 ; ἀνακάμπτειν 11, 15 ; ἀναφέρειν τῷ θεῷ 13, 15 ; ἀπαύγασμα 1, 3 ; ἄπειρος 5, 13 ; ἀπόλαυσις 11, 25 ; ἀπολείπεσθαι 4, 6. 9 ; 10, 26 ; (ἀποστρέφεσθαι 12, 25) ; λαμβάνειν τὴν ἀρχήν 2, 3 ; ἀστεῖος 11, 23 ; (ἀφορᾶν 12, 2) ; δημιουργός 11, 10 ; εἰσφέρειν 13, 11 ; ἑκουσίως 10, 26 ; ἔλεγχος 11, 1 ; ἐνοχλεῖν 12, 15 ; ἕξις 5, 14 ; ἐπιλείψει με διηγούμενον 11, 32 ; ὡς ἔπος εἰπεῖν 7, 9 ; ἔτι δέ 11, 36 ; καθ' ἑκαστὴν ἡμέραν 3, 13 ; καταβάλλεσθαι 6, 1 ; καταβολὴ σπέρματος 11, 11 ; εἶχε μὲν οὖν καί 9, 1 ; κατὰ μέρος 9, 5 ; μετριοπαθεῖν 5, 2 ; ὄγκος 12, 1 ; καθ' ὅσον 3, 3 ; 7, 20 ; 9, 27 ; πανηγυρίς 12, 23 ; πεῖραν λαμβάνειν 11, 29. 36 ; προσαγορεύειν 5, 10 ; προσέρχεσθαι 4, 16 ; 7, 25 ; 10, 1. 22 ; 11, 6 ; 12, 18. 22 ; (προσέχειν τοῖς ἀκουσθεῖσιν 2, 1) ; συνεπιμαρτυρεῖν 2, 4 ; σχεδόν 9, 22 ; τεχνίτης 11, 10 ; τοῦτο μέν, τοῦτο δέ 10, 33 ; τραχηλίζεσθαι 4, 13 ; ὕπαρξις 10, 34 ; χαρακτήρ 1, 3 ; θυμιατήριον 9, 4 (Philo, de vita Mos. 2, 94ss).

Inveniuntur in his non pauca, quae minus usitata sunt, ut quis credere possit scriptorem non ignorasse Philonis opera, praesertim cum aliae quaedam locutiones accedant, ut γεύσασθαι θεοῦ ῥῆμα 6, 5 ; παροικεῖν εἰς γῆν ὡς ἀλλοτρίαν 11, 9 ; ἔξω τῆς παρεμβολῆς 13, 13 ; οἶκος θεοῦ 3, 6 de populo Dei ; περὶ οὗ ἐστιν λόγος 5, 11, et alia.

Neque casu factum esse videtur, ut plures allegationes ex VT° inveniantur eadem ratione apud Philonem. Gn 22, 16s, cf Philo, Leg. alleg. 3, 203, ubi Philo similia ratiocinatur de Deo, qui apud se iurat, quia maiorem

se non habet; Hb 6, 13-16, τὸ ὄρκῳ βεβαιῶσαι ὑπόσχεσιν, ὀμνύει καθ' ἑαυτοῦ, οὐ καθ' ἑτέρου, οὐδὲν γὰρ αὐτοῦ κρεῖττον. Maxime notanda est allegatio Jos 1,5 (Hb 13, 5), quae cum Philone (De confus. ling. 166) consentit contra VA^{m}, οὐ μή σε ἀνῶ, οὐδ' οὐ μή σε ἐγκαταλίπω, VA οὐκ ἐγκαταλείψω σε οὐδὲ ὑπερόψομαί σε. Prv 3, 11s (Hb 12, 5s; Philo, De congr. erud. grat. 177) neque cum VA perfecte convenit neque cum Philone, sed magis ad VA accedit. Saepius utitur eisdem formulis, e. g. λέγει ἐν ἑτέροις Hb 5, 6; μαοτυρεῖ δὲ λέγων, Hb 7, 17; 10, 15; καὶ πάλιν Hb 1, 5; 2, 13; ὡς δηλοῖ Hb 9, 8; εἶπε γάρ πού τις Hb 2,6; 4,4. Sed in hoc magna differentia cernitur, quod Philo saepissime allegans VT nomen auctoris affert, quod Hb semel tantum fit.

b) Maiorem vero similitudinem in ipsa ratione argumentandi et interpretandi recentiores non pauci cernunt, asseverantes auctorem Hb imitari Philonem in allegorica interpretatione SScr^{ae}. Nihil autem minus recte dicitur. Nam Philo revera *allegorice* interpretatur textum sacrum. Adam, Eva, Summus Sacerdos Philoni sunt allegoriae, ipsa descriptio vestimentorum Summi Sacerdotis est allegoria et alia permulta. Transferuntur enim ad aliam omnino rem. In epistula vero ad Hb agitur de sensu *typico*, *prophetico*, quem Apostolus usque ad minuta quaedam prosequitur. Quare in hac re nulla est inter Philonem et auctorem epistulae similitudo.

Quod autem *doctrinam* ipsam spectat, non negamus occurrere locutiones et ideas aliquas similes. At similitudines inter *Logum* et *Christum*, filium Dei, externae sunt, non verae et internae. Cuius sit indolis Logos apud Philonem, ne ipse Philo quidem videtur accurate perspexisse. Adhibet enim terminum sensu tam diverso, ut vix possibile sit illum accurate circumscribere. Applicat eum nimirum ad res tam diversas, ut de unitate conceptus sermo esse non possit. Auctor vero epistulae ad Hb ne adhibet quidem ipsum terminum. Filium Dei autem agnoscit personam a Patre distinctam, quae pleno sensu participat naturam divinam. Haec autem omnia aliena sunt a Logo Philonis. Relationes vero, quae apud Philonem quoque habentur inter *Logum* et *angelos*, alterius prorsus naturae sunt ac inter Christum et angelos. Neque auctor ad Hb de his relationibus loquitur, quia apud Philonem eas invenerit, sed quia angeli in revelatione VT^{1} suum habent ministerium et in adiutorium missi sunt eorum, qui ad salutem vocantur. Tandem omnia quae de Christo traduntur, in prioribus Pauli epistulis leguntur.

Nullo modo autem incarnatio, passio, mors, resurrectio potest adscribi Logo Philonis. Haec enim ipsi repugnant, et recte affirmatum est secundum doctrinam philosophi Alexandrini dogma christianum de Christo incarnato et moriente esset absurdum aut blasphemum.

Quare ut concludamus, admitti quidem potest aliqua relatio ad scripta Philonis ex parte epistulae nostrae externa secundum plures respectus, sed nulla in ipsa re dependentia.

§ 25. De tempore compositionis epistulae

516. Quoniam tenemus epistulam missam esse Roma, non potest esse composita ante primam Apostoli captivitatem romanam.

Opinio autem eorum, qui epistulam volunt esse scriptam ex ipsa captivitate, nititur ex parte falsa lectione τοῖς δεσμοῖς μου 10, 34 (loco τοῖς δεσμίοις), quae lectio antiquissima quidem est, cum iam a *Clemente Alex.*, *Origene*, deinde ab omnibus fere Patribus graecis exhibeatur; eam testantur SKLPE et alii multi codices. Sed AD *Chrysost*, omnes veteres versiones aliam lectionem tuentur, quae a contextu quoque postulatur. Alius locus 13, 19 ἵνα τάχειον ἀποκατασταθῶ ὑμῖν, non probat certo Apostolum vinctum esse, sed solum eum nondum posse libere ad suos lectores redire, quod varias potest habere causas. Neque tandem 13, 23 (γινώσκετε Τιμόθεον ἀπολελυμένον) supponit Timothei captivitatem, cum vox significare possit *iter agredi*. Sed etiamsi Timotheus diceretur a vinculis solutus, nondum sequitur Paulum quoque fuisse vinctum. Timotheus enim non est cum Apostolo, nam hic eum exspectat. Quare si supponimus epistulam scriptam ex prima commoratione romana, scripta sit oportet post Apostoli liberationem. Difficultas autem in eo est, quod nihil suadet Paulum cogitasse de itinere novo Palaestinensi. Quae difficultas utique minuitur, si ultimam commorationem romanam supponimus, nisi forte admittimus Paulum mox post eius adventum propter nuntios ex oriente acceptos cogitasse de reditu in Palaestinam. At hoc admodum improbabile est. Nam quae de Timotheo et eius adventu et itinere dicuntur, cum hac suppositione vix conciliari possunt.

Epistulam vero scriptam esse post mortem Iacobi ex 13, 7 confirmari videtur. At non certum est hoc fuisse mox post a. 62, quia facile supponitur memoriam mortis gloriosae Iacobi apud Christianos diu fuisse vivam. Nihil proinde accuratius definire licet.

§ 26. De commentariis et subsidiis

517. *HKlee*, Mainz 1833. *CLomb*, Ratisb. 1843. *AMaier*, Fr. 1861. *LZill*, Mainz 1879. *IPanek*, Oeniponte 1882. *APadovani*, P. 1896. *CHuyghe* S. I., Gandavi 1901. *MSeisenberger*, Regensbg 1909. *JGraf*, Fr. 1918.

Acatholici : JDMichaelis 1-2², Frkft 1780-86. *FBleek* 1-3, B. 1828-40. *FDelitzsch*, Lp. 1857. *RKübel*², KK, M. 1898. *Westcott*, Ld. 1889. *ECWickham*, Ld. 1910. *ASeeberg*, Lp. 1912.

VThalhofer, Das Opfer d. alt. u. neuen Bundes, Regensbg. 1870.

Alia : *BHeigl*, Verfasser u. Adresse d. Br. an die Hb, Fr. 1905. *HJCladder*,

ZkTh 29 [1905] 1-27. 500-524. *M. dal Medico*, L'auteur de l'épître aux Hébreux, R. 1914. *Prat*, Théol. de S. Paul 1^{10}, 1924, 421-470.

GERiehm, Lehrbegriff des Hb^2, Ba. 1867. *EMénégoz*, La théologie de l'épître aux Hébreux, P. 1894. *GMilligan*, The Theology of the Epistle to the Hb, Edb. 1899. *OSchmitz*, Die Opferanschauungen d. späteren Judent. u. d. Opferaussagen des NT, Tb. 1910. *BWeiss*, Der Hb in zeitgesch. Beleuchtung, TuU 35, 3, Lp. 1910. *HLMacNeill*, The Christology of the Epistle to the Hb, Chicago 1914.

DISSERTATIO X

De Epistulis Catholicis

§ 1. De epistulis catholicis universe

518. Epistulae septem, quae post Paulinas in canone NT[1] recensentur, una Iacobi, duae Petri, tres Ioannis, una Iudae, nomine epistularum *catholicarum* comprehenduntur. Nomen iam in antiquitate adhibetur, sed non eodem sensu videtur usurpatum esse.

Inter Graecos primus *Eusebius* loquitur de septem epistulis catholicis (ἡ πρώτη τῶν ὀνομαζομένων καθολικῶν ἐπιστολῶν, τῶν ἑπτὰ λεγομένων καθολικῶν), quarum primam hoc loco dicit Iacobi, aliam ibi nominat Iudae, quas dicit ab antiquis non saepe commemorari, sed iam cum ceteris in plerisque ecclesiis receptas (HE II 23,24s). In canone Laodiceno a. 360 et epistula festali S. *Athanasii* a. 367 septem catholicae sub una inscriptione numerantur. Ex occidentalibus *Hieron.* (de vir. ill. 2.4) de septem catholicis loquitur. Saeculo 3 *Dionysius Alex.* (*Euseb.* HE VII 25, 7.10) 1 J appellat *catholicam*, *Origenes* 1 P 5, 13 allegat ἐν τῇ καθολικῇ ἐπιστολῇ (*Euseb.* HE VI 25,5), 1 J bis ita appellat (in J t. 1, 22 (23) ; t. 20, 13), Iudam in R 5, 1 (MG 14, 1016).

In fragm. Murat. (68s) legimus : « epistola sane Iudae et superscriptio Iohannis duas *in catholica* habentur. Videtur supplendum esse « ecclesia » (cf 62s. 66), ergo epistulae in ecclesia receptae. Eodem tempore *Apollonius* contra Rhemisonem Montanistam pugnans eum dicit eo audaciae progressum esse, ut Apostolum imitatus *catholicam* aliquam epistulam composuerit (*Euseb.* HE V 18, 5). Ergo Pauli epistulae dicuntur catholicae. *Clemens Alex.* Iudam exponens asserit eum scripsisse catholicam epistulam.

Apud hos antiquiores scriptores « epistula catholica » videtur esse epistula a catholica ecclesia recepta, quod etiam apud *Dionysium* supponendum est, cum 1 J appellet τὴν καθολικήν ; idem fortasse etiam de *Origene* valet, cum duas minores Ioannis non appellent catholicas.

Unde recte videntur *Cassiodorus* et *Beda* sensisse, qui appellationem ex canonica dignitate repetebant (Instit. div. litt. 8 ; commentar. Prolog.). Cum Origenes autem appellationem etiam ad epistulam Barnabae applicet (c. Cels. 1, 63), haec vero epistula numquam communiter sit recepta, insinuatur terminum alio quoque sensu adhibitum esse, ut indolem orthodoxam epistularum indicet.

Postea autem ita intellegebatur, ut significaret epistulas ad maiorem coetum ecclesiarum destinatas in oppositione ad epistulas Paulinas. At haec interpretatio non omnibus epistulis convenit, cum 2-3 J ad determinatam ecclesiam aut personam scriptae sint. Aliae epistulae catholicae ad plures ecclesias destinatae sunt, sed earum lectores non omnes fideles sunt, sed ecclesiae, quae in certis quibusdam condicionibus et periculis versantur, quod ex materia tractata elucet.

519. *De ordine epistularum.* 1. In canone NT[1] epistulae catholicae non eundem ordinem tenent.

Codices enim antiquissimi et catalogi epistulas tradunt post librum Actuum. Ita cod. BA alii, S quoque post Actus, sed hos libros postponit Paulinis. Saepius enim A et Catholicae in uno codice descripta sunt. In *editionibus Tischendorf*, *Westcott-Hort*, *vonSoden* idem ordo observatur. Eundem ordinem sequitur *Athanasius*, Concilium *Laodicenum*. Sed *Occidentales* semper videntur catholicas epistulas post Paulinas enumerasse, stichometria *Nicephori* concordat.

2. Ordo epistularum inter se apud *Graecos* ex tempore Eusebii videtur idem fuisse, quem nos tenemus.

Dicit enim Iacobi epistulam esse primam inter catholicas, consentiunt catalogi et codices, *Cyrillus Hieros.*, *Gregorius Naz.* *Amphilochius.* Non eundem ordinem *Occidentales* tenent, plerumque enim Iacobum postponunt Ioanni, ita Canon Carthaginiensis a. 397, Concilium Tridentinum. Sed alii catalogi magnopere differunt. Canon Romanus et catalogus Claromontanus epistulas catholicas post Ap enumerant hoc ordine P Ja J Jd. Canon Mommsenianus J Pt. *Philastrius*, *Augustinus*, *Ildefonsus Tolet.* Iacobum ultimo loco habent, *Rufinus* Ioannem, *Isidorus* P Jac J Jud.

520. *De commentariis in epistulas catholicas.* Ex aevo patristico pauca ad nos pervenerunt. Primus epistulas interpretatus est *Clemens Alex.* secundum *Eusebium* (HE VI 14, 1), qui explicite Jud et reliquas catholicas commemorat, item *Photius* (Bibl. cod. 109, MG 103, 384). Eorum autem testimonium non infirmatur, quod Clemens 3 J et 2 P non formaliter allegat. Supersunt expositiones in 1 P 1-2 J Jud, secundum retractationem factam mandato *Cassiodori*. *Didymus Alex.* scripsit Enarrationes in epistulas, quarum exstant fragmenta latina et graeca, quae *Catena* antiqua anonymi auctoris (s. 8?) conservata sunt. Reliquorum

Graecorum interpretationes habentur apud *Theophylactum* (MG 125s). *Ps.-Oecumenium* (MG 119) ; sub nomine *Euthymii Zigabeni* editus est a Calogera commentarius in ep. catholicas scholiis digestus, qui fere congruit cum commentario a *Cramer* edito (Catenae graecorum Patrum in NT t. 13, Ox. 1844) ; cf *Staab*, Bbc 5 [1924] 296-353.

Ex *Latinis Augustinus* exposuit Ja et 1 J, supersunt 10 tractatus in ep. Ioannis ad Parthos. Breves tractatus scripsit *Hilarius* (Arelat. ? c. 450) in septem epistulas canonicas (Spicileg. Cassin. 3, 1, 1897). *Cassiodorus* composuit Complexiones in ep. cath. (ML 70), *Beda* commentarios (ML 93), a quibus fere dependet *WStrabo* (Glossa ordinaria), *Alulfus* (c. 1096) excerpsit *Gregorii Magni* interpretationes (ML 79, 1381-98).

Syri posteriores pauca contulerunt, *Išodad* (c. 850) exposuit epistulas ; fragmenta apud *Gibson*, Horae Semiticae 10, Ca. 1913. *Dionysius Bar-Salibi* (ed. *Sedlacek*, P. 1909s, Corp. Script. Orient. 101).

Mediae aetatis interpretes latini *Martinus Legionensis*, Ja 1 P 1 J ; Card. *Hugo*, *NLyranus* ; prae aliis *Nic. de Gorham* O. P. (inter opera S. Thomae. Antw. 1617), *Dionysius Carthus.* (Colon. 1533).

Aetas posterior cum plures commentarios in totum NT procreaverit, catholicis epistulis quoque maiorem curam impertiit. *Caietanum*, *Salmeronem*, *Cornelium a Lapide*, *Tirinum*, *Menochium*, *Calmet*, *Natalem Alexandrum*, alios afferre licet. *Estius*, cuius commentarium *BPetri* complevit (Duaci 1614), alios superat accurata textus expositione, *ILorinus* S. I. eruditione et copiositate. Quibus accedunt *BIustinianus* S. I. (Lugd. 1621), *NSerarius S. I.* (Mogunt. 1612), *Felicianus Capilo* (Venet. 1561), *M. de Palacios* (Salmant. 1581,) *LFromond* sequitur *Estium* (Lov. 1661), *ChrLSchwarzenau* (Giessae 1723), *ARemy* S. I. (Constantiae 1740), alii.

Nostra aetate : MANickel (Mainz 1853), *MacEvilly*[3] (Dublin 1875), *ABisping* (Mst. 1871), *PDrach* (P. 1873), *AMaunoury* (P. 1888), *FCCeulemans* (Mechlin. 1904), *APiffard* S. I. (Lille 1904), *VanSteenkiste-Camerlynck*[5] (Brugis 1909), *ThCalmes*, *MMeinertz* (Ja) et *WVrede* (reliquae, B. 1915), *IFelten*, 1-2 PJud, Regbg. 1929.

Acatholici : Epistulas omnes interpretati sunt *Calvinus*, *DPareus*, *HGrotius*, *JChrWolf* (curae philol. et crit. 1735), *deWette-Brückner*[3], Lp. 1865 (P Jud Ja), *vonSoden*[3], HC, Fr. 1899, *KBurger* (Ja 1-2 P Jud)-*Luthardt* (1-3 J)[2], KK, M. 1895. *HWindisch*, HB, Tb. 1911. *RKnopf-Meyer*[7], Gtt. 1912 (1-2 P Jud). *MDibelius-Meyer*[7] Gtt. 1921 (Ja). *Strack Billerbeck* III 1926.

§ 2. De epistula S. Iacobi

521. 1. Epistula inscribitur « Iacobus, Dei et Domini Iesu Christi servus ». Plura de auctore non leguntur, neque ex epistula ipsa docemur de persona aut eius relationibus ad lectores. Cum autem nomen Iacobi in NT° pluribus conveniat, quaeritur, cui epistula adscribenda sit.

In apostolorum *catalogis* nomen Iacobi bis occurrit, ita appellatur frater Joannis, filius Zebedaei. Huic autem epistulam tribui non posse patet, cum iam c. 44 mortuus sit et in codicibus iunioribus tantum auctor epistulae habeatur. Praeterea legitur Iacobus Alphaei (Mt 10, 3 ; Mr 3,18 ; L 6, 15 ; A 1, 13). In historia passionis deinde commemoratur Maria mater Iacobi et Ioseph, Mt 27, 56, Iacobi minoris (τοῦ μικροῦ), Mr 15,40 (16, 1). Qui Iacobus idem esse videtur ac Iacobus Alphaei.

In Evv autem inter fratres Iesu unus vocatur Iacobus, Mt 13, 55 ; Mr 6, 3 ; S. Paulus vero novit Iacobum fratrem Domini, G 1, 19, qui G 2, 9 cum Cepha et Ioanne inter columnas Ecclesiae numeratur. Apostolus eundem nominat 1 C 15, 7 ; Lucas in A 12, 17 ; 15, 13 : 21, 18, qui ecclesiam hierosolymitanam regebat et apud ipsos Iudaeos summae auctoritatis et venerationis erat. *Hegesippus* plura de eo tradit (*Eusebius* HE II 23, 3-18). Vitam austeram eum egisse, ipsi soli licuisse ingredi Sancta. Eius pietatem autem tantam fuisse, ut sine intermissione pro populo preces fuderit, ita ut propter iustitiam apellatus sit ὁ δίκαιος καὶ ὠβλίας (περιοχὴ τοῦ λαοῦ, munimentum populi) καὶ δικαιοσύνη. Eum ex pinna templi propter testimonium Christi praecipitatum et fullonis fuste percussum martyrium passum esse.

Secundum *Hegesippum* (l. c. 23, 18) et *Eusebium* (l. c. 23, 19 et III 11) statim post Iacobi martyrium urbis oppugnatio per Vespasianum facta est, ex quo sequeretur martyrium c. a. 66 accidisse. Sed *Iosephus*, quamvis ipse quoque interitum urbis pro vindicta Iacobi secutum esse dicat, eius mortem aliquot annis antea evenisse narrat. Tradit enim Ananum summum sacerdotem post mortem Festi procuratoris ante Albini adventum Iacobum cum aliis condemnasse ut lapidaretur (Ant. XX 9, 1, *Euseb.* HE II 23, 20-23). Festi autem mors fuit a. 62. Oppositio inter Hegesippum et Iosephum fortasse eo solvi potest, ut vocem « *statim* » sensu latiore sumamus. Testimonium enim Iosephi tantopere videtur commendari, ut non facile praetermitti possit, nisi quis cum *Schürer* et aliis illud interpolatum esse censeat.

Iacobum autem fratrem Domini auctorem epistulae catholicae antiqui iam habuerunt, e. g. *Eusebius* (l. c. 23, 24s).

Quo vero sensu *frater Domini* appellandus sit, disputatur. Inter catholicos omnino constat fratres Domini non esse filios B. Virginis, matris Iesu. Quod a nullo catholico umquam propugnatum est, nisi forte a *Tertulliano* (de virginibus veland. 6 ; de carne Christi 7, uterque liber scriptus a Tertulliano Montanista). *Helvidius* quidem ad eum provocat, sed non certo constat de eius sententia.

Sententia antiquitus a saec. 2 proposita statuit, fratres Iesu esse filios S. Ioseph ex priore matrimonio ortos, ita *Proto-Ev Iacobi* 9, *Ev Petri* (Origen. in Mt t. 10, 17), *Clemens Alex.* in Jud 1, *Euseb.* (HE II 1, 2), *Epiphanius* (haer. 29, 3s), *Hilarius* (in Mt 1, 4), *Gregorius Nyss.* (orat. de resurrect. 2). *Hieron.* vero hanc sententiam reprobat (in Mt 12, 47) et postea derelicta est.

S. Hieronymus autem ita concipit affinitatem fratrum cum Christo, ut eos habeat *consobrinos* Domini. Quam sententiam iam *Hegesippus* ut *traditam* videtur supponere, cum Simeonem successorem Iacobi dicat consobrinum Domini *alterum* ; ergo Iacobus quoque fuit consobrinus Christi (*Euseb.* HE IV 22, 4). Hegesippus proinde non sequitur sententiam illorum, qui Iacobum filium Ioseph dicunt. In Christi autem passione legitur cum mulieribus cruci adstitisse Maria mater Iacobi minoris et Ioseph, Mt 27, 56 ; Mr 15, 40. Quae manifesto est mater eorum, qui appellabantur fratres Domini, cf Mt 13, 55 ; Mr 6, 3. Secundum J 19, 25 autem erat inter mulieres « soror matris Iesu, Maria ἡ τοῦ Κλωπᾶ » (ita textus intellegendus est, ut Ioannes tres mulieres enumeret, non quattuor). Maria haec est eadem, quae apud Mt et Mr dicitur mater Iacobi et Ioseph, soror B. Virginis, uxor Klopae (Kleopatri), quod nomen videtur esse nomen graecum Alphaei (Chalphai) Mt 10, 3 ; Mr 3, 18. Klopas autem secundum Hegesippum (*Euseb.* HE III 11) fuit frater Ioseph. Eusebius in eodem contextu narrat, Simeonem successorem Iacobi fuisse filium Klopae, consobrinum, ut dicunt, Salvatoris. Admissa hac explicatione fratres Domini duplici ex capite cum Christo coniuncti sunt, ex parte matris, sororis B. Virginis, ex parte patris, fratris S. Ioseph. Sed ex verbis Hegesippi Iacobus frater Domini et Simeon eius successor in episcopatu non sunt fratres. Numquam enim hoc affirmat, sed narrans Simeonem constitutum esse episcopum, dicit eum ὁ ἐκ τοῦ θείου αὐτοῦ Συμεὼν ὁ τοῦ Κλωπᾶ, ὃν προέθεντο πάντες, ὄντα ἀνέψιον τοῦ Κυρίου δεύτερον (*Euseb.* HE IV 22, 4). Secundum haec Simeon fuit filius patrui Iacobi. Klopas igitur secundum Hegesippum non fuit pater Iacobi, sed patruus, et Klopas distinguitur ab Alphaeo.

522. In iis quae exposuimus fere continetur sententia Iacobum, fratrem Domini fuisse unum ex apostolis Christi. Nihilominus hoc non ab omnibus admittitur. Multi enim ex antiquis et maxime ex recentioribus Iacobum Alphaei et Iacobum Klopae, fratrem Domini distinguunt, aut cum Hegesippo etiam fratrem Domini a Iacobo Klopae, ut plerique acatholici. Concedimus saeculo secundo et postea sententiam fuisse satis receptam fratrem Domini non fuisse ex numero duodecim apostolorum. Hegesippus videtur huius fuisse sententiae, si dicit Iacobum fratrem Domini cum apostolis suscepisse ecclesiam (*Euseb.* HE II 23, 4), fortasse Eusebius ipse idem sensit (l. c. 23, 1). Quam sententiam ecclesia graeca recepit. Invenitur quoque in *Recognitionibus Clementinis*, apud *Victorinum, Ambrosiastrum*. Ex recentioribus catholicis *Schegg, Battiffol, Mader, ADurand, Bardenhewer*.

Rationes autem propter quas Iacobus minor apostolus, et Iacobus frater Domini, distinguuntur, hae sunt. Traditionis testimonium, de quo egimus. NT[1] indicia. In NT[o] enim semper fratres Domini praeter apostolos nominantur, numquam autem in catalogis apostolorum appositio fratris Domini alicui tribuitur. In A 1, 14 fratres Domini post apo-

stolos explicite eumerantur. Accedit, quod fratres non solum Mr 3,31-35 (cf 3,21) non cum Christo esse dicuntur, sed etiam J 7,3ss tamquam increduli describuntur, quod est ante ultimum festum scenopegiae. Hanc argumentationem non carere aliqua probabilitate concedimus. Sed in sententiam oppositam alia argumenta afferri possunt, quae neglegere non licet.

Ex traditione quidem antiqua quaestio dirimi non potest. Sed non praetereundum est *Tertulliani* testimonium. Iudam enim fratrem Iacobi appellat apostolum (De cultu femin. 1, 3). Ex quo recte concludimus Iacobum quoque a Tertulliano apostolis adnumeratum esse.

In Oriente *Clemens* sequitur eandem traditionem, cf *Euseb.* HE II 1, 4 ; Strom. I 11, 3, ita Iacobum enumerans cum aliis apostolis, ut in eorum numero includatur. *Origenes* autem idem enuntiat in Ps 36, 2 hom. 4, 2 ; in R 4, 8 ; in J 3, 31, fragm. 126 (ed. Preuschen). *Epiphanius* (haer. 29, 3) eum apostolum appellat.

Ex NT° haec afferri possunt : In libro Actuum 12, 2 Iacobus, frater Ioannis, hac appositione ab alio vel aliis eiusdem nominis distinguitur ; postea, id est post eius mortem Iacobus caput ecclesiae Hierosolymitanae sine cognomine commemoratur, A 12, 17 ; 15, 13 ; 21, 18. In Evv quoque Iacobus frater Ioannis plerumque aliquo cognomine distinguitur, quamvis non semper fiat, maxime Lucas abstinet ab addendo cognomine, 6, 14 ; 8,51 ; 9,28. 54 ; A 1, 13. Si autem A 12, 17 et postea et a Paulo Iacobus sine alia determinatione nominatur, ex contextu elucet, de quo sermo sit scl. de eo, qui ecclesiam regebat et omnibus notus erat. 1 C 15, 7, ubi mentio fit apparitionis Domini, nulla fit distinctio, quamvis per se facienda esset. Quare hoc argumentum peremptorium non est.

S. Paulus loquens de primo itinere hierosolymitano G 1, 19, dicit se alium apostolorum (ἕτερον τῶν ἀποστόλων) non vidisse nisi Iacobum, fratrem Domini. Quae verba ex contextu insinuant Iacobum fuisse apostolum. At locus non certo probat, cum possit intellegi secundum aliquam brevilocutionem Graecis et auctoribus NT¹ non ignotam ut sensus sit : « alium ex apostolis non vidi, vidi tamen Iacobum », cf L 4, 26 ; A 27, 22 ; G 1, 7 ; Ap 9, 4 ; 21, 27. Paulus deinde 1 C 9, 5 enumerat : ceteros apostolos et fratres Domini et Cepham. Cum Cephas sit apostolus, videtur Paulus fratres Domini quoque, saltem aliquos in eorum numero habere. Sed patet hoc non cum certitudine affirmari posse, cum Apostolus non semper sequatur distinctiones adaequate logicas.

Videtur proinde quaestio non cum omnimoda certitudine solvi posse. Plerique tamen ex catholicis auctoribus praeferunt occidentalem traditionem, quam concilium Tridentinum quoque sequitur in canone librorum NT¹ definiendo : « Iacobi Apostoli una, Iudae Apostoli una » (D 784), cf *MMeinertz*, Der Jakobusbrief u. sein Verf. in Schrift u. Ueberlieferung, BSt 10, 1-3, Fr. 1905.

523. *De epistulae genuinitate. Eusebius* (HE II 23, 24s) tradit Iacobo, fratri Domini adscribi primam inter catholicas epistulas, eam inter spurias quidem haberi neque multos ex antiquis scriptoribus eam allegare, at suo tempore eam cum Jud et aliis catholicis in plerisque ecclesiis agnitam esse.

Iam si auctores veteres interrogamus, primus qui eam ipsius Iacobi nomine allegat, videtur esse *Origenes*, in Jos hom. 7. 1, in J 8, 24, t. 19, 23 et saepius. *Clemens Alex.* secundum *Eusebium* omnium catholicarum epistularum interpretationem instituit et epistulam saepius allegat (Paed. 3, 2. 8 ; Strom. V 14, 99 ; VI 18, 164 ; VII 11, 67), sed agitur potius de allusionibus, quam de allegationibus. *Irenaeus* verbis explicitis quidem epistulam non laudat, sed non est dubium, quin Ja 2, 23 ab Irenaeo allegetur IV 16, 2, praeterea V 1, 1 allusiones ad Ja 1, 18. 22 leguntur. *Hippolytus* allusiones ad Ja habet. *Methodius* (c. 300) Ja expresso nomine affert.

Ex *Latinis* solus *Tertullianus* videtur s. 3 testis esse, c. Iudaeos 2; *Abraham amicus Dei deputatus*, qui locus potuit quidem ex Is 41, 8 aut 2 Par 20, 7 derivari, sed ipsa locutio suggerit Ja.

S. Hieronymus ut saepius hic quoque Eusebium secutus est, ita ut eius verba aliquomodo amplificaverit : « Iacobus qui appellatur frater Domini... unam tantum scripsit epistulam, quae de septem catholicis est, quae et ipsa ab alio quodam sub nomine eius edita asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem » (de vir. ill. 2).

Patres *apostolici* et scriptores plures saeculi secundi epistulae testimonium reddunt. *Clemens R.* non formaliter quidem allegat Ja, sed in exemplis afferendis et ipsis verbis adeo ad Ja accedit, ut inter omnes fere conveniat eum novisse epistulam ; cf 10, 1 et Ja 2, 23 ; 12, 1 et Ja 2, 25 ; 30, 2 et Ja 4, 6. *Polycarpus* fortasse alludit ad Ja 1, 4 ep. 12, 3. *Hermas* cf Sim. 1, 8 et Ja 1, 27 ; Mand. 2, 7 alludit ad Ja 1, 27 ; M 9, 1-10 fere est expositio Ja 1, 5-8 ; Mand. 12, 5, 2 et Ja 4, 7 ; Sim. VIII 6, 4 et Ja 2, 7. *Iustinus* M. Dial. 49, 8 et Ja 2, 19 ; Dial. 100, 5 et Ja 1, 15 ; cf Dial. 16, 4 et Ja 5, 6 ; Apol. I 16, 5 et Ja 5, 12 (cf Mt 5, 34. 37).

Inter 1 P et Ja habentur similitudines tam insignes, ut probabile sit Petri epistulam a Ja dependere. Neque enim haec per familiaritatem inter Iacobum et Petrum apte explicari possunt. Ipsa enim epistularum inscriptio est similis ; cf 1 P 1, 1 et Ja 1, 1 ; praeterea 1 P 2, 1 et Ja 1, 21 ; 1 P 5, 6 et Ja 4, 10. Accedunt locutiones minus usitatae τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως Ja 1, 3 et 1 P 1, 7 ; ἄσπιλος Ja 1, 27 et 1 P 1, 19 ; παρακύπτειν Ja 1, 25 et 1 P 1, 12. Uterque allegat Prv 3, 34 non solum secundum VA, sed etiam contra eam habet *Deus*, non *Dominus*. Et in eodem contextu apud utrumque sequitur admonitio se subiciendi Deo, Ja 4, 6 et 1 P 5, 5.

Proinde etiamsi non multi ex antiquis scriptoribus epistulam sub

Iacobi nomine allegant, ex allegationibus abunde constat epistulam satis notam fuisse et suam habuisse auctoritatem. Quoniam vero nomen auctoris prae se ferebat, eo ipso ex allegationibus de auctore quoque sufficienter docemur.

De *Caietani* sententia circa auctoritatem epistularum catholicarum, Ja Jud 2-3 J diximus antea, n. 28, 4. Similiter *Erasmus* de auctore epistulae dubitat, sed auctoritatem canonicam agnoscit plenam, in Ja 1, 1.

524. Epistulae porro indoles traditioni conformis est, cum optime conveniat Iacobo.

1. Inscriptio tam simplex, quae auctori nullam adscribit auctoritatem, non est falsarii. Condiciones terrae Israel in epistula supponuntur, ventus urens 1, 11, aquae salsae 3, 11s, ficus et olivae et uvae 3, 12, fructus terrae qui ab imbre temporaneo et serotino dependent 5, 7.

2. Recentiores vero ex epistula genuinitatem reprobari censent. Fuerunt qui dicerent auctorem tam pauca de Christo docere, ut epistula a fratre Domini scripta esse non possit. Haec autem argumentatio tum solum valeret, si quaestiones fundamentales doctrinae et Christologia a Iacobo tractanda fuissent. Idem respondemus iis, qui putant a Iacobo legis zelatore observationem legis caeremonialis magis inculcandam fuisse ; unde enim constat hanc quaestionem ubique tanti momenti fuisse et Iacobum nihil aliud cogitasse nisi legem caeremonialem ? Iacobus legem dicit legem *libertatis* 1, 25 ; 2, 12 ; sed hunc terminum alio sensu adhibet quam Paulus in pugna contra circumcisionem. Videtur enim potius hanc libertatem intellegere ut Christus J 8, 33-36, Paulus R 6, 16ss. Nulla autem ratione admittimus terminum libertatis demum diu post Iacobum eo sensu adhiberi potuisse, quo in epistula legitur. Nam epistula non potest esse scripta diu post mortem Iacobi propter sola testimonia externa. Ex modo vero, quo Iacobus quaestionem legalium inconcilio Apostolorum tractat, quo Paulum postea alloquitur (A 21, 20-25), apparet ab eo legem caeremonialem ideo potissimum observatam et eius observationem inculcatam esse, quia Iudaeos nolebat offendere et sperabat multos ad fidem hac ratione perduci posse ; cf *MDibelius*, Der Brief des Jakobus 15s.

Genuinitati epistulae maxime adversari videtur linguae graecae puritas et influxus quidam philosophiae graecae. Haec enim non videntur supponi posse apud auctorem palaestinensem, cuius lingua est aramaica.

Legimus annominationes χαίρειν, χαράν 1, 1-2 ; πειράζομαι, ἀπείραστος 1, 13 ; διέκριθητε, κριταί 2, 4 ; φλογίζουσα, φλογιζομένη ; φαινομένη, ἀφανιζομένη 4, 14. Occurrit hexameter 1,17. Locutio τροχὸς τῆς γενέσεως 3,6 ; ἡλίκον πῦρ ἡλίκην ὕλην ἀνάπτει 3, 5, cf *JStiglmayr* S. I., BZ 11 [1913] 49-52, *JSchäfers*, ThG 5 [1913] 836ss. His factis non respondet opinio eorum, qui epistulam censent primitus aramaice scriptam esse. Genus dicendi autem facile explicatur eo, quod Hierosolymis permulti Hellenistae erant, qui Iacobum in epistula exaranda iuvarent, si auxilio indigeret. Ceterum

paronomasiae et similia Semitis non minus familiaria sunt quam Graecis.

3. Recentiorum criticorum opiniones, qui epistulae genuinitatem negant, v. g. *de Wette*, *Renan*, *Hilgenfeld*, qui putat auctorem per totam epistulam Paulum impugnare (cf Ja 2, 20 ; 3, 1 alia), referre opus non est, cum pleraeque hodie non iam proferantur. Magis autem invaluit opinio, secundum quam epistula habetur liber sapientialis sive iudaicus, qui inscriptione et aliis locis auctus sit, sive christianus, qui ad omnes fideles scriptus sit neque concretas condiciones et ecclesias supponat, *Spitta*, *MDibelius*, *vonSoden*, *Wendland*, *Harnack*, alii. Quam sententiam maxime eo comprobare conantur, quod nihil in epistula permittat ecclesias determinare, quibus scripta sit. Sed contra hanc suppositionem pugnat, quod nulla ratio appareat eius modi epistulam fingendi, cuius finis non possit agnosci. Ideae autem christianae ita per totam epistulam sparguntur, ut hypothesis a Spitta excogitata improbabilis haberi debeat. Indolem enim christianam ostendunt permulti loci, 1, 1. 3. 6. 12. 18. 21. 25 ; 2, 1. 5. 7. 8. 12. 14-24. 26 ; 3, 1 ; 5, 7. 11. 13ss. Praeterea allusiones plurimae sunt ad Christi doctrinam in sermone montano enuntiatam. Haec omnia autem ita proponuntur, ut recte dicamus epistulam scriptam esse tempore antiquissimo.

Lutheri iudicium de epistula Iacobi notum est, quamvis epistulam bonam dicat et laudet, tamen eam S. Paulo et Evangelio contradicere asserit, quod iudicium etiam hodie apud acatholicos non paucos viget, alii vero intellegunt Iacobi doctrinam perfecte cum Domini doctrina consonare neque differre a Paulo. Sed de hac re postea.

525. *De lectoribus epistulae.* 1. Cum epistula inscripta sit *duodecim tribubus* ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ 1, 1, plerumque lectores definiuntur Iudaeochristinai dispersionis, id est extra Palaestinam.

Sed si eadem locutio 1 P 1, 1 hodie non de Iudaeochristianis, sed de Christianis ex gentibus conversis recte intellegitur, non necessario de Iudaeochristianis cogitandum est, sed verba fortasse sensu translato sumenda sunt, ut nomine duodecim tribuum significetur tota Ecclesia, et verba « quae sunt in dispersione » dicta sint Christianis per mundum inter gentes et incredulos dispersis, non exclusis fidelibus Palaestinam incolentibus. Quam sententiam *Cornely* saltem eatenus propugnat, quatenus Ethnicochristianos inscriptione simul comprehendi censet, III 602s.

Certo sententia eorum omnino reprobanda est, qui epistulam Iudaeis non conversis destinatam esse volunt. Verba vero 2, 2 εἰς συναγωγὴν ὑμῶν nihil probant neque indolem iudaicam lectorum ostendunt. Sed concedimus auctorem imbutum esse ideis VT[1] et supponere eius notitiam apud lectores suos, ut primario tales respicere videatur, qui ex Israel ad fidem venerunt. Quod confirmari videtur ex frequenti legis commemoratione, 1, 25 ; 2, 9s. 12 ; 4, 11s.

2. De lectorum *statu* in epistula haec docentur. Tentationibus et tribu-

lationibus subsunt 1, 2. 12ss ; 4, 7. 10. Eis autem affliguntur et animo deficere incipiunt, ut fiducia minuatur ; non iam ad Deum accedunt firma spe, 1, 3. 5ss ; 4, 3s. 8 ; 5, 7-11. Fidem quidem tenent, sed talem, quam vita et operibus non comprobant 1, 22-25 ; 2, 14-26 ; 3, 13. 17s ; 4, 11s. Fides haec mortua seducit ad mundi amorem 1, 27 ; 4, 3s, ad pauperum contemptum et adulationem divitum 2, 1ss, ad caritatis detrimentum 1, 27 ; 2, 8-16. Habent inter se lites et disceptationes, invidia et contentionibus dividuntur, superbiunt 1, 9ss ; 3, 14ss ; 4, 1-4. 8. 16. Propensi sunt ad peccata linguae, ad iram, diiudicandum, maledicendum 1,19 ss ; 3, 1-12 ; 4, 11s ; 5, 9. Quapropter divites increpantur 1, 10s ; 2, 6s ; 4, 8s. 13-17 ; 5, 1-6. Sed non constat agi ultimo loco de Christianis sicut antea, potius de incredulis sermo est 2, 6s.

Patet haec non multum conferre ad lectores accuratius determinandos. Ecclesiae, quae his defectibus laborabant, ubique terrarum esse potuerunt, neque vitia, quae a Iacobo impugnantur, recte cum iis comparantur, quae a Petro aut a Iuda in suis epistulis reprehenduntur, ut propterea liceat lectores in Asia minore quaerere.

3. Num lectores et condiciones eorum magis determinari possint ex iis, quae de fide mortua et fide sine operibus dicuntur, controvertitur. Locutiones quidem tam prope ad Paulum accedunt, ut plurimi putent Iacobum oppugnare Paulum vel potius Pauli doctrinam male intellectam. Omnino autem certum est non esse contradictionem inter Pauli et Iacobi doctrinam. Numquam enim Paulus docuit vel admisit fidem sine operibus ad salutem ducere, aut peccatum in iustificatis conciliari posse cum gratia et amicitia Dei, sed semper postulat fugam peccati et caritatem et mandatorum observationem, cf G 5, 6. 19ss ; 1 C 7, 19 ; 13, 1ss ; R 13, 10 et alia. Praeterea notamus apud Iacobum vocem fidei sensu latissimo adhiberi, de quavis sterili persuasione (cf 2, 19), quo sensu a Paulo numquam adhibetur. Sed hic usus videtur ex modo loquendi adversariorum, quos Iacobus oppugnat, derivari. Alibi enim in epistula vocem sensu illo pleno usurpat, qui fere idem est ac Paulinus.

Modus loquendi apud Iacobum videtur quidem supponere quaestiones de fide iam fuisse agitatas, cum epistula scriberetur, at non sequitur Iacobum novisse epistulas Pauli aut eas iam fuisse scriptas, cum sine dubio de his questionibus multum actum sit, ut epistulae Pauli demonstrant, cf R 3, 8 et alia, e. g. A 21, 21. Quaestiones vero de iustificatione et lege et fide in Palaestina, in Syria, per totam Asiam et Macedoniam et Achaiam agitabantur, ut nihil definire liceat de provincia et ecclesiis, quibus epistula primario scripta sit. Probabiliorem autem habemus sententiam, quae censet lectores incolere regiones non tam dissitas.

526. *De tempore*, quo epistula composita sit, diversae hodie sunt opiniones.

1. Eorum sententiam, qui epistulam versus finem saeculi primi aut

s. 2 scriptam esse volunt, omittimus, cum nullis argumentis fulciatur et impossibilis sit. Nam status ecclesiarum, prout describitur, sacculo primo iam potest supponi. Testimonia vero scriptorum probant epistulam in fine saeculi primi exstitisse. Nam evidens est Iacobum esse fontem Hermae et Clementis, non ab eis dependere. Modus autem, quo Iacobus doctrinam Christi proponit, quamvis sit similis Evangelio S. Matthaei, tamen non ab eo dependet et exhibet traditionem propriam, quae saeculo 2 non facile supponi potest.

2. Inter eos, qui epistulae genuinitatem defendunt, duae sententiae hodie propugnantur. Alii volunt epistulam scriptam esse ante a. 50, ante epistulas Paulinas et magnas controversias de circumcisione et lege. Doctrinam esse solum moralem, nullas quaestiones de admissione gentilium in Ecclesiam, solam mentionem fieri presbyterorum, non episcoporum et diaconorum, et alia. Huic sententiae accesserunt *Ritschl*, *Beyschlag*, *Schlatter*, *Zahn*. *Mayor*, *Bonnet*, *BWeiss*, ex catholicis *Belser*, *Meinertz*, *Bardenhewer*, *Tobac*.

Rationes autem, quibus suam opinionem commendant, non videntur esse efficaces. Haec omnia possunt post annum 60 non minus recte supponi, et quae de fide dicuntur, ostendunt quaestiones theologicas iam disputatas esse. Ecclesiarum vero status magis respondet tempori posteriori. Quapropter sententia eorum, qui epistulam post a. 50 versus 60 aut paulo postea scriptam esse censent, praeplacet; cf *Chaine*, *LXXXVII*ss.

527. *De argumento et dispositione epistulae.* 1. Quoniam non facile condiciones lectorum ex epistula determinantur, *finis* difficilius circumscribitur et ab aliis aliter concipitur. Recte tamen videmur nobis cum aliis mentem auctoris assequi asserentes eum commendare *veram sapientiam* desursum descendentem, cui opponitur *terrena* (1, 5 ; 3, 13. 15. 17), cf *Cladder*, *Meinertz*. Sed hanc sapientiam Iacobus ideo commendat, quia lectores ea indigent, ut in tentatione et tribulatione patienter et constanter sustineant (1, 2ss ; 5, 7ss) neque amore mundi seducantur (4, 4).

2. Quo autem *ordine* haec exponantur, inter interpretes disputatur. Plerique enim negant accuratam partium dispositionem in epistula inveniri, etsi *Lutheri* iudicio non subscribant, qui a Iacobo ideas sine ordine confundi affirmat. Manifestum quidem est auctorem pluries ad eandem materiam redire (cf de *lingua* 1, 19. 26 ; 2, 12 ; 3, 1ss ; 4, 11 ; de *oratione* 1, 5ss ; 4, 2s ; 5, 13-18). Sed ex hoc non sequitur defectus ordinis, quod eo minus supponendum est, cum in epistula non pauca exempla linguae et generis dicendi emendatioris inveniantur. Omittentes imagines, alliterationes frequentes et paronomasias (cf *Mayor*, CCXXII-CCXXXI), maxime *concatenationes* notamus, quibus sententiae se excipiunt, genus loquendi semiticum, apud Iudaeos saepissime usurpatum, de quo antea

locuti sumus, cf n. 355. Exemplo sit Ja 1, 1-6, χαίρειν-χαράν, ὑπομονήν-ὑπομονή, τέλειον-τέλειοι, λειπόμενοι-λείπεται, αἰτείτω-αἰτείτω, διακρινόμενος-διακρινόμενος. Haec non sine consilio scripta esse patet. Quapropter *Reuss*, *Wiesinger*, alii conati sunt ordinem epistulae investigare, potissimum *StJParry* (A Discussion of the General Epistle of St. James, Ld. 1903) et *HJGladder* S. I. (ZkTh 28 [1904] 37-57. 295-330) dispositionem artificiosam eruere studuerunt. Nimis artificiosa haec fortasse sunt. At plura non male observantur.

a) *Ratio formalis*, sub qua scripta est epistula, est admonitio constantiae et fortitudinis in tentationibus. Hae autem tentationes procedunt ex concupiscentia et amore mundi, deliciarum et divitiarum, et ex animo diviso, qui non unice Deo adhaeret neque cum fiducia ad Deum in oratione accedit. Unde vitia, praecipue ira, dissensiones, iniustitia, superbia, contemptus Dei.

b) *Ordo* autem partium, quamvis liberior sit, non tamen ita nexu destituitur, ut multi, recentissime *MDibelius* (Der Br. des Jak. 1921, 2-10) asserunt.

Intentio auctoris agnoscitur ex monitione 1, 22 « estote factores verbi ». In quo autem hoc consistat, declaratur 1, 26-27, vera *religio* (θρησκεία) est in custodia linguae, in operibus caritatis, in custodia a spiritu mundi. Haec in sequentibus exponuntur.

Atque primo agitur de *fide*, quae personam non accipit (2, 1.9), quae legem *caritatis* observat et misericordiam exercet (2, 8. 12s), quae est viva non mortua (2, 14. 17. 20. 26). Sine qua non est vera legis observatio, sine ea iudicium sine misericordia. Huius vero fidei necessitas ostenditur ex natura rei et ex Scriptura (2, 14-26).

De secundo argumento dubium esse non potest, cum manifeste agat de *linguae custodia* (3, 1-12).

Deinde proponitur *sapientia superna*, quae est sancta et pacifica, cui opponitur *sapientia terrena*, quae est contentiosa, inimica pacis (3, 13-18). Harum autem contentionum et pugnarum radix est concupiscentia et *amicitia mundi* (4, 1. 4s ; cf 1, 27). Mundi amorem cum servitio Dei conciliare student, cum Deus servitium perfectum et subiectionem humilem et veram fiduciam postulet (4, 4-10). Cui subiectioni repugnant, si fratres iudicant aut eis detrahunt sibi arrogantes iudicium divinum (4, 11s). Si postea castigantur illi, qui superbiunt et ita de rebus futuris disponunt, ac si haberent vitae suae dominium, haec gloriatio quoque recte concipitur tamquam spiritus mundi (4, 13-17). Tandem reprehensio sequitur divitum cum exprobratione criminum eorum et denuntiatione iudicii, ut mundani magis terreantur (5, 1-6).

c) Iam si priora consideramus, ante 1, 22 *estote factores verbi* legitur admonitio deponendi iram et omnem malitiam, ut *insitum verbum* Dei recipere possint 1, 19ss. Hoc autem verbo nos Deus genuit, a quo omne bonum descendit 1, 16ss, dum concupiscentia et peccatum generant mortem 1,13ss. Praecedit duplex exhortatio constantiae in tentationibus, in qua fructus tentationis superatae describuntur 1, 2ss. 12. Ab initio iam monentur confugere ad orationem fiducialem et perpendere vanitatem divitiarum 1,5-11. Ita proponuntur ideae postea tractandae et nexus insinuatur.

3. Hisce praemissis ordinem partium ita describimus :

Exordium, inscriptio 1,1.

I. *Introductio* 1, 2-27 : 1. Exhortatio constantiae et gaudii in *tentationibus* 1, 2-4. Ad *tentationes* superandas oratio fiducialis obtinet gratiam et veram *sapientiam* 1,5-8. *Sapientia* ostendit veram Christiani dignitatem et divitiarum vanitatem.

2. *Tentatio* non provenit ex Deo, sed ex concupiscentia et generat mortem 1, 12-15. Omne bonum est ex Deo, qui generat nos ad vitam *verbo* veritatis *insito* 1, 16-18.

3. *Verbum Dei* suscipiendum est sine ira in mansuetudine et opere complendum 1, 19-25 : linguae custodia, caritatis opera, libertas a spiritu mundi 1, 26-27.

II. *Expositio* 2,1-5,6 : 1. *Vera fides* personam non accipit, implet legem regalem *caritatis* et misericordiam excercet, est viva, non mortua. Sine ea non est legis impletio, sed sequitur iudicium sine misericordia 2, 1-13. Huius fidei necessitas probatur ex natura rei et ex Scriptura 2, 14-26.

2. *Linguae* custodia difficillima, sed necessaria, quia lingua fons multorum peccatorum 3, 1-12.

3. *Sapientiae* verae opponitur sapientia terrena, inimica pacis, quae oritur ex concupiscentia et *amicitia mundi*, haec cum amicitia Dei conciliari non postest, repugnat perfecto servitio Dei, subiectioni humili et verae fiduciae 4, 1-10. Qui fratri detrahunt et eum iudicant, arrogant sibi iudicium divinum 4, 11-12. Qui superbiunt et sine Deo de vita sua disponunt, Dei providentiam non agnoscunt, falso gloriantur 4, 13-17. Reprehensione divitum et iudicii denuntiatione mundani terrentur 5, 1-6.

III. *Exhortatio finalis* 5, 7-20. 1. Exhortatio patientiae et constantiae secundum exemplum prophetarum, Iob, Domini 5, 7-12.

2. Exhortatio sinceritatis, orationis (unctio infirmorum), exemplum Eliae 5, 13-18.

3. Cura fratrum errantium, 5, 19-20.

Commentarii : IALiagre, Lov. 1860. *AMessmer*, Brixen 1863. *PSchegg*, M. 1883. *FrSTrenkle*, Fr. 1894. *JBelser*. Fr. 1909. *LGaugusch*, Der Lehrgehalt der Jakobusepistel, Fr. 1914 *IChaine*, P. 1927.

Acatholici : Heisen, Novae hypotheses interpretandae felicius epistulae Iacobi apostoli, Bremen 1739. *ARGebser*, Der R. des Jak., B. 1828. *FrSpitta*, Lp. 1896. *JBMayor*[3], Ld. 1913. *JHRopes*, ICC, Edb. 1916. *Hort*, Ld. 1906.

PFeine, Der Jakobusbr., W. 1893, *BWeiss*, Der Jakobusbr. u. die neuere Kritik, Lp. 1904. *ATRobertson*, The Wisdom of James, Ld. 1916. *Hanck*, 1926.

§ 3. De prima epistula S. Petri Apostoli

528. *De S. Petro.* Simon Ioannis vel Ionae (J 1, 43 ; 31, 15ss forma abbreviata nominis Ioannis) Galilaeus (Bethsaida) cum Andrea fratre discipulus Ioannis Baptistae a fratre ad Iesum adductus ab eo agnoscitur et novo nomine Cephae (Petri) insignitur, J 1, 40ss.

1. Per miraculum piscationis (L 5, 1-11) ad sequelam perfectam vocatus omnia reliquit, familiam, quaestum et Christo totus adhaesit. In apostolorum numerum receptus primum inter eos locum obtinuit, Mt 10, 2 ; Mr 3, 16 ; L 6, 14 ; A 1, 13. Cum Iacobo et Ioanne Domino prae aliis est dilectus et testis miraculorum resuscitationis filiae Iairi (Mr 5, 37), transfigurationis (Mr 9, 2), agoniae in horto (Mr 14, 33). Petrum autem respondisse electioni divinae et fide in Christum excelluisse permultis factis probatur, ut Mt 14, 28-31 ; J 6, 68s ; 13, 6-9. 24 ; 18, 10 ; 20, 2-10 ; 21, 7. 15ss. Quae fides etsi ab initio nondum fuerit perfecta, sed nimia fiducia propria infecta et praepropera, ut in passione Domini eum negaret, a Domino tamen benigne suscipitur et corrigitur, et Petrus post suam confessionem promissione primatus remuneratur (Mt 16, 16-19), quod confirmatur occasione solutionis didrachmi 17, 24-27, et sollemni collatione J 21, 15-19, cum qua coniungitur promissio mortis gloriosae pro Christo, cf J 13, 36 et 21, 18s.

Petrum intima amicitia cum Ioanne fuisse coniunctum iam diximus. Post resurrectionem Christus ipsi apparuit, L 24, 34 ; 1 C 15, 5, post ascensionem vero in apostolorum collegio primas agit partes in electione Matthiae A 1, 15-22, in die Pentecostes 2, 15ss, in sanatione viri claudi 3, 1ss. 12ss, coram synedrio 4, 8ss. 19, in correptione Ananiae et Saphirae 5, 1-11, denuo coram synedrio 5, 29ss, in missione ad Samaritanos 8, 14-23, in Aenea et Tabitha curandis, in Cornelio ad fidem adducendo 9, 32-10, 48. Tandem Petrus commemoratur in Actis 15, 7ss, ubi in concilio Apostolorum legis obligationem negat et fidei necessitatem docet. Post haec Petrus fortasse Ierusalem reliquit, ut eo non iam rediret. Ex Paulo (G 2, 11) scimus eum Antiochiam venisse, quod factum esse videtur post Apostolorum concilium. Traditio Petrum habet fundatorem ecclesiae Antiochenae (*Euseb.* Chronicon 2, 2058 ad a. Chr. 44, EH 421), secundum Librum Pontificalem septem annis ecclesiam rexit. At haec probabilitate historica carere patet.

2. Post Iacobi martyrium Petrus quoque morti ab Agrippa addictus erat, sed ab angelo liberatus in alium locum abiit, A 12, 17. Traditio fere unanimis est in interpretando hoc loco de itinere romano a Petro eo tempore suscepto. Unicus *S.Ephraem* loquitur de secessione in Caesaream. *Eusebius* (Chronic. ad a. 2 Claudii) dicit hoc factum esse secundo Claudii anno (42), in HE (II 14, 6) asserit divinam providentiam contra Simonem magum Petrum adduxisse Romam. Non autem tradit, quando hoc fuerit, neque, num haec ex Clemente Alex. habeat (Hypotypos. lib. 6). Narrat enim in eodem contextu Marcum cum Petro fuisse et Romanis petentibus Ev scripsisse, quod initio imperii Claudii factum esse non potest. Cum Claudius autem usque ad a. 54 regnaverit, nulla est difficultas, quominus admittamus Marcum tempore Claudii cum Petro Romae versatum esse. Neque quidquam habet improbabilitatis Petrum initio imperii Claudii per aliquod tempus Romae fuisse. Quae *Hieronymus* (de vir. ill. 1), *Orosius* (hist. 7, 6) tradunt, ab Eusebio pendere videntur. Quare non sunt testimonia independentia.

3. Petrum vero Romae versatum esse multis testimoniis Eusebio et Hieronymo antiquioribus probatur, ita ut de hoc facto non dubium esse possit. Iam diximus *Clementem* Alex. traditionem de Petro et Marco referre. Antea vero testes sunt *Irenaeus*, *Tertullianus*, *Dionysius Corinthius*, *Ignatius M.* (ad Rom. 4, 3), potissimum *Clemens Romanus* (5-6), qui fere aequalis apostolorum fuit (cf *Dieckmann*, De Ecclesia I n. 484-496, *HLietzmann*, Petrus u. Paulus in Rom, Bonn 1915).

4. Quae autem itinera apostolica Apostolus praeterea instituerit, traditum non est. Ex Paulo 1 C 9, 5 discimus Petrum c. a. 56 iam plures expeditiones suscepisse. Ex iis quae Paulus in eadem epistula de Cepha 1, 12 ; 3, 22 scribit, et *quae Clemens Rom.* 47, 3s tangit, non cum certitudine efficitur Petrum Corinthi fuisse, etsi probabiliter asseritur. *Dionysius Cor.* vero (*Euseb.* HE II 25, 8) c. 170 ad Romanos scribens affirmat Petrum Corinthi praedicasse. Eodem autem loco tradit Petrum et Paulum Romae eodem tempore martyrium subiisse. Petrum autem crucifixum esse *Origenes* refert (in Gn t. 3, cf *Euseb.* HE III 1, 2), capite deorsum demerso, sicut ipse pati postulaverat. *Tertullianus* quoque crucis martyrium testatur (Scorpiace 15, De praescript. haer. 36, cf adv. Marc. 4, 5). Martyrii autem testes iam sunt *Clemens* et *Ioannes* in Ev suo.

Quo anno Petrus mortuus sit, controvertitur. Secundum Chronicum Eusebii persecutio Neroniana, in qua Petrus et Paulus gloriose Romae occubuerunt, facta est a. 14 Neronis; sed cum incendium urbis a. 64 fuerit, persecutio non videtur a. 67 demum exorta esse. Propterea non pauci ex recentioribus, *Duchesne*, *Zahn*, alii, censent martyrium iam a. 64 fuisse. Si autem apostoli simul mortui sunt, cum Paulus certo a. 64 nondum passus sit, sequitur Petrum quoque versus finem imperii Neronis mortuum esse.

529. Petro adscribuntur duae epistulae. Epistula prima Petri inscripta est ἐκλεκτοῖς παρεπιδήμοις διασπορᾶς Πόντου, Γαλατίας, Καππαδοκίας, Ἀσίας καὶ Βιθυνίας 1, 1. Comprehenduntur igitur fere omnes regiones Asiae minoris. Non autem constat, num enumerentur provinciae romanae, cum Pontus (polemoniacus) a Nerone demum in provinciam redactus sit (cf *Euseb.* Chronic. ad a. 11 Neronis) et aliae partes Ponti ad Galatiam et Bithyniam pertinerent. Ordo autem enumerationis non est geographicus, cum Cappadocia per Galatiam a provinciis occidentalibus Asia et Bithynia separetur.

Quibus vero ex causis Apostolus motus sit his ecclesiis scribere, ex epistula ipsa aliquomodo elucet. Sed cur Petrus scripserit, non tam certum est. *Origenes* quidem (*Euseb.* HE III 1, 2), quem sequitur Eusebius (HE III 4, 2), supponit eum Ev in his provinciis praedicasse. Eandem sententiam tenent *Hieronymus*, *Leo M.*, alii. At ex modo loquendi apparet Origenem non secutum esse traditionem, sed hoc ex ipsa epistula

deduxisse. Verba autem Apostoli potius insinuant eum lectores suos non vidisse. Praeterea Galatia, Asia habent Paulum tamquam fundatorem suarum ecclesiarum.

Quia inscriptio dirigitur ad Christianos « dispersionis », antiqui interpretes (*Euseb.* l. c.) et ex recentioribus plures, *Caietanus*, *Erasmus*, *Grotius*, *Hug*, *BWeiss*, alii censent lectores fuisse ex Hebraeis ad fidem conversos. Attamen haec sententia epistula accuratius inspecta teneri non potest, sed maior pars fidelium ex gentibus conversa est. Nam Apostolus loquitur de desideriis, quibus prius tempore ignorantiae oboedierant 1, 14, cum agerent vitam vanam a parentibus traditam 1, 18. Jam vero vocati sunt a Deo ex tenebris in admirabile lumen eius. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei 2, 9s. Sufficit praeteritum tempus consummasse gentium studia, cum ambularent in luxuriis, concupiscentiis, vinolentiis, comessationibus et nefasto idolorum cultu 4, 3. Ex quibus patet lectores primario esse ex gentibus. Sed sententiam *Estii*, *Cornelii a Lapide*, *Lorini*, *Cornely*, *Jacquier*, aliorum, qui ecclesias illas Iudaeochristianos quoque numerasse censent, omnino admittimus, cum constet in tota Asia minore Iudaeos fuisse, et explicitis testimoniis Actuum comprobetur ecclesias Paulinas illarum regionum aliquos saltem habuisse Iudaeos conversos. Nihilominus in epistula Petri ad hos non directe alluditur.

530. Epistulae *occasio* et *finis* ex pluribus locis sufficienter determinatur. 1. Apostolus enim in fine rationem suae intentionis reddit scribens : ἔγραψα παρακαλῶν καὶ ἐπιμαρτυρῶν ταύτην εἶναι ἀληθῆ χάριν τοῦ Θεοῦ, εἰς ἣν στῆτε 5, 12. Exhortatur igitur fideles, ut teneant hanc gratiam neque propter tentationes et tribulationes dubitent et animo cadant. Revera ab initio epistulae admonet eos spei proponens gloriam 1, 3-12. 21 ; 4, 13 ; 5, 10.

2. Haec autem exhortatio necessaria est, quia variae tentationes obortae sunt aut supponuntur excitatum iri. Aliquando enim Petrus loquitur ita, ut praesentes passiones respiciat, aliquando eas tantum ut futuras considerat. « Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet « 5, 6. Quae verba supponunt tribulationes iam praesentes. Idem in sequentibus insinuatur, dum Apostolus hortatur ad fortitudinem contra diaboli infestationes dicens : « scientes eandem passionem fratribus vestris in (toto) mundo excitari » 5, 8s. Aliis vero in locis potius de futuris tribulationibus et persecutionibus sermo est, quae tamen instare videntur. Ita 1,6 ὀλίγον ἄρτι εἰ δέον λυπηθέντες ἐν ποικίλοις πειρασμοῖς. 3, 14 ἀλλ' εἰ καὶ πάσχοιτε διὰ δικαιοσύνην, μακάριοι 3, 17. κρεῖττον γὰρ ἀγαθοποιοῦντας, εἰ θέλοι τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, πάσχειν ἢ κακοποιοῦντας. 2, 19 τοῦτο χάρις, εἰ διὰ συνείδησιν θεοῦ ὑποφέρει τις λύπας πάσχων ἀδίκως.

4, 12 μὴ ξενίζεσθε τῇ ἐν ὑμῖν πυρώσει πρὸς πειρασμὸν ὑμῖν γινομένῃ, ἀλλὰ καθὸ κοινωνεῖτε τοῖς τοῦ Χριστοῦ παθήμασιν χαίρετε... εἰ ὀνειδίζεσθε ἐν ὀνόματι Χριστοῦ,

μακάριοι... εἰ δὲ ὡς Χριστιανός, μὴ αἰσχυνέσθω... ὥστε οἱ πάσχοντες κατὰ τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ 4, 14-19.

3. Ex his vero Petri verbis non concludendum est persecutionem publicam ex parte magistratuum romanorum iam ortam esse aut immediate orituram exspectari. Videtur enim magis agi de vexationibus cotidianis, quibus Christiani ubique expositi erant, cf 5, 9, de calumniis et oblocutionibus 2, 12. 15 ; 3, 16. Tamquam malefactores diffamabantur ab hominibus ignorantibus et malevolis. Ratio autem aliquomodo erat Christianorum vita, qui se separabant a gentibus neque iam partem habebant in festis, epulis celebrandis 4, 4. Praeterea facile expositi erant accusationibus coram magistratibus, ut Paulus et ecclesiae ab ipso fundatae, cf 1 Th 1, 6 ; 2, 14s ; 3, 2. 5 ; 2 Th 1, 4ss ; Ph 1, 28ss. Haec autem servis multo magis obtingere potuerunt, cum potestati dominorum in omnibus subessent, cf 2, 18-23. Unde propter fidem multis vexationibus obnoxii erant.

4. Quia vero omnium fere contemptus et odium in Christianos convertebatur, Apostolus monet, ut per bonum exemplum et vitam vere sanctam haec praeiudicia dissipent, ut ex bonis operibus agnoscantur et infideles in die visitationis divinae Deum propterea laudent 2, 12. Christiani rationem suae spei reddere parati sint, cum mansuetudine et timore, ut adversarii confundantur. Idem Apostolus commendat mulieribus, ut viros infideles conversatione et exemplo sine verbo ad fidem perducant 3, 1s.

5. Causa vero, cur Petrus apostolus his Christianis scripserit, cum non ipse eorum apostolus fuerit, videtur petenda esse ex eius apostolica auctoritate. Ab amicis enim et discipulis potuit certior factus esse de difficultatibus, quibus ecclesiae Asiae minoris premebantur, quae eorum constantiam et fiduciam et fidei alacritatem labefactare poterant. Cum *Silvanus* in epistula scribenda apud Petrum versetur, per ipsum fortasse Apostolus edoctus est de statu ecclesiarum. Paulum enim in secundo itinere apostolico comitatus erat. Praeterea Marcus cum Petro est (5, 13). Cum Paulo antea autem videtur in Asia fuisse, quia hic in ep. ad Colossenses eius mentionem facit et eum in Asiam mittit, C 4, 10. Cur autem non ipse Paulus curam fideles exhortandi susceperit, ex eo explicari potest, quod illo tempore alio profectus erat (in Hispaniam ?).

531. *De ordine et dispositione epistulae.* Argumentum epistulae est pro eius indole fere integre exhortatorium.

Plerumque distinguunt tres partes 1, 13-2, 10 ; 2, 11-4, 6 ; 4, 7-5, 11. Exhortatio generalis, monita specialia, monita, quae magis vitam socialem aut iudicium futurum spectant. Alii vero negant strictam divisionem in epistula haberi. Sed ordo et nexus partium satis agnoscitur ; hac fere ratione describi potest.

Exordium 1, 1-2, inscriptio.

1. Apostolus describit cum laude Dei spem christianam, ad quam lectores vocati sunt, cuius excellentiam agnoscunt ex prophetis et angelorum desiderio 1, 3-12.

2 Ex quo consequitur obligatio et exhortatio vitae sancte agendae et vitandi peccata, ex quibus sanguine Christi redempti sunt (caritas) et regenerati et tamquam vivi lapides superaedificantur Christo 1, 13-2, 10.

3. Admonitio vitae sancte agendae, ut infideles bono exemplo alliciantur et glorificent Deum 2, 11-4, 6.

a) Praemittitur admonitio et motivum 2, 11-12.

b) sequuntur exhortationes ad singulos status, generalis admonitio subiectionis 2, 13-17 ; ad servos secundum exemplum Christi 2, 18-25 ; ad mulieres 3, 1-6 ; ad viros 3, 7 ; ad omnes admonitio caritatis, amoris inimicorum, pacis 3, 8-12.

c) exhortatio constantiae in passionibus et spiritus apostolici, ut memores exempli Christi et praemii patienter sustineant 3, 13-22.

Christi passio simul est admonitio moriendi peccato et concupiscentiae 4, 1-6.

4. Memores iudicii divini vigilent in orationibus et exercitio caritatis mutuae, respicienda in omnibus gloria Dei 4, 7-11. Quam gloriam in passionibus quoque respiciant, in quibus Deus iudicium exercet in domum suam 4, 12-19.

5. Ultima monita : pastoribus cura sollicita gregis commandatur 5, 1-4 ; omnibus subiectio et fiducia in Deum et fortitudo contra diabolum cum promissione auxilii divini 5, 5-11.

Epilogus : Finis epistulae, salutationes, benedictio 5, 12-14.

532. *De epistulae genuinitate.* 1. Ex historia canonis constat epistulam fuisse semper inter eas, quae omnium consensu receptae erant.

Ratio quidem propter quam *fragm. Muratorianum* epistulam non commemoret non est obvia, cum Iudae epistula et duae Ioannis in hoc canone testimonium habeant. Censemus textum esse corruptum. Nam Latini omnes epistulam agnoscunt. *Tertullianus* (Scorp. 12 « Petrus ad Ponticos», cf 6. 12), *Cyprianus* catalogi omnes. *Irenaeus* (IV 9, 2 ; 16, 5. V 7, 2) epistulam sub Petri nomine affert, *Origenes* eam dicit ab omnibus receptam (cf *Euseb.* HE VI 25, 5. 8), *Eusebius* epistulam dicit in tota antiquitate sine contradictione receptam (III 3, 1. 4). Ex testibus secundi saeculi *Pastor Hermae* allegat 1 P 1, 7 Vis. IV 3, 4 ; fortasse 5, 7 Vis. II 11, 3 (sed cf Ps 54, 23). Secundum *Eusebium* (HE III 39, 17) *Papias* affert testimonia ex 1 P.

Praeclarum verso testimonium epistulae initio saeculi secundi exhibet *Polycarpus*, qui vix alia epistula toties utitur quam hac. Plures autem

loci ita cum Petro conveniunt, ut nullum dubium esse possit, quin Polycarpus epistulam optime noverit. Allegationes certae sunt 1,3 cf 1 P 1, 8 ; 2, 1 cf 1 P 1, 13. 21 ; 2, 2 cf 1 P 3, 9 ; 5, 3 cf 1 P 2, 11 ; 7, 2 cf 1 P 4, 7 ; 8, 1 cf 1 P 2, 22. 24 ; 10, 2 cf 1 P 5, 5 ; 10, 2 cf 1 P 2, 12. Accedunt allusiones satis certae, ut 8, 2 cf 1 P 4, 15s ; 8, 2 cf 1 P 2, 21 et aliae, quae eo certiores sunt, quia constat Polycarpum epistulam tantopere adamasse. Quoniam vero epistula suam habet et semper habuit *inscriptionem* et *subscriptionem*, inepte ab aliquibus dubitatum est, num Polycarpus epistulam Petro tribuerit.

Ignatius M. eodem tempore quo Polycarpus ad epistulam alludit, ad Magnes. 13, 2 cf 1 P 5, 5. *Clemens Rom.* 16,17 (33, 8) cf 1 P 2, 21 ; 49, 5 cf 1 P 4, 8.

Haec testimonia ostendunt, quam recte Eusebius epistulam tamquam indubitatam et omni ex parte comprobatam appellare potuerit.

2. Congruit autem huic testimonio externo ipsa epistula. Non solum enim inscriptio eaque fere ieiuna Petrum auctorem dicit, sed *Marci* filii Apostoli commemoratio idem comprobat (5, 13). Neque apparet, cur falsarius *Silvani* mentionem fecerit, qui neque in Actis neque apud Paulum umquam cum Petro nominatur.

Quae Apostolus 5, 1 ss (cf 2, 25) monet, magnopere commendant traditionem. Auctor enim se appellat testem passionum Christi, ita de officiis presbyterorum, de grege pascendo, de Christo principe pastorum loquitur, ut haec optime conveniant cum iis, quae Petrus toties a Domino audivit, et quae ipsi commendata et demandata sunt, cf J 21, 15ss ; L 12, 41ss ; Mt 18, 21 ; 20, 24ss ; L 22, 24ss ; J 13, 12ss ; 10, 11ss. Alia alludunt ad sermonem montanum, cf 2, 12 ; 3, 14 ; 4, 14 et Mt 5, 11-16. Allusio ad Mt 21, 42 vocem Domini de lapide offensionis 1 P 2, 4ss et A 4, 11. Frequens vero memoria passionis Christi (1, 11. 19ss ; 2, 4. 7. 21-25 ; 3, 18-22 ; 4, 1. 13s) respondet iis, quae Petrus in Actis docet, cf 2, 23ss ; 3, 13ss ; 4, 9ss ; 5, 30s ; 10, 36-42 ; 15, 7-11.

533. Contra epistulae genuinitatem ab initio saeculi 19 permulta dubia proposuerunt *Cludius* 1808, *Reuss*, *Baur*, *Hilgenfeld*, *Schürer*, *Davidson*, *Aubé*, *Harnack*, *HJHoltzmann*, *Jülicher*, *Knopf*, alii.

a) Quaerunt enim, cur Petrus in hac epistula tam pauca ex Christi vita et doctrina afferat. Sed posset quis interrogare, cur in tam parva epistula tam multa tangat, idque in epistula, quae prosequitur finem practicum, quae destinata est ad Christianos iam doctrina Evangelii imbutos. Neque dubitamus, quin eidem critici, si Petrus plura magis concreta et singularia proferret, ex hoc ipso argumentum confictionis desumpturi fuissent, quod revera in 2 P faciunt.

b) Alterum est quod movent, affinitatem intimam epistulae cum Paulo. Neque enim negari potest exsistere varias relationes inter 1 P et epistulas ad Romanos, Ephesios et alias aliquas. In gratiarum actione E et 1 P plura similia sunt, praeterea cf 1 P 2, 13 et E 5, 21 ; 1 P 1, 13 et E 6, 14 ; 1 P 3, 1 et E 5, 22 ; 1 P 3, 22 et E 1, 20s ; 1 P 5, 10 et E 3, 2, et alia. Maxime notant 1 P 3, 19 descensum ad inferos et E 4, 9. Sed patet ultimum locum nihil habere commune cum 1 P, cum Paulus non de descensu loquatur, sed de incarnatione. Ex aliis plura sunt communia doctrinae christianae, alia ex Ev non minus nota sunt, quam ex Paulo, cf 1 P 1, 13 et L 12, 35. Ex epistula ad Romanos conferuntur 12, 3-8 et 1 P 4, 10s ; 12, 1 et 1 P 2, 5, fortasse etiam quae de subiectione monentur 1 P 2, 13-17 et R 13, 1ss ; aut 1 P 2, 6-8 et R 9, 33, ubi in eodem contextu allegatur Is 8, 14 et 28, 16. Allegantur quidem, sed non eodem ordine neque apud Petrum hi duo textus immediate sequuntur. Petrus suum textum non potest habere ex Paulo, et ipse Dominus textum alterum iam adhibuit.

Sed supponamus Petrum novisse epistulas Paulinas et eas in sua epistula scribenda adhibuisse, quod non est improbabile, quid inde contra genuinitatem epistulae efficitur ? Ceterum falsum omnino est, quod *Jülicher* inepte asserit, Petrum imitando Paulum et eum exscribendo suam epistulam composuisse neque quidquam ex proprio ingenio addidisse. Quicumque enim attente hanc Petri epistulam perlegerit, fatebitur eam aptissime et perpulchre et efficaciter ideas redemptionis et salutis proponere et ex eis motiva fidelitatis et fiduciae desumere. Petrum vero eandem doctrinam de redemptione semper habuisse ac Paulum et Ioannem certo constat, neque eo reicitur, quod aliqui ex criticis adhuc constricti ideis olim propositis a *Baur* et eius asseclis hoc non intellegunt.

Quod linguam et affinitatem cum Paulo attinet, haec supposita collaboratione Silvani facillime explicantur. Unde ex lingua graeca, quae non caret puritate et elegantia, nihil contra Petri auctoritatem consequitur. Petrus vero, si Roma scripsit, ubi Paulus paulo antea per duos annos commoratus erat, eo facilius Pauli epistulam ad Rom novit, et si Silvani auxilio usus est in scribendo, color Paulinus magis etiam declaratur. Cur vero non Marci sed Silvani operam adhibuerit, intellegitur, cum Silvanus secundum A 15, 22 fuerit inter ἄνδρας ἡγουμένους et propheta 15, 32. Verbis enim Petri διὰ Σιλουανοῦ ἔγραψα (5, 12) potest significari tum epistulae librarius tum nuntius, qui epistulam affert.

c) De relationibus inter Jac et 1 P egimus antea, n. 523. Alia proferuntur ex epistula ad Hb. Sed perperam quis concluderet Petrum omnia haec scripta excerpsisse. Plura derivantur ex VT^{o} communi fonte omnium scriptorum NT^{i}, alia pertinent ad communem doctrinam, quae eo tempore iam terminologia certa utitur, cuius rei epistulae Paulinae testes sunt.

534. *De tempore et loco compositionis epistulae.* 1. Ex epistulae inscriptione docemur religionem christianam iam per totam Asiam minorem esse propagatam. Quare epistula non potest esse scripta ante a. 60.

Nam in tertio demum itinere S. Pauli Asia provincia Evangelio patefacta est. Status autem ecclesiarum videtur supponere primas fundationis difficultates esse superatas. Externae vero condiciones, gentium detractiones, calumniae, delationes coram magistratibus, de quibus agitur, epistulis Paulinis testibus ab initio in ecclesiis novis acciderunt. Quoniam autem non agitur de aperta persecutione, ut demonstravimus, recentiorum sententia, qui epistulam tempori persecutionis Domitiani adscribunt, omni fundamento caret. Persecutionem vero Neronianam iam exortam esse, ex epistula ostendi non potest. Quapropter ante aestatem a. 64 epistulam scriptam esse censemus.

2. Epistula scripta est ex Babylone urbe, ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτή 5, 13. Quae autem ecclesia hoc nomine designetur quaeritur.

A scriptoribus posterioribus syriacis videtur supponi Babylon in Mesopotamia et ex recentioribus aliqui eandem opinionem propugnant. Sed antiqua traditio Syrorum aliter sensit neque umquam gloriatur de Evangelio accepto per principem Apostolorum, neque alia traditio nota est, qua haec interpretatio commendetur. Si *Holtzmann* cum aliis monet auctorem epistulae sequi in enumerandis provinciis ordinem geographicum incipiendo ab oriente, eum proinde esse in oriente, falsum asserit, cum primo loco nominanda fuisset Cappadocia, Galatia tertio loco. Praeterea eo tempore Babylon erat potius *magna* solitudo quam *magna urbs* (*Strabo* XVI 1, 5). Castra vero militaria, quae in Aegypto sita erant et nomine Babylonis appellabantur, tum vix nota erant, neque Petro adscribitur fundatio ecclesiarum Aegypti (cf *Strabo* XVII 1, 30). Quare veterum sententia, quam plerique recentiorum sequuntur et *Eusebius* (HE II 15, 2) iam ut *traditam* commemorat, retinenda est, nomen symbolice intellegendum esse et significare *Romam*. In Ap 14, 8 ; 17, 5 ; 18, 2 ; in 4 Esd 3, 1 ; Apocal. Baruch 11, 1, in Sibyllinis 5, 159s idem occurrit, et generatim apud Iudaeos usus invaluerat Romam nomine symbolico appellandi Babylonem. In epistula vero nostra Petrus ab initio utitur locutione symbolica alloquens lectores suos « electos advenas dispersionis » 1, 1 ; in fine appellans ecclesiam, ex qua scribit « coëlectam » 5, 13.

§ 4. De secunda S. Petri epistula

535. 1. *De argumento epistulae.* Epistula est exhortatio ad Christianos, ut memores suae vocationis et gratiae Dei fidem exercitio virtutis confirment, ne in peccata priora relabantur et seducantur per falsos doctores neque dubitent de futuro adventu Christi.

Ex descriptione pseudodoctorum haec eruuntur : negant Christi redemptionem, Deum blasphemant, angelos contemnunt, libertinismum praedicant et vita sua profitentur, tandem parusiam in dubium vocant.

2. *Ordo* autem sententiarum hic est :

Exordium 1, 1-2, inscriptio.

1. *a*) Apostolus admonet fideles donorum Dei, quae praecipue in consortio divinae naturae consistunt, ut horum memores vitam agant secundum fidem et hac ratione crescant in cognitione Christi et suam vocationem confirment et ingressum habeant in regnum aeternum 1, 3-11.

   b) Rationem suae exhortationis reddit mortem propinquam, motivas suum ipsius testimonium, tamquam testis gloriae Christi et propheticum sermonem 1, 12-21.

2. Pericula describuntur, quae ex falsis doctoribus proveniunt 2,1-3,13.

a) Sicut in VT° fuerunt pseudoprophetae, ita in NT° pseudodoctores, qui Dominum negaturi sunt et multos seducent 2, 1-3a.

b) Sed iudicium divinum non effugient, sicut iudicium in impios saepe supervenit 2, 3b-8.

c) Eadem ratione iudicium divinum in illos futurum est, qui nunc suis blasphemiis et vitiis carnalibus alios seducunt et severiori iudicio obnoxii fiunt, quam ante fidem acceptam 2, 9-22.

d) Contra irrisores, qui parusiam Domini negant, Apostolus affirmat interitum huius mundi 3, 1-7 ; dilationem parusiae ex longanimitate repetit, sed Domino apparente repentinam perniciem venturam, quam sequetur innovatio creationis pro fidelibus 3, 8-13.

Epilogus : Admonitio, ut Dominum exspectent et sollicite vigilent, ut in gratia et agnitione Christi crescant 3, 14-18 (absolvitur *doxologia*).

Ex eo quod pluries sermo est de agnitione Dei et Christi (1, 2 ἐν ἐπιγνώσει τοῦ θεοῦ καὶ Ἰησοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν ; 1, 3 διὰ τῆς ἐπιγνώσεως τοῦ καλέσαντος ; 1, 8 εἰς τὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπίγνωσιν ; 2, 20 ἐν ἐπιγνώσει τοῦ Κυρίου καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ ; 3, 18 ἐν χάριτι καὶ γνώσει τοῦ Κυρίου ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ, cf 1, 5s ; 2,21), recte nobis videmur concludere pseudodoctores iactasse scientiam profundiorem et hac ratione multos seduxisse. Quapropter Apostolus veram scientiam et cognitionem et eius obiectum docet, similiter ut S. Paulus in sua ad Colossenses epistula.

536. *De auctore epistulae.* In inscriptione legitur nomen Συμεὼν Πέτρος δοῦλος καὶ ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ 1, 1. Postea auctor provocat ad suam coram Christo transfigurato praesentiam 1, 16ss. Paulum appellat *fratrem* 3, 15. Mortem suam instare affirmat 1, 14. Epistula ipsa igitur ex inscriptione et modo loquendi Petrum auctorem esse proclamat.

Nihilominus nullus est in NT liber, cuius genuinitas tantopere oppugnetur, ac 2 P. Paucissimi enim sunt hodie inter acatholicos, qui epistulam a Petro apostolo scriptam esse concedant. Argumenta autem desumunt et ex defectu testimoniorum externorum et ex ipsa indole libri.

Testimonia epistulae. *a*) Testis indubius epistulae est *Origenes*, qui in hom. 7, 1 in Jos 2 P cum aliis libris NT[1] sine haesitatione enumerat (cf n. 28, 2). Alibi allegationes ex epistula affert, cf hom. 4, 4 in Lv *(Petrus)*, hom. 13, 8 in Nu *(Scriptura)*. Simul autem attestatur epistulam non ab omnibus admitti (cf *Euseb.* HE VI 25, 7-10 ; in J t. 5, 3 ; 6, 35 ; in Mt t. 17, 30). Secundum Eusebii et Photii verba prius laudata *Clemens Alex.* omnium epistularum catholicarum breves expositiones scripsit non omittens disputatas, « Iudae dico et reliquas catholicas ». Quamvis autem hodie in latina versione 2 P desideretur, non dubitandum est de Eusebii testimonio, quod per Photium, testem independentem comprobatur (Biblioth. Cod. 109). In scriptis Clementis, quae ad nos pervenerunt, tantum allusiones ad 2 P habentur. *Firmilianus* aequalis Origenis ad Cyprianum scribens mentionem facit Petri et Pauli, « qui in epistulis suis haereticos exsecrati sunt et ut eos evitemus monuerunt ». Quoniam vero 1 P nihil de haereticis tradit, altera epistula fere integra eos oppugnat, Firmilianus certus testis nostrae epistulae habetur.

b) Ex s. 2 explicita testimonia non afferuntur, sed allusiones apud plures scriptores inveniuntur. Non semel allegatur effatum « dies Domini sicut mille anni », *Barn.* 15, 4 ; *Iustinus*, Dial. 81, 3 ; *Irenaeus* V 23, 2, et 28, 3 ; *Hippolytus* in Dn 4, 24. Quae verba similitudinem quidem in Ps 89, 4 habent, sed contextus est alius et forma longius distat a 2 P 3, 8. Apud *Iustinum* praeterea in Dial. 82, 1 in eodem contextu plures locutiones cum 2 P 2, 1 ita conveniunt, ut litteraria dependentia aperta sit. *Hermas* Vis IV 3, 4 videtur alludere ad 2 P 1, 4 aut 2, 20 ; Sim. VIII 11, 1 alludit ad 2 P 3, 9. Epistula ecclesiae Lugdun. cum 2 P 1, 8 convenit (*Euseb.* HE V 1, 45). Allusiones *Clemens* Rom. ad 2 P 2, 5 (9, 4) ; ad 2, 6s (11, 1)[1].

c) Exeunte s. 3 et ineunte 4 in Dialogo Adamantii (c. 300) allegatur 2 P 3, 15 de Paulo et eius epistulis, et ex contextu elucet auctorem habere epistulas omnes velut receptas ab Ecclesia. *Methodius* (c. 300) pluries ad 2 P alludit, uno loco (Pitra, Analecta Sacra III 610s) 2 P 3, 8 allegatur expresso nomine Petri apostoli (quem locum Bonwetsch, ed. Lp. 1917, 423s ut spurium reicit, sed non habetur discrepantia a doctrina Methodii, sed potius concordia, cf Symposium 4, 4 ; 9, 3. 5). Certa allusio ad 2 P 2, 13s habetur Sympos. 4, 4, ubi cum Petro communes sunt voces δελεάζουσιν, ἡδοναῖς, πρὸς ἀπάτην. Paulo postea *Eusebius* traditionem ita exponit, ut 2 P cum aliis inter antilegomena enumeret, quae tamen apud plerosque agnoscantur (HE III 25, 3 cf 3, 4).

d) Saeculo 4 apud *Alexandrinos* epistula in canone habetur (cf *Athanas*).

1. De inscriptione inventa Stratoniceae in Caria, in qua plures termini leguntur ex 2 P 1,3-7. 11 noti, cf *Deissmann*, Bibelstudien 92. 277-284.

Didymus quidem in latina interpretatione dicit epistulam esse falsatam neque canonicam (ML 39, 1774), sed cum in suis scriptis pluries epistulam ut *scripturam* afferat (De Trin. 1, 15. 28s ; MG 39, 313. 409. 416), non est dubium, quin verba supra laudata non sint Didymi.

e) Catalogi *occidentales* omnes (excepto Murat.) epistulam enumerant. *Hieronymus* de vir. ill. 1 ut saepe priorum sententiam refert scribens : « Petrus ...scripsit duas epistulas, quae catholicae nominantur, quarum secunda a plerisque eius esse negatur propter stili cum priore dissonantiam ». Idem tangit ad *Hedib.* ep. 120, 11. « Duae epistulae, quae feruntur Petri, stilo inter se et charactere discrepant structuraque verborum. Ex quo intellegimus pro necessitate rerum diversis eum usum esse interpretibus ». Ad *Paulinum* ep. 53, 8 scribit de septem epistulis, alibi 2 P allegat.

f) Apud *Syros* epistulam non receptam fuisse constat. *Armeni* autem eam ab initio in suo canone habuerunt. *Copticae* versiones consentiunt.

Testimonia igitur externa, etiamsi non tam plenam fidem faciunt, tamen non desunt et ostendunt epistulam saltem initio saeculi secundi exstitisse. Cum autem inscriptionem prae se ferat, cum auctor ad transfigurationem Christi provocet, cuius testis fuerit, manifestum est epistulam poscere agnitionem ut Petrinam et eos qui illam allegant, hanc fidem ipsi concedere.

Argumenta deinde *interna* suffragantur genuinitati.

Locutiones eaedem in utraque epistula leguntur, cf inscriptio « gratia et pax multiplicetur ». Praeterea 1 P 1, 15 ; 2, 9 et 2 P 1, 3, « Deus qui vocavit nos » ; 1 P 2, 2 et 2 P 3, 18 « crescere in verbo in salutem, crescere in gratia et agnitione » ; 1 P 1, 23 ; 2, 1s et 2 P 1, 4 idea *regenerationis* ; 1 P 1, 10ss et 2 P 1, 19ss prophetae a S. Spiritu de Christo edocti. *Voces* utrique epistulae communes, in aliis NT[1] libris rarius occurrentes ἀναστρέφεσθαι, ἀναστροφή, ἀπόθεσις, ἀρετή ; ἀμώμου καὶ ἀσπίλου I 1, 19, ἄσπιλοι καὶ ἀμώμητοι II 3, 14 ; δηλοῦν, διάνοια, ἐλευθερία, ἰσχύς, κοινωνός, κομίζειν, κρεῖττον, μακροθυμία, πλανᾶσθαι, προγινώσκειν, σκότος, στηρίζειν, τηρεῖν (sensu proprio), τιμὴ καὶ δόξα I 1, 7 ; II 1, 17, τίμιος. Cum *Jacquier* notamus auctorem utriusque epistulae ad eadem vocabula aut sensa redire, quod omnium quidem auctorum semiticorum aliquomodo proprium est, sed peculiari ratione hic observatur.

537. Sed antea verba Hieronymi attulimus, quibus dissonantiam linguae utriusque epistulae effert, quae antiquis tanta esse videbatur, ut propter hanc rationem Petro alteram epistulam abiudicarent.

Leguntur enim multa *hapaxlegomena* (54), qui numerus non leviter excedit plerosque alios libros, sed 1 P habet 62. In 1 P adventus Domini voce ἀποκάλυψις, ἀποκαλύπτεσθαι exprimitur, in altera voce παρουσία 1, 16 ;

3, 4. 12. In priore epistula multae numerantur allegationes ex VT (31), in altera tantum quinque. Modus loquendi prioris epistulae est magis planus, politus, alterius difficilior, minus regularis.

Plura ex his habent solutionem suam, si supponimus cum Hieronymo Petrum in epistula exaranda usum esse adiutore. Iam si in prima epistula componenda Silvanum habuit, in altera quoque librarium suas habuisse partes non temere admittimus. Quod eo facilius supponimus, quia epistulae plerumque dictabantur. In 2 P autem accedit alia consideratio, ex relationibus inter hanc et Iudae epistulam. Qui statuunt litterariam dependentiam 2 P a Iuda, eo ipso maxima ex parte linguae similitudinem ex Iuda repetunt et explicant. De utriusque epistulae lingua et genere dicendi cf *IDillenseger* S. I., L'authenticité de la II Petri, Mélanges de la Faculté orientale Beyrouth, 2 [1907] 173-212.

Ex relationibus ad Iudae epistulam recentiores unum ex primariis argumentis contra genuinitatem 2 P desumunt. At non apparet, cur inde falsificatio demonstretur, cum veteres in hac re longe aliter senserint ac nos.

538. 1. Magis autem *haereticorum et haeresium imagine*, prout in 2 P depingitur, genuinitatem infringi asserunt. Describi enim *gnosticos* saeculi secundi censent permulti.

Quae autem de *libertinismo* dicuntur, in epistulis Paulinis iam inveniuntur. Neque quidquam serio obici posse videtur admissa semel genuinitate epistularum pastoralium. Nihil enim detegi potest, quod non in illis epistulis aliquomodo iam inveniatur. Dubia vero de *parusia* Christi in illis epistulis implicite continentur, cum sint homines, qui asserunt resurrectionem iam factam esse, 2 T 2, 18, cum Apostolus 1 T 6, 15 loquens de parusia affirmet Deum adventum Christi suis temporibus ostensurum esse. Quousque autem effrenata licentia iam tempore Pauli processerit, praeter epistulas pastorales utraque ad Corinthios insinuat.

2. Quod tandem 2 P adhibet terminos aliquos in lingua *mysteriorum* quoque usitatos (θείας κοινωνοὶ φύσεως 1, 4 ; ἐπόπται 1, 16), tum solum argumentum efficax esset, si constaret, tales terminos non transiisse in linguam religiosam vulgarem ; ceterum etiam 1 P 2, 12 ; 3, 2 legitur verbum ἐποπτεύειν. *Consortium* autem naturae divinae ab omnibus NT[1] auctoribus docetur, etsi terminum non adhibent, et ipse Petrus in prima epistula loquitur de regeneratione, S. Paulus toties de adoptione in filiationem.

3. Quae praeterea opponuntur, non sunt magni momenti. Quod enim Petrus 3, 1 dicit aliquomodo efferens suam auctoritatem, se scribere iam secundam epistulam, habet suam similitudinem apud Paulum 1 C 5, 9ss, aut 2 Th 2, 15 ; 3, 14, ubi suis epistulis non minorem tribuit auctoritatem quam Petrus. Inde respondetur difficultati, quae movetur ex mentione epistularum Pauli carissimi fratris 3, 15s. Legenti enim epistulas

Pauli et Petri primam tanta resplendet auctoritas, ut maior cogitari vix possit. Paulus explicite eandem epistulis suis vindicat dignitatem quam praedicationi suae. Qualis autem haec sit, unum verbum ad Galatas manifestat 1, 8s. Ex 2 P autem non concludendum est iam *omnium* Paulinarum exsistere corpus ; sufficit si Petrus novit aliquas ex numero earum. Hoc autem iam ex 1 P effici videtur. Offenduntur deinde aliqui locutione « in monte sancto » 1, 18. Poterunt cogitare Hermon montem, qui sanctus habebatur et quem interpretes quidam putant esse montem transfigurationis. Et qui non titubant legentes E 3, 5 Apostolos *sanctos*, neque opprimentur Petri verbis. Tandem 3, 2 « memores sitis Apostolorum vestrorum » aliquibus videtur argumentum temporis posterioris esse. Sed nobis quoque familiaris est modus hic loquendi, ut alloquentes discipulos dicamus, mementote magistrorum vestrorum, etsi ipsi in eorum numero sumus, maxime in sollemni occasione, quae in nostra epistula profecto supponitur, cf 1, 13ss.

Quapropter cum auctoribus catholicis traditionem tuemur. Epistulam esse inspiratam et canonicam est *de fide*. Cum autem de facto inspirationis ex sola revelatione constet, revelatio vero obiectum fidei catholicae constituens secundum doctrinam catholicam (cf Decret. *Lamentab.* prop. 21) cum Apostolis completa sit, saltem theologice certum est epistulam ante Apostolorum mortem scriptam et Ecclesiae traditam esse, id est ante finem saeculi primi. Ecclesiae definitio auctoris *personam* quidem non immediate tangit, sed quia epistula nomen Petri prae se fert et ex eius persona scripta est, quia rationes contrariae non sunt efficaces et epistula certo primo saeculo scripta est, nulla ratione eam libris pseudepigraphis adnumeramus. Neque concedimus esse paritatem cum Sapientia Salomonis.

539. *De tempore et loco*, quo 2 P scripta sit, et de *lectoribus* ex ipsa epistula docemur.

Apostolus mortem suam vicinam esse ipse monet 1, 14 ; epistulam autem post 1 P compositam esse sequitur ex 3, 1, si haec verba ad priorem epistulam referuntur, quod probabilius est. Lectorum autem status et haereticorum indoles aliquomodo conveniunt cum condicionibus epistularum pastoralium.

Proinde censemus Apostolum epistulam suam paulo ante mortem suam Roma scripsisse. De lectoribus vero non adeo constat. Probabile quidem habemus eos esse eosdem, quibus prima epistula destinata erat propter 3, 1. At hoc supposito quaeritur, cur Petrus in prima epistula nihil de haereticis monuerit, num fortasse periculum tam subito supervenerit, ut paucis annis antea nullum eorum vestigium apparuerit. Deinde altera

epistula magis videtur dirigi ad lectores Iudaeochristianos. Sed concedimus quaestionem his rationibus non dirimi. Quare sententiam a *Wohlenberg* propugnatam, qui putat 2 P 3, 1 respicere epistulam deperditam, non sequimur. Solutio fortasse in eo quaeri potest, ut dicamus 2 P non ad omnes illas ecclesias Asiae minoris destinatam esse, sed ad aliquas, quarum condiciones peculiares erant. At fatemur nos non satis edoctos esse de statu ecclesiarum.

§ 5. De epistula S. Iudae Apostoli

540. *De epistulae argumento et fine.* Nomine *Iudae* inscripta est parva epistula, qua auctor lectores suos monet, ut fidei traditae supercertentur et se in dilectione Dei servent misericordiam Domini exspectantes (3. 20s). *Causa* autem, cur haec moneat, est periculum, quod ex parte haereticorum exortum est. Hi enim in ecclesias introierunt et gratiam Dei transferunt, solum Dominum Iesum Christum negant (4). *Argumentum* hoc modo exponitur :

Exordium 1-2, inscriptio.

Argumentum et *finis* epistulae : exhortatio certandi pro fide tradita contra haereticos, qui gratiam Dei pervertunt in luxuriam et Dominum negant 3-4.

Ut autem lectores contra eos praemuniat 1. docet, qui sint et quid eos maneat,

a) affert exempla ex VT° eorum, qui similia peccata commiserunt et divino iudicio correpti sunt 5-7.

b) ita seductores iactantes visiones (8. 16. 19) carni indulgent, Dominum negant, angelos blasphemant, impudenter propriae utilitati et vitiis indulgent, infructuosi et aliis in perniciem 8-13.

c) sed ipsis praedictum est iudicium propter opera et blasphemias 14-16.

2. Apostolus monet, quid faciendum sit, *a*) memores sint praedictionis apostolorum de futuris haereticis 17-19,

b) in fide, oratione, caritate, exspectatione Domini se praemuniant 20-21,

c) studeant salvare periclitantes caritate et fortitudine, sed ipsi sibi prospiciant 22-23.

Epilogus : Doxologia ad Deum, qui potest salvare 24-25.

541. *De auctore epistulae.* Inscripta est epistula : Iudas Iesu Christi servus, frater Iacobi. Ex altera appositione auctor determinatur, cum Iacobus non possit esse nisi ille notissimus in ecclesia primitiva, frater Domini.

Ioannis enim apostoli frater eo tempore, quo epistula Iudae scripta

est, ex multis annis mortuus est, neque intellegitur, cur non potius Ioannis nomen appositum esset. Iam si de hac re constat, cum antea Iacobum in numero apostolorum habuerimus, Iudam quoque apostolum dicemus. In apostolorum autem catalogis L 6, 16 et A 1, 13 enumeratur *Iudas Iacobi* praeter Iudam Iscarioten, item ex J 14, 22 discimus alterum Iudam inter apostolos fuisse. Cum appelletur Iudas Iacobi, aut filius aut frater Iacobi est. Utramque enim interpretationem possibilem esse exemplis sufficienter comprobatur. Modus autem loquendi consonat cum epistulae inscriptione, ut Iudas appelletur secundum fratrem auctoritate insignem. Apud Mt 10, 3 post Iacobum Alphaei decimo loco nominatur *Lebbaeus*, apud Mr 3, 19 *Thaddaeus*. Apud Mt 10, 3 *Lebbaeus* est lectio codicum D 122 f k, cf August., *Thaddaeus* BSC 17 124 c ff l Vg sa bo, reliqui utramque lectionem coniungunt, « Lebbaeus qui cognominatus est Thaddaeus », quae lectio videtur conflata esse ex utraque. Primitiva vero lectio videtur fuisse *Thaddaeus* ; Lebbaeus vero aut magis hebraicae linguae respondet, quod congruit cum indole codicis D, aut minus vulgare erat. Nam utrumque nomen fere idem significat, Lebbaeus *Cor*, Thaddaeus *pectus*. Sed non est dubium, quin Iudas Iacobi sit idem apostolus ac Thaddaeus. Quod duplici nomine hebraico appellabatur, non erat inusitatum.

Traditio antiquissima Iudam epistulae auctorem *apostolum* appellat. Ita *Tertullianus* (de cultu fem. 1, 3), *Origenes* (de princ. III 2, 1 ; in R, hom 5), *Athanasius*.

De expeditionibus apostolicis Iudae nihil apud antiquos traditum est, referunt quidem eum in Syria, Mesopotamia, Arabia Ev praedicasse et martyrium subiisse Beryti vel Aradi in Syria. At haec incerta sunt, neque Syri ipsi Ev ab apostolo, sed a Thaddaeo vel Addai accepisse se asserunt, uno ex Septuaginta (cf *Ephraem*).

542. *De epistulae genuinitate* 1. Ex testimoniis externis luculenter constat.

Fragm. Murator. epistulam ut receptam exhibet (68), item *Tertullianus*, in oriente *Clemens Alex.*, *Origenes*, epistula synodica Antiocheni concilii a. 269. *Eusebius* (HE III 25, 3) epistulam inter antilegomena habet, quamvis non tradat, quibus de causis id faciat. Ante eum autem non traditur, qui epistulam addubitaverint aut cur eius genuinitatem negaverint.

Rationem vero postea affert *Hieronymus* (de vir. ill. 4) scribens « et quia de libro Henoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, a plerisque reicitur ». Quomodo vox « plerique » apud Hieron. accipienda sit, iam monuimus. Re enim vera veteres apud Jud 14s allegationem ex libro Henoch admittunt, *Tertullianus* l. c., *Clemens Alex.*, *Origenes*, (de princ. III 2, 1), *Augustinus* (de civit. Dei 15, 23 ; 18, 38), *Hieronymus* ipse l. c. Quoniam integer textus Jud 14-15 fere ad verbum cum textu graeco libri Henoch congruit, non videtur dubium esse, quin Jud ab

Henoch dependeat (cf *Flemming-Rademacher*, Das Buch Henoch, Lp. 1901, 20). Animadvertendum est autem nihil in textu haberi, quod non recte affirmari possit. Si vero ex historia, ex natura, ex libris profanis exempla, demonstrationes, argumenta a Christo, ab Apostolis, maxime a S. Paulo desumuntur (cf A 17, 28 ; 1 C 15, 33 ; Tt 1, 12 ; 2 T 3, 8), idem occasione data fieri potuisse ex libro apocrypho non negabimus. Id eo minus offensioni est, si cum *vanKasteren* (Jud 114-122), *FrMaier*, aliis catholicis supponimus Iudam uti argumento ad hominem, quam rationem argumentandi alibi quoque in NT° adhiberi certum est. Idem dici potest de Jud 9 (Michaele), qui textus secundum *Clementem Alex.*, *Origenem* (l. c.), *Didynum* (in Jud) ex Assumptione Moysis desumptus est. Sed hoc factum fortasse ex traditione orali Iudae innotuit, cum non constet, quando Assumptio Moysis scripta sit, non enim videtur antiquior esse saeculo primo p. Chr. (cf n. 34, 3).

Ex catalogis *occidentalibus* unicus Catalogus *Mommsenianus* omittit epistulam Iudae cum Iacobo, alii omnes eam tradunt, *Gelasii* decretum nomini addit appellationem « apostoli », quam Concilium Tridentinum in suo canone recipit. De *Erasmi* et *Caietani* dubiis circa epistulas ad Hb Jud et alias minores catholicas supra diximus.

2. Epistulae vero *indoles* eius genuinitatem magnopere commendat. Inscriptio « Iudas Iesu Christi servus, frater autem Iacobi » sua simplicitate excludit fictionem posteriorem. Multo minus autem intellegitur, cur Iudae, viro ceteroquin ignoto, qui in Evv a solo Ioanne semel loquens introducitur (J 14, 22), epistula adscribatur, et cur auctor epistulae suam auctoritatem nomine fratris sui commendare videatur.

Contra originem apostolicam epistulae afferri solet maxime Jud 17, ubi auctor in memoriam revocat verba *apostolorum Domini*, quae praedicta sunt. Iudam igitur non esse ex apostolorum numero et scribere post eorum aetatem. Sed patet hunc modum loquendi tum quoque optime adhiberi, si lectores Ev ab apostolis acceperunt et Iudas ipse eis non praedicavit ; praeterea cf n. 538, 3. Si autem Paulus Thessalonicenses monere potuit « Non retinetis, quod cum adhuc essem apud vos, haec dicebam vobis » (2 Th 2, 5), quamvis nondum annus effluxisset, ex quo Apostolus apud illos conversatus erat, multo magis Iudas pluribus annis post Evangelii praedicationem inter lectores epistulae haec verba scribere potuit. Alterum quod opponunt, est fidei conceptio obiectiva (Jud 3. 20), quae non respondeat tempori apostolico. Sed S. Paulum aliquoties iam in antiquioribus epistulis ita loqui, multo magis autem in Pastoralibus, quivis concedet. Locutio tandem κοινὴ ἡμῶν σωτηρία (3) non tam videtur significare salutem, quam Iudaeo christiani cum Ethnicochristianis communem habent, sed quam Apostolus, epistulae auctor, communem habet cum suis lectoribus (cf 1 J 1, 3). At etiam si alteram interpretationem admitteremus,

nihil sequeretur contra aetatem apostolicam. Nihil enim Paulo tam usitatum est, quam loqui de hac communi salute, quae Iudaeos et ethnicos in Christo ad unitatem coniungit.

543. *Haeretici* in epistula secundum plures respectus describuntur.

Eorum libertinismus aperte verbis acribus castigatur, transferunt enim gratiam Dei in luxuriam 4 ; exemplum Sodomorum et Gomorrhae idem insinuat 7 ; carnem maculant 8 ; quae naturaliter tamquam bruta (muta) animalia norunt, in his corrumpuntur 10 ; secundum desideria sua impia ambulant 16. 18 ; homines animales (ψυχικοί), Spiritum non habentes 19. « Maculae » sunt in conviviis fidelium, semetipsos pascunt 12. Suas turpitudines et flagitia omnibus aspergunt et eos maculant 13. Quaestum et lucrum ex praedicatione quaerunt 11. 16. Quid vero intellegat Iudas comparando haereticos cum Cain, non satis perspicitur (11) ; num sit impietas et defectus timoris et reverentiae Dei, quod probabilius est, an peccatum odii erga proximum. Propter sequentia, Balaam et Core, prius praeferimus.

Cum effrenata luxuria coniungitur *superbia*, qua verbis superbis gloriantur 16 ; videntur iactare sublimiorem scientiam et sapientiam 8, sed potissimum notantur propter suas blasphemias. Quaecumque ignorant blasphemant 10, sunt murmuratores querulosi 16, loquuntur dura contra Deum 15, contradictionem et rebellionem Core imitantur 11, sunt irrisores 18. Angelos blasphemant 8, Dominum spernunt (ἀθετοῦσιν) 8, et solum Dominatorem, Dominum Iesum Christum negant 4. Cum pluries in epistula sermo sit de blasphemiis, de sermonibus contra Deum, haec negatio Christi tamquam unici Domini videtur non solum practicam negationem per vitam peccatorum, sed etiam errorem christologicum includere. Num gratiam et necessitatem redemptionis reiecerint, non constat. Angelorum autem cultum contra Christum non propugnabant, cum legamus eos contra angelos quoque suas blasphemias effudisse (8s). Ex 10 et 16 videtur elucere, eos etiam contra providentiam divinam oblocutos esse.

Fortasse ex verbis Iudae 21. 24 licet concludere haereticos dubitasse de parusia Christi, cum Apostolus lectores tam fortiter ad eam exspectandam hortetur. Esset sub hoc respectu quoque similitudo cum haereticis, quos in sua secunda epistula Petrus impugnat.

544. Restat ut relationem inter Iudae et secundam Petri epistulam consideremus. Utramque enim epistulam ita esse in describendis haereticis similem, ut litteraria dependentia a nemine negetur.

1. Cum modo accurate ex Iuda haereticos descripserimus, facile secundum haec comparationem cum 2 P instituemus.

Flagitia et vitia carnis sunt eadem. Luxuriae se dederunt 2, 2, exemplum

Sodomorum et Gomorrhae proponitur 2, 6s, post carnem in concupiscentia immunditiae ambulant 2, 10, sicut irrationabilia animalia in corruptione peribunt 2, 12, quaerunt delicias, « maculae et coinquinationes » in conviviis cum fidelibus sibi indulgent, oculi pleni adulteriorum, semper avidi peccatorum 2, 13s, secundum proprias concupiscentias ambulant 3, 3.

Alios in suam perniciem pertrahunt 2, 2, animas nondum firmas pelliciunt 2, 14, seducunt eos, qui vix effugerunt luxuriam 2, 18.

In avaritia dolosis verbis lucrum quaerunt 2, 3, cor eorum in avaritia exercitatum est 2, 14, relinquunt rectam viam et sequuntur Balaam, qui mercedem iniquam amavit 2, 15.

Simili modo verba superba vanitatis proferunt 2, 18, libertatem promittunt 2, 19, verbis commenticiis seducunt 2, 3. Irrisores irrisionibus dediti 3, 3, homines impudentes et procaces, qui non verentur angelos blasphemare 2, 10s, qui blasphemant quae non intellegunt 2, 12, per quos via veritatis blasphematur 2, 2. Dominum qui eos redemit negant 2, 1.

Quod Iudas solum implicite dicit, Petrus explicite asserit, irrisores sua irrisione perstringunt promissionem parusiae 3, 4. Petrus autem hoc fuse tractat et in fine epistulae monet haereticos epistulis Pauli abuti ad suas doctrinas commendandas 3, 15s. Cum Petrus haereticos a se impugnatos notet tamquam praedicatores falsae libertatis, hanc fortasse ex Paulo se didicisse autumabant, quod eo facilius supponi potest, cum Paulus ipse in suis epistulis non semel contra falsum conceptum libertatis pugnaverit.

Accedit quod et Iudas (17s) et Petrus (3,2s) monent apostolos praedixisse futurorum haereticorum adventum, et quod eos eodem loco eisdem verbis depingunt.

2. Hic autem magis agitatur quaestio, *quomodo* relationes inter Iudam et 2 P diiudicemus. Comparatio quam instituimus et quae appositis verbis et locutionibus graecis minus usitatis maiorem etiam similitudinem manifestat, dependentiam litterariam omnino probat. Sed quaeritur, ex qua parte supponenda sit. Plerique censent prioritatem esse ex parte Iudae.

Rationes autem sunt hae. Facilius intellegi Petrum, qui suis lectoribus plura dicturus erat, epistulam Iudae in suam assumpsisse, quam ut Iudas aliquam partem epistulae Petri suo nomine ediderit, quin Petri nomen commemoraret. Praeterea comparatio singulorum videtur ostendere Petrum ea quae Iudas magis concrete dicit aut ubi exempla profert, haec omittere aut brevius enuntiare. Apud Iudam magis unitatem servari quam apud Petrum, qui 2, 13 contra Iudam (12a) duas ideas coniungit, luxuriam et deceptionem. Petrum sine Iuda non perfecte intellegi.

3. Haec ex parte vera sunt. Sed *a*) Petri epistula non minus servat ***unitatem*** quam Iudae. Concedimus quidem apud Petrum magis efferri peccata deceptionis et seductionis quam apud Iudam, minus peccata luxuriae quam apud Iudam. At quomodo ex hac parte prioritas Iudae probetur, non intellegitur, potius nobis sub hac ratione maior unitas

apud Petrum videtur haberi. *b*) Quod *linguam* attinet, ea apud Petrum non minus nervosa et gravis est quam apud Iudam in illis quoque partibus, quas Petrus proprias habet. Nam in eis quoque leguntur voces rarius usitatae, ut affirmari non possit Petrum in sua lingua dependere a Iuda. *c*) Ex eo vero quod Petrus haereticorum proventum tamquam futurum enuntiat, Iudas eos velut praesentes describit, aliqui concludunt ad indolem pseudepigraphicam secundae epistulae Petri. Attamen falsum est haereticos a Petro tantum ut futuros denuntiari, nam ex contextu evidenter praesentes sunt. Argumentum autem propositum si probat, nimium probat. Supponendum enim esset, 2 P longo tempore post Jud scriptam esse. Quod ex rationibus supra allatis non admittimus, et quod propter aliam rationem incredibile est. Si enim 2 P diu post Jud exarata est, quaeritur, quomodo aliquis auctor haereticos sui temporis tam accurate describere potuerit ex epistula longe antea composita. Nullo modo enim probabile est imaginem tam concretam, prout a Iuda depingitur, postea denuo quoad singula ad alios applicari potuisse. Quod argumentum attinet Petrum non intellegi sine Jud, hoc aliquomodo concedendum est de 2 P 2, 11, si comparatur cum Jud 8s. Deinde 2, 13 (ἐν] ταῖς ἀπάταις αὐτῶν) potest videri secundarium, si comparatur cum Jud 12 ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν). Sed quia Petrus in sua epistula pluries haereticos tamquam seductores et deceptores notat, vox contextui omnino accommodata est. Ex Jud 4 vero quis posset allusionem ad Petri epistulam agnoscere ; vox πάλαι enim huic interpretationi non contraria est. Supposita autem prioritate Petri verba 2, 1 et 3, 3 de haereticis futuris faciliorem habent interpretationem. At non affirmamus hisce rationibus quaestionem dirimi et concedimus argumenta pro Iudae prioritate esse magis efficacia, ut haec sententia tamquam probabilior admittenda sit Petri prioritatem defendunt *Michaelis*, *Hofmann*, *FrSpitta*, *ThZahn*, *ChBigg*, *GWohlenberg*.

545. *De commentariis et subsidiis* in 1-2 P et Jud. *IHesselius* 1 P, Lov. 1568. *FrFeuardentius* O. M., Jud, P. 1595, 1-2 P, P. 1600s. *AdeQuiros* S. I., Jud, Hispali 1622. *IPricaeus*, Jud, Ld. 1660. *NduBois* O. P., Jud, P. 1644. *SSeemiller*, Jud, Norimb. 1783. *LIHundhausen*, 1-2 P, Mainz 1873-78. *FWindischmann*, Vindiciae Petrinae, Mog. 1836. *KHenkel*, D. 2. Br. des Ap. Petrus geprüft auf seine Echtheit, BSt 9, 5, Fr. 1904. *LGonlard*, Essai crit. et hist. sur 1 P, Lyon 1905. *JPvan Kasteren* S. I., 1-2 P, 1911. 19, Jud 1916, Utrecht. *MFRampf*, Jud, Sulzbach 1854. *BGheorghiu*, Jud, Czernowitz 1901. *HJCladder*, JthSt 5 [1904] 589-601. *FrMaier*, Der Judasbrief, BSt 11, 1-2, Fr. 1906.

Acatholici : Luther exposuit 1-2 P et Jud 1522ss. *DGBensons*, 1-2 P Jud, Lp. 1761. *JSSemler*, 1-2 P Jud, Halle 1784. *AWiesinger*, 1 P, Kōnigsbg 1856. *CFKeil*, 1-2 P Jud, Lp. 1883. *FrSpitta*, 2 P und Jud, geschichtl. Untersuchung, Halle 1885. *AHort*, 1 P 1, 1-2, 17, Ld. 1898. *JMonnier*, 1 P, Macon 1900. *ChBigg*, 1-2 P Jud, ICC, Edb. 1902. *JBMayor*, Jud 2 P, Ld. 1907. *GWohlenberg*, 1-2 P Jud, Lp. 1915. *HWerdermann*, Die Irrlehrer des Jud u. 2 P, Gü. 1913.

APPENDICES

I. De inspiratione divina S. Scripturarum.

II. Documenta Ecclesiae recentiora S. Scripturam quae spectant.
§ 1. S. P. Leonis XIII Litterae Encyclicae « Providentissimus ».
§ 2. S. P. Benedicti XV Litterae Encyclicae « Spiritus Paraclitus ».
§ 3. Ex Litteris Encyclicis Pii X « Pascendi Dominici gregis « de modernistarum doctrinis.
§ 4. Ex Iurisiurandi contra errores modernismi formula.
§ 5. Motu proprio « Praestantia Scripturae ».
§ 6. Ex s. Romanae et Universalis Inquisitionis decreto « Lamentabili sane ».
§ 7. Responsa Pontificiae Commissionis de re Biblica.

III. Documenta historica, tabulae chronologicae et palaeographicae.
1. Fragmentum Muratorianum.
2. Tabulae chronologicae et genealogicae.
3. Tabulae palaeographicae.

I. De divina S. Scripturarum inspiratione

546. Doctrina de inspiratione Scripturarum, eius natura, extensione in dogmatica quidem theologia iure suum sibi vindicat locum, atque non tantum antiquitus sed hodie quoque a theologiae dogmaticae lectoribus, quibus de divinae revelationis fontibus agendum est, plerumque exponitur; cf ex recentioribus: *Franzelin*, De div. Tradit. et Script.[3], R. 1883, 316ss; *Scheeben*, Handbuch der Dogmatik, Fr. 1873, I 109ss; *ChrPesch* S. I., Praelect. dogm. I[6] Fr. 1924, 426ss; idem, Compendium theol. dogm. I[2] Fr. 1921, 271ss. In haud paucis tamen seminariis ecclesiasticis usus invaluit, ut

SScripturae lectoribus haec quaestio relinqueretur, qui eam cum aliis ad Introductionem proprie pertinentibus tractarent. Quapropter hic praecipua de inspiratione capita commentariolo comprehenduntur. In quo concinnando duces fere secutus est auctor eximios theologos proxime nominatos; praeter quos conferri merentur *IKleutgen* S. I., P. Lessii de divina inspirat. doctrina illustrata et ponderata (in *GSchneemann* S. I., Controv. de div. grat. Fr. 1881, 465ss); *Card. Billot*, De inspiratione s. scripturae theol. disquisitio, R. 1903; *SSchiffini* S. I., Divinitas Scripturarum adversus hodiernas novitates asserta et vindicata, Aug. Taur. 1905; *Bainvel*, De scriptura sacra, P. 1910; *van Laak*, De s. scripturae inspiratione et inerrantia, R. 1910, *Durand*, « Inspiration ». Dict. apolog. II 894ss; *FDiekamp*, Kathol. Dogmatik I[3–5] (Mü. 1921) 22ss. Historiam doctrinae de inspiratione tradunt *PDausch*, Die Schriftinspiration, Fr. 1891; et *KHolzhey*, Die Inspiration der h. Schrift in der Anschauung der Mittellalters, M. 1895 quibus accedunt ii qui monographias scripserunt : *Haidacher* (Die Inspirationslehre des hl. Joh. Chrysost., Salzburg 1897), *Zoellig* (Die Inspirationslehre des Origines, Fr. 1902), *LSchade* (Die Inspirationslehre des hl. Hieronymus, Fr. 1910). Integrum tractatum tam historicum quam dogmaticum exhibet *ChrPesch* S. I., De inspiratione S. Scripturae, Fr. 1906; Supplementum continens disputationes recentiores et decreta de inspiratione S. Scripturae, Fr. 1926. *ADorsch*, De inspiratione[2], Oenip, 1927. *Höpfl*[2], R. 1929.

Christus instituit Ecclesiam suam ad duplicem finem obtinendum : ad sanctificandos nimirum et ad docendos homines. Hinc Ecclesiae commisit munus magisterii authentici. Fontes huius magisterii sunt duo : alter est ipsum magisterium vivum, quod in praedicatione sua perenni conservat, custodit, proponit totam sibi a Christo concreditam revelationem ut « depositum fidei ». Alter est Scriptura sacra seu verbum Dei scriptum. Constat ex libris, qui in corpus *(canonem)* collecti constituunt Vetus et Novum Testamentum. De his libris eorumque indole agendum est, et quidem ita ut :

1. statuamus *factum* inspirationis, esse scl. libros, qui a Deo inspirati ad ipsum tamquam suum auctorem litterarium reducuntur;

2. inquiramus in *naturam* et *essentiam* huius inspirationis, qua Deus fit auctor litterarius horum librorum; deinde in extensionem inspirationis;

3. circumscribamus eius *effectus* relate ad veritatem illorum quae in his libris continentur (inerrantiam);

4. videamus *criterium*, quo hi libri a Deo inspirati et Ecclesiae traditi ut tales dignosci valeant.

§ 1. De facto inspirationis

547. Imprimis factum inspirationis probandum est, esse sc. libros, quorum auctor litterarius Deus est. Licet hoc loco nondum accurate circumscribamus *notionem auctoris*, tamen eam sufficienter determinamus voce addita « litterarii ». Qua scilicet conceptus auctoris restringitur ad eum, cuius sunt ideae et sententiae earumque congestio in unitatem litterariam, « ita ut ipsa rerum consignatio seu scriptio tribuenda sit principaliter operationi divinae in homine et per hominem agenti, et proinde libri contineant scriptum verbum Dei » (Nota ad schema Conc. Vat.; *Granderath*, Constitutiones 47s). Et haec notio generalis auctoris interim sufficiat.

1. *Probatur* factum inspirationis *unanimi et constanti traditione Ecclesiae dogmatica*, inde a primis saeculis religionis christianae.

a) Documenta quidem *duorum priorum saeculorum* minus apte adducuntur in probationem huius thesis, quia potius de prophetis agunt deque eorum effatis, quae in ss. libris inveniuntur, quam de hagiographis et eorum libris; ita Clemens Romanus, Ignatius Antiochenus, Polycarpus, Iustinus, auctor Cohort. ad gentes, Athenagoras. Inde vero a Theophilo Antiocheno testes reddunt testimonium minime dubium, sicut ipse Theophilus, anonymus quidam quem allegat Eusebius (HE V 28, 18), Irenaeus, Clemens Alexandr. Origenes, Cyprianus. Tempore posteriore asseclae scholae et Antiochenae et Alexandrinae, Patres Graeci, Latini, Syri voce concordi profitentur factum inspirationis. Quos excipiunt doctores temporis intermedii, Cassiodorus, Isidorus Hispal., Beda Ven., donec media aetate, florente theologia scholastica, ipsius inspirationis, cuius exsistentia ut factum indubitatum admittebatur, natura ansam praebuit disputationum et disquisitionum, sicut S. Thomae variis in locis egit, 1, q. 1 a. 10; 2, 2, q. 171ss. — Egregie omnia, quae ss. Patres de inspiratione dicunt, congessit Card. *Franzelin* in schemate primo de fide, Patribus Concilii Vaticani proposito :

« Hoc, inquit[1], modo (scl. ut Deus sit librorum auctor) inspirationem Scripturae in Ecclesia Dei semper intellectam et intelligendam esse, demonstrat *a*) SS. Patrum consensus ; dicunt enim, Scripturas esse *conscriptas per Spiritum S.* vel *per operationem*

1. *Collect. Lacens.* Conciliorum recent. Fr. 1890, VII 522s.

Spiritus S.[1], esse *litteras Dei ad homines missas*[2], esse *a Deo dictas*[3] esse *a Deo* vel *operatione Dei datas* vel *conditas*[4], *homines in iis scribendis fuisse instrumenta sub operatione divini Spiritus*[5].

b) Neque desunt *documenta Ecclesiae peremptoria :* In specialibus documentis authenticis fidei Ecclesiae explicite dicitur Deus profitendus *auctor librorum Utriusque Testamenti :* in professione fidei episcopis ordinandis praescripta in Conc. Carthag. IV, quae ab iis adhuc nunc editur[6], in professione fidei a Leone IX missa ad Petrum Antioch.[7], in symbolo Graecis proposito in Conc. Lugd. II haec fides enuntiatur : credo (credimus) etiam N et VT[1] Legis et Prophetarum et Apostolorum *unum esse auctorem Deum et Dominum omnipotentem*[8]. Expressius in Conc. Florent. decret. pro Iacobitis idem declaratur : SS. Romana Ecclesia « *unum atque eundem Deum V* et *N T*[1] h. e. Legis et Prophetarum atque Evangelii, *profitetur auctorem, quoniam eodem Spiritu S. inspirante Utriusque Test. Sancti locuti sunt,* quorum libros suscipit et veneratur, qui titulis sequentibus continentur[9] » (sequitur recensio omnium librorum, ut in can. Trid.). Hic igitur dicitur Deus *auctor* Legis, Prophetarum et Evangelii, quatenus conscriptores omnium librorum S. Scripturae locuti sunt (scribendo nempe ipsos libros) Spiritu S. inspirante : proinde talis est inspiratio ad scribendum, ut Deus sit auctor librorum. Porro ipsum Conc. Trid. in sess. 4. hoc decretum Synodi Florent. prae oculis habuit ; eodem igitur sensu intellegi debent verba Trident. : omnes libros tam V quam NT[1], *quum Utriusque unus Deus sit auctor...* suscipit et veneratur[10]. »

1. *Orig.* de princ. Praef. 4,8 ; c. Cels 5, 60 (*MG* 11, 118s. 1275), *S. Theoph. Ant.* ad Autol. 2, 9 ; 3, 12 (*MG* 6,1063. 1138), *S. Athan.* in Ps Praef. 2, 9s (*MG* 27, 11. 18s), *S. August.* de Civ. Dei XVIII 41,1 (*ML* 41, 600), *S. Chrys.* in Gn hom 21, 1 (*MG* 53, 175), *Theodoret.* in Ps. Praef. (*MG* 80, 862).

2. *S. Chrys.* in Gn hom. 2, 2 (*MG* 53, 28), *S. Aug.* in Ps 90 serm. 2, 1 ; in Ps 149 enarr. n. 5. (*ML* 37, 1159, 1952), *S. Greg. M* ad Theod. ep. 4, 31 (*ML* 77, 706).

3. *S. Clem. Rom.* 45, *S. Iren.* c. haer. II 28, 2 (*MG* 7, 805), *S. Hippol.* c. Noet. 9 (*MG* 10, 818) cf *Eus.* HE V 28 (*MG* 20, 578).

4. *Clem. Alex.* Strom. II 2 (*MG* 8, 941) ; *S. Gelas.* in Conc. Rom. (*Mansi* Suppl. I 357).

5. Cohort. ad Graec. 8 (*MG* 6, 255), *S. Athenag.* Legat. pro Christ. 9 (*MG* 6, 907), *Orig.* de princ. 4,6 (*MG* 11, 354), *S. Ambr.* ad Iust. ep. 8, 1 (*ML* 16,912). — *Cassiod.* Instit. div. litt. 16 (*ML* 70,1131), *S. Gregor. M.* Moral. Praef. 2. 3. (*ML* 75, 517). Textus omnes congessit et composuit Chr. Pesch, De insp. s. scripturae, n. 37ss ; Idem breviter complectitur, quae Patres (n. 140) et quae Scholastici (n. 372) de inspiratione S. Scripturae censuerint.

6. *Harduin.* Coll. Concil. I, 978.

7. Denzinger, *Enchiridion Symbolorum...* (D) 348.

8. D 464 ; cf D 421 (Professio fidei Durando de Osca et sociis eius Waldensibus praescripta).

9. D 706.

10. D 783.

Concilium vero *Vaticanum* decretum Tridentinum confirmans haec habet : V et NT[1] libros integros cum omnibus suis partibus, prout in Tridentini Concilii decreto (sess. 4. de canon. Script.) recensentur et in veteri vulgata latina editione habentur, « Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati ; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant ; sed propterea quod Spiritu S. inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt » (*Conc. Vatic.* sess. 3. Constit. de fide c. 2)[1] : quare « si quis S. Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos S. Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit aut eos divinitus inspiratos esse negaverit, anathema sit » (*l. c.* can. 3 de revel.[2]).

Doctrina Encyclicae « *Providentissimus* », « *Pascendi* » (D 2090), « *Spiritus Paraclitus* » (D 2186ss), Decreti « *Lamentabili* » (D 2009ss) supponit veritatem inspirationis ut dogma fidei, quod de facto est (haec documenta v. infra n. 561ss).

2. Ex *S. Scriptura :*

a) *Ad libros VT*[1] quod attinet, inter omnes constat Christi Domini aetate collectionem quandam librorum antiquorum apud synagogam exstitisse, quibus, quamvis ab hominibus essent conscripti, vere divina tamen origo attribuebatur ideoque prorsus singularis dignitas ac fides omni exceptione maior competere ab omnibus Iudaeis credebatur (cf supra n. 13s ; *Cornely* I n. 20ss). Atqui tantum abest, ut hanc communem Iudaeorum persuasionem Dominus improbaverit, ut eam tota docendi disputandique sua ratione approbaverit. Coram Iudaeis enim ad eosdem libros velut ad auctoritatem omni humana maiorem appellat (*J* 5, 34ss ; 10, 34s ; *Mt* 22, 43ss etc.), coram discipulis autem eis utitur velut documentis certissimis, quorum verba non possunt non impleri (*Mt* 26, 24. 31. 54 ; *L* 18, 31 ; 24, 26s etc.). Ipse et discipuli eius simplici formula γέγραπται, γεγραμμένον ἐστίν (scriptum est) eorum verba velut testimonia, quibus contradicere non licet, allegant (*Mt* 2, 5 ; 4, 4. 7. 10 etc.), aut Deo vel Spiritui loquenti directe attribuunt (*A* 1, 16 ; 4, 24 etc.), aut ea ab homine ex Spiritus instinctu prolata esse asserunt (*Mt* 22, 43 etc.), aut ea, quae Deus dixit, Scripturae loquenti adscribunt, quia nimirum Deus revera per Scripturam nobis loquitur (*G* 3, 8).

1. D 1787.
2. D 1809.

Quibus testimoniis, quae pleraque singulares tantum textus attingunt, unum accedit, quo totius collectionis vel, si mavis, omnium librorum, qui tum temporis a Iudaeis extra Palaestinae fines degentibus pro sacris habebantur, divina origo demonstratur. Iuxta Paulum enim « omnis Scriptura divinitus inspirata (πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος) utilis est ad docendum » (2 *T* 3,16), vel uti antiquiores *Vg* codd. (*Fuld. Amiat. Sangerm.*) textum graecum accuratius reddunt : « omnis Scriptura inspirata divinitus *et* utilis ad docendum (est) ». Ad nostram quaestionem nihil interest, utrum πᾶσα γραφή vertatur *tota Scriptura* (id quod facere licet, quia γραφή interdum velut nomen proprium adhibetur, quod articulo carere potest, ut πᾶσα γραφή sit i. q. πᾶσα ἡ γραφή), an iuxta usitatiorem constructionem vertatur *omnis Scriptura*, i. e. quodvis scriptum, cui nomen *Scripturae* κατ' ἐξοχήν competit ; id enim extra controversiam est Paulum designare velle omnes *sacras litteras* (τὰ ἱερὰ γράμματα), quas Timotheum ab infantia novisse immediate antea (v. 15) asseruerat, i. e. omnes VT[1] libros. Neque quidquam interest, utrum cum Vg vocabulum θεόπνευστος (divinitus inspirata) tamquam attributum substantivo *Scriptura* addatur (omnis Scriptura, quae [vel : quia] inspirata est, est utilis etc.), an tamquam praedicatum sumatur, id quod textus graecus videtur insinuare (omnis Scriptura est divinitus inspirata et [ideo] utilis etc.) ; utroque enim modo verba Apostoli divinam librorum originem asserunt. Namque vocabulum θεόπνευστος, quod hoc solo in loco Scripturae reperitur, vi etymologiae suae et usu suo apud profanos (cf *Plut.* de plac. phil. 5, 2 οἱ ὄνειροι οἱ θεόπνευστοι somnia divinitus inspirata) significat illud, quod ex instinctu afflatuque divino fit, aut si de hominibus praedicatur, docet eos ex instinctu afflatuque Dei agere, ita ut ea, quae agunt, ad Deum auctorem principem sint referenda. — Quem sensum genuinum esse luculentissimie altero testimonio confirmatur, quo S. Petrus originem prophetiae VT[1] describit : « omnis prophetia Scripturae propria interpretatione (ἐπίλυσις) non fit ; non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati (ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι a Spiritu S. acti et moti) locuti sunt sancti Dei homines » (2 *P* 1, 20s). Omnis igitur verae prophetiae, quae in Scripturis habetur, *humanam* originem Apostolus omnino negat ; neque enim proprio suo ingenio signa futuri temporis interpretantes prophetae futuros eventus praedixerunt neque propria sua voluntate vaticinia sua pronuntiarunt et scripserunt (de vaticiniis enim in

Scriptura allatis agitur), sed tamquam os Dei ex divino instinctu et afflatu ea ediderunt.

b) *Ad NT*[1] *libros* quod attinet, licet non desint testimonia scripturistica, quibus aliquorum inspiratio summa cum verisimilitudine demonstretur, nullum tamen exstat, quo omnium divina origo doceatur. Etenim S. Paulus, cum eadem citationis formula (λέγει ἡ γραφή *dicit Scriptura*) verba *Dt* 25,4 et sententiam Domini in Lucae Evangelio consignatam (*L* 10, 7) alleget ex iisque eadem ratione argumentum suum desumat (1 *T* 5, 18), Evangelio huic non tantum eandem auctoritatem, sed etiam eandem dignitatem, quam Deuteronomio inspirato, attribuisse videtur. — S. Petrus autem aliquam Paulinarum epistularum collectionem (quae quot et quas continuerit, utique ignoramus) « reliquis Scripturis » aequiparat (2 *P* 3, 16) ac proin eas quoque inspiratas esse significat (cf n. 23, 2). Quod vero aliqui ex verbis Christi Apostolis docentibus continuam Spiritus S. assistentiam promittentis inspirationem librorum ab eis conscriptorum indirecte probari censent, id haud recte fieri arbitramur; aliud enim est, librum esse inspiratum, aliud est librum esse sub Spiritus S. omnem errorem praecaventis assistentia conscriptum. Ex assistentia enim Apostolis promissa non magis concludi potest, omnia eorum scripta, quibus fidelibus doctrinam revelatam exponebant, esse inspirata, quam ex assistentia Ecclesiae promissa sequitur, Conciliorum oecumenicorum symbola fidei et SS. Pontificum decreta ex cathedra pronuntiata esse inspirata.

§ 2. De natura inspirationis

548. 1. *Quid sit inspiratio.*

a) Antequam in ipsam quaestionem intramus, iuvat *varias sententias* recensere, quae decursu temporum de natura inspirationis prolatae sint.

Aetate Patrum Montanistae defendebant inspirationem « manticam », hagiographum scilicet ut instrumentum Spiritus Sancti mente excedere et in extasim abripi; ita *Tertullianus*, montanista factus (De an. 9 ; De resurr. carn . 63 ; Adv. Marc. 4, 22).

Patres nonnulli aliquoties quidem prophetas sacrosque scriptores citharae comparant, quam Spiritus plectro pulsaverit (*Ps. Iustin.* Cohort. ad Graec. 8), aut tibiae, quam Spiritus velut tibicen inflaverit (*S. Athen.* Leg. pro Christ. 9); quas comparationes moderni aliqui acatholici (cf e. g.

Cremer in PRE[3] IX 187s) ita urgent, ut Patres illos dicant sacros auctores similes credidisse ethnicis divinatoribus ac vatibus, qui extra se rapti ea proloquebantur quae ipsi non intellegebant. Per se autem patet eiusmodi comparationes non posse ita urgeri, nisi multa absurda Patribus affingere velimus. Eaedem aut similes comparationes etiam apud iuniores Patres interdum inveniuntur, qui tamen diserte contra Montanistas monent, prophetas non fuisse ita, sicut ethnici pseudoprophetae, extra se raptos, ut ipsi sua verba non intellexerint, sed Deum prius in eorum corde esse locutum, ut ipsi sapientes effecti sapientiam divinitus acceptam aliis annuntiarent; cf *Orig.* c. Cels. 7, 3. 4; in J t. 6, 2; in R 8,6 (*MG* 11, 1424s ; 14, 206. 1174), *S. Basil.* in Is Prooem. 5 (*MG* 30, 125), *S. Epiph.* haer. 48, 2. 3 (*MG* 41, 856), *S. Chrys.* in 1 C hom. 29, 1s (*MG* 61, 241), *S. Hier.* in Is Prol. ; in Na Prol. (*ML* 24, 19 ; 25, 1232), *S. Greg. M.* in Iob 13, 1.Moral. 12, 20 (*ML* 75, 983).

Theodorus Mopsuestenus contendit inspirationem aliquorum librorum ss. non esse « gratiam prophetiae », sed solummodo « gratiam prudentiae ». — Contra has sententias persuasio Patrum his fere cum *Pesch* (l. c. n. 140) describi potest : « Deus est auctor Sacrae Scripturae, quia eam scribendam inspiravit. Deus in condenda Scriptura usus est hominibus ut instrumentis vivis et rationalibus, quatenus eos movit ad ea omnia et sola scribenda, quae suo nomine scribi voluit. Ideo S. Scriptura et singulae eius sententiae sunt verbum Dei infallibiliter verum. Consequenter omnia et singula, quae in Scriptura a Deo inspirata leguntur, eo sensu, quo ibi dicuntur, fide divina credenda sunt. Deus S. Scripturam ut suum librum ecclesiae tradidit tamquam normam divinitus constitutam fidei et morum. Qui sint libri inspirati, discendum est ex doctrina ecclesiae, cuius est de libris ad canonem pertinentibus iudicium ferre ».

Scholastici medii aevi notionem prophetiae, cui Patres inspirationem comparabant, retinuerunt quidem, sed simul exposuerunt, « quomodo charisma hagiographorum a munere prophetico, quod attinet influxum Dei in intellectum, eo maxime differret, quod inspiratio ad scribendum non importat infusionem novarum specierum, sed solum iudicium de acceptis, idque in ordine ad scribendum. Copiosius explicaverunt, qua ratione scriptor sacer esset causa instrumentalis, Deus vero causa principalis S. Scripturae. Inerrantiam omnimodam Scripturae docuerunt et propugnarunt unanimiter » (Pesch l. c. n. 372). — Cf imprimis *S.Thomas*, S. Th. 2, 2, q. 173 ; De veritate q. 12 a. 13.

Tempore posttridentino controversiae imprimis versabantur circa

aturam inspirationis. Contra scholam thomisticam, quae defendebat quandam inspirationem verbalem, nempe « quoad phrases, stilum, singula verba » *(Billuart)*, *Lessius* et alii tenuerunt neque requiri novam omnium rerum revelationem neque verborum singulorum suggestionem. Quae sententia in Card. *Franzelin* nacta est defensorem egregium[1].

Non tamen deerant theologi, qui ab hac sententia recederent in partem laxiorem : *Richard. Simon*[2] (sufficere ad inspirationem, ut hagiographi « dirigerentur a Spiritu Sancto in omnibus, quae scribebant, ne in errorem inciderent »); *Bonfrerius*[3], Leon. Lessii discipulus, Deum triplici modo sese ad hagiographos habere *posse* docuit : *antecedenter*, « cum inspirat, revelat, demonstrat quae dicenda scribendave sunt, ita ut de suo marteve proprio nihil addat scriptor, sed ea dumtaxat scribat, quae a Spiritu S. inspirata revelataque sunt, ad eum modum quo discipulus magistro dictante excipit quae ab eo proferuntur »; *concomitanter*, « cum non ad modum dictantis et spirantis se habet Spiritus, sed ad eum modum, quo qui alterum scribentem oculo dirigeret, ne in re quapiam erraret » ; « *consequenter* se habere posset Spiritus S., si quid humano spiritu absque Spiritus S. ope, directione, assistentia a quopiam scriptore esset conscriptum, postea tamen Spiritus S. testaretur omnia, quae in eo scripta essent, vera esse : certum enim est, tunc totum hoc scriptum fore verbum Dei et eandem infallibilem veritatem habiturum, quam habent cetera, quae inspiratione vel directione eiusdem Spiritus S. conscripta essent ». « Tertio autem modo, inquit, *elsi non existimo Spiritum S. usum esse in iis quos habemus S. Scripturae libris*, absolute tamen nihil vetat uti vel etiam aliquando usum esse Spiritum, forte in libris nonnullis ac scriptis, quos supra diximus Scripturam S. fuisse et postea tamen interiisse ».

Saeculo 19 duae sententiae discesserunt longius a persuasione communi. Alteri favebat *Haneberg*[4], qui *inspirationem*, quam *subse-*

1. Contra quem scripsit *DZanechia* O. P., Div. inspiratio ss. Scripturarum ad mentem S. Thomae Aquinatis. Romae [1898], de quo cf *Pesch* o. c. n. 309ss. — *HMerkelbach*, L'inspiration des Divines Ecritures, Liège 1913, de quo cf *Pesch*, Supplementum n. 6 ; quae partim etiam valent de commentario *JVosté*, De natura inspirationis biblicae secundum principia Angelici Doctoris (Xenia Thomistica [Romae 1925] 35-64), in quantum Card. Franzelin sententiam impugnat, cf *AMerk*, Scholastik 1 (1926) 368-378.

2. *Histoire critique du N. Testament*, Rotterdam 1689.

3. *IBonfrerii* S. I. Praeloquia in totam S. Scripturam cap. 8. sect. 1-7 (*Migne* Scripturae S. Cursus compl. I 109ss).

4. *D. B. Haneberg* O. S. B. Gesch. der bibl. Offenb. Regensburg (^{3}1863), 817 ; sed piissimus ac doctissimus vir hanc sententiam postea diserte reprobavit eamque 4. edit., quae post eius mortem typis descripta est, corrigi totamque doctrinam de

quemlem appellabat statuens nonnullos libros V et NT[1] (maxime historicos) mera industria humana conscriptos sola *Ecclesiae* approbatione et in canonem receptione factos esse verbum Dei arbitrabatur.

Iahn[1] vero per solam externam quandam assistentiam S. Spiritus omnem scribentium errorem praecaventis libros nostros sacros exortos esse voluit, quam assistentiam aliqui *inspirationem concomitantem* appellarunt. At priorem sententiam *Concilium Vatic.* absolute reprobat, alteram non sufficere declarat; ac profecto neutra iis consonat, quae Scriptura et Traditio de librorum nostrorum origine tradunt, cum Deum eorum auctorem esse asserant.

Post Concilium Vaticanum disputatio praecipua versabatur circa effectum inspirationis, scil. S. Scripturae inerrantiam, practice etiam circa eius extensionem. Cui finem imponebat Encyclica « *Providentissimus* » (1893), quatenus contra scholam latiorem edixit, inspirationem et inerrantiam extendi ad totam scripturam, in qua consequenter error nullus esse possit. Simul principia quaedam proposuit in solutione difficultatum adhibenda. Exinde exorsa est lis de sensu et applicatione horum principiorum, donec Encyclica « *Spiritus Paraclitus* » (1920) quaestiones gravissimas decidit.

Alia plane fuit evolutio conceptus apud *Protestantes*. Veteres quidem Lutherani aliique protestantes, admittentes inspirationem mechanice verbalem, pervenerunt ad « veram quandam bibliolatriam » (Ch. Pesch, o. c. n. 230) ; recentiores vero vel negant indolem supernaturalem revelationis et S. Scripturae (Naturalistae, Rationalistae, Sensistae), vel saltem minuunt valorem et dignitatem ss. librorum. Dicunt enim, inspirationem non esse suggestionem factorum et verborum, sed consistere in experientia aliqua interna, quam Deus in anima hagiographi producit, qua hic aptus fiat, ut revelationem rite intellegat atque intellegendam aliis praebeat. S. Scriptura igitur non est formaliter verbum Dei. — Ex dictis patet, quomodo thesis *Modernistarum* intellegenda sit : « Nimiam simplicitatem aut ignorantiam prae se ferunt, qui Deum credunt vere esse scripturae sacrae auctorem » (Decr. « *Lamentabili* » 9 ; infra n. 568) ; ulterius positive ita sensum suum exponunt : S. Scripturam esse « syllogen experientiarum non cuique passim advenien-

inspiratione iuxta decretum Vatic. exponi iusserat (cf editoris praef. ad ed. 4. Regensb. 1876 p. VIII).

1. *I. Iahn* Einl. in die goettl. Schriften des A. B. Wien (²1802). I. § 14.— Huc etiam spectant sententiae iam pridem ab *H. Holden* (Analys. fidei div. I, 5) et *Ph. Ner. Chrismann* O. M. (Regula fidei cath. I 2, 51) traditae, de quibus infra (2a) recurret sermo.

tium, sed extraordinariarum atque insignium, quae in quapiam religione sunt habitae ». « Sic igitur in hisce libris Deus quidem loquitur per credentem ; sed, uti fert theologia modernistarum, per immanentiam solummodo et permanentiam vitalem ». Accedit impulsio quaedam, « qua credens ad fidem suam verbo scriptove aperiendam adigitur » (Encycl. « *Pascendi* » D. 2090 ; cf infra n. 565ss).

549. *b*) Iam videamus, *in quonam natura inspirationis consistat.*

Quia iuxta Scripturae et Traditionis testimonia libri nostri sacri Deum quidem habent auctorem, sed ab hominibus inspirante S. Spiritu conscripti sunt, tria in eorum origine obtinuisse recte asseruntur : supranaturali illustratione Deus effecit, ut totum argumentum, quod per certum librum cum hominibus communicare voluit, mens scriptoris conciperet scribendum ; gratia deinde sua efficaci voluntatem scriptoris, ut illud litteris consignaret, permovit ; continua demum assistentia sua scribentem direxit, ut omnes et solas veritates, quas ipse illo in libro scrib. voluit, hic apta vestiret forma, qua earum sensum plene redderet. Neque vero requiritur, ut Deum singulas quoque voces expressionesque scriptori suggessisse dicamus (id quod cum iunioribus nonnullis theologis etiam aliqui Patres videntur insinuare), licet libenter concedamus, id aliquoties contigisse, ubi nimirum Deus mysterium aliquod proprie dictum prima vice revelavit aut vocabulo ipso (e. g. nomine λόγου *Verbi*) vel ipsa vocabuli forma (*G* 4,6) aliquam veritatem significari voluit.

Haec iam ulteriore prosequamur disquisitione.

Inspiratio considerari potest tripliciter. Inspiratio *active* spectata est in Deo, eius nimirum actio ad extra, communis tribus personis, appropriata tamen Spiritui Sancto. Ab hac nos abstrahimus. Inspiratio *passive* spectata est in homine, actio scilicet hominis, quatenus subest influxui inspirativo Dei. Inspiratio *terminative* spectata est ipse liber inspiratus, prout est terminus cooperationis Dei et hominis. Nos consideramus inspirationem passive spectatam ; nam licet quaestio proxime sit de libro inspirato, hic tamen totus quantus prodit ex mente hagiographi, in quantum subest influxui divino. Hinc videndum erit, quis sit iste influxus, quem passus sit auctor humanus in concipiendo et efformando libro sacro.

Influxus Dei exercetur in intellectum, voluntatem, facultates exsecutivas psychicas hagiographi. Et in intellectum quidem, ut hagiographus ea omnia et sola scribat, quae Deus scribere vult (« res et sententias » seu argumentum libri). In facultates vero exsecutivas

psychicas (vim imaginationis), ut forma externa (stilus, lingua, idearum nexus...) apte ideas a Deo intentas exprimat ; in voluntatem demum, ut hagiographus libere sese ad scribendas has ideas determinet. De scriptione mechanica non agimus.

550. α. Influxus *in intellectum.*

In Scripturarum libris omnibus, quaecumque est eorum forma externa, sive hac, sive illa lingua sunt conscripti, sive prosaici sunt, uti historici et plerique didactici, sive poetici, uti alii didactici et multi prophetici, res et sententias (s. argumentum) primum et praecipuum locum occupare nemo negaverit, quoniam omnes libri sacri eo fine nobis sunt dati, ut argumento suo nobis utiles sint. Unde consequitur, ut Deus eorum auctor dici nequeat, nisi integrum eorum argumentum, omnes res et sententiae in iis contentae, ad eum tamquam ad earum causam principem referantur.

Altera vero ex parte Deus hominem ut causam instrumentalem movere debet, ut infallibiliter iudicet talem materiam esse scribendam, et ut iudicet cum certitudine de veritate scribendorum. Quoad intellectum practicum requiritur iudicium rem hoc vel illo modo esse scribendam, quod pertinet ad elocutionem.

Communicatio autem, vel *acceptio rerum* scribendarum supponitur quidem, sed non est *de ratione formali* inspirationis. Nam in simplici notitiae acceptione nemo censetur instrumentum eius a quo accepit. Ergo haec notitiae acceptio manet extra rationem propriam et intrinsecam inspirationis, sed semper praesupponenda est ut necessaria condicio (*Billot* [2], 50, *Pesch* n. 410 ; cf *S.Thom.* 2, 2 q. 173 a. 2).

Acceptio autem rerum pro varia materia diversa esse potest ; in aliis homo movetur, ut utatur propria industria, in aliis indiget revelatione stricte dicta. Sed haec nondum pertinent formaliter ad inspirationem.

551. β. Influxus in *voluntatem.*

Porro a Deo, ut alicuius libri auctor iure vocetur, motionem humanae voluntatis ad eum scribendum debere procedere, scriptorem vero divina et efficaci illa motione non magis libertate sua privari, quam homo quicumque sub influxu gratiae agens libertate privatur, vix opus est monere. Neque demonstratione indiget, motionem aliquam generalem ad scribendum de tali argumento non sufficere, sed eam ad singulas res et sententias sese extendere debere. Quomodo enim Deus integri libri auctor esset, si praeter aut contra eius voluntatem res ac sententiae nonnullae essent receptae ? Addamus autem cum hac interna motione speciali ac determinata optime conciliari, quod interpretes de externis occasionibus loquantur, quibus ss. scriptores ad libros suos exarandos permoti sint. Namque

nihil profecto obstat, quominus dicamus, Romanos Marcum rogasse, ut praedicationem Petri libro comprehenderet, Deum autem gratia sua Evangelistam, ut fidelium petitioni annueret, impulisse ; aut condicionem ecclesiae corinthiae eam fuisse, quae epistula corrigi deberet, atque Deum Pauli attentionem ad istum rerum statum gratia sua convertisse eique auctorem fuisse, ut litteris scriptis malo remedium afferret etc.

Utrum influxus iste in voluntatem exercendus sit et debeat esse immediatus et physicus, an vero sufficiat mediatus internus moralis, quam videtur admittere Card. *Billot* (o. c. 55) controvertitur.

552. γ. Assistentia quoad *facultates exsecutivas*.

Quoad facultates quidem exsecutivas non eundem atque in intellectum et voluntatem hagiographi requirimus influxum ; postulamus tamen assistentiam divinam. Nam Deus, ut Ecclesiae suum verbum cum infallibili certitudine cognoscendum traderet, efficaci sua assistentia non tantum invigilare debuit, ne suis sententiis, quas illo in libro tradi voluit, ulla aliena admisceretur aut ex eis ulla omitteretur vel magis minusve erronee exprimeretur, sed scriptorem etiam dirigere debuit, ut semper et ubique, etsi non aptissimam ac pulcherrimam, aptam tamen ac verbo divino convenientem formam eligeret. Hinc fieri potuit, ut Deus certis in locis seriem ac dispositionem rerum aut ipsas quoque interdum voces imaginesque suggereret, quae ad plenum divinum sensum reddendum erant necessariae neque a scriptore, nisi suggestae, essent adhibitae.

De *inspiratione verbali* moderna, quae recte vocatur « *psychologica* » infra dicemus, agentes de inspirationis extensione.

Influxum autem illum in intellectum et (sive immediatum sive mediatum) in voluntatem ita breviter describere possumus : Debet esse 1° *supernaturalis* — in oppositione ad concursum generalem vel ad « experientiam internam » modernistarum — : nam ita pingunt eum fontes omnes. Concilium *Vaticanum* edicit : « Eos (libros) Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati ; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant, sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem atque ut tales Ecclesiae traditi sunt » (D 1787). Ad schema autem haec addita sunt a theologis Concilii : « Haec vero scriptio divina declaratur, quod libri conscripti sunt inspirante Spiritu Sancto. Erat igitur supernaturalis operatio Spiritus Sancti in homines ad

ipsos libros scribendos » (Coll. Lac. VII 522). Cf Encycl. « *Providentissimus* » (infra n. 562,12), quam confirmat « *Spiritus Paraclitus* » (infra n. 564,1).— Influxus 2° debet esse *charismaticus* i. e. positivus et internus — in oppositione ad solam approbationem (Dei vel Ecclesiae) subsequentem et ad assistentiam Dei externam — et immediatus. Ita eum describunt documenta Ecclesiae, imprimis Conc. *Vaticanum* (l. c.), Encycl. « *Providentissimus* » (l. c.) ; ita traditio unanimis et Patrum et theologorum, qui omnes hagiographum aequiparant prophetae, eo solo discrimine, ut hagiographus *scripto* consignet « verbum Dei ».

Ita Deus vere *auctor* S. Scripturae, non qualiscumque, sed *litterarius*, qui scl. certas ideas ut suas (seu suo nomine) conscribit i. e. concipit, ordinat, componit, scribendas proponit, litteris consignandas curat. Ipsa haec consignatio fieri potest per alium, qui dein ut auctor *instrumentalis* ad librum scribendum cooperatur. Sic Deus in conscribendis libris sacris ut auctor *principalis* usus est hagiographis tamquam auctoribus instrumentalibus.

553. 2. *Quousque sese extendat inspiratio.*

Si quaestionem movemus de extensione influxus inspirativi divini, non agimus de libris vel de partibus librorum, quae inspiratae sint ; haec enim quaestio potius ad tractatum de canone pertinet (cf D 784 ; 1787 ; Coll. Lac. VII 1621). Sed supposita inspiratione alicuius libri quaerimus, quousque inspiratio ipsum afficiat.

Inquirimus igitur num aliquis liber inspiratus ex integro sit inspiratus, num totum argumentum, omnes res et sententiae sub inspirationem cadant an aliqua excludi possint aut debeant. Quaestio hoc prioribus saeculis non agitabatur, sed recentioribus demum temporibus proposita est. Ab hac vero quaestione alia separanda est, quae versatur circa elocutionem et linguam libri inspirati.

554. Assertio : Inspiratio sese extendit *ad omnes res et sententias* libri inspirati.

Hanc fuisse sententiam in antiquitate christiana et postea usque ad nostra fere tempora communiter receptam constat. Nam scriptores NT[1], SS. Patres, theologi unanimi consensu ex omnibus SScripturae locis suas allegationes et argumenta indubia et certissima depromunt, in minimis rebus Dei, Spiritus Sancti verba agnoscunt, nullas statuentes aut admittentes exceptiones.

Primus inter theologos catholicos medio s. 17 Anglus quidam, *HHolden*, inter ea, quae in Scripturis sint vere doctrinalia et inter alia ita distinxit, ut haec sine ulla speciali Dei assistentia scripta assereret. « Auxilium speciale divinum praestitum auctori cuiuslibet scripti, quod pro verbo Dei recipit Ecclesia, ad ea solummodo se porrigit, quae vel sunt pure doctrinalia vel proximum aliquem aut necessarium habent ad doctrinalia respectum ; in iis vero, quae non sunt de instituto scriptoris vel ad alia referuntur, eo tantum subsidio Deum illis adfuisse iudicamus, quod piissimis ceteris auctoribus commune est » ; (Analysis fidei I 5); « quamvis *falsitatis arguere non licet quidquid habetur in sacro codice*, verumtamen quae ad religionem non spectant, catholicae fidei articulos non adstruunt » (l. c. II 3).

Quem saeculo insequente secutus est *PhNChrismann* O. M., qui similiter distinguens, partes non doctrinales negativa quadam cum assistentia scriptas asseruit ; neuter tamen omnia, quae in Scripturis leguntur, vera et certa esse negant. « 1° In libris sacr. et canon. contineri doctrinam a Deo per Prophetas Apostolos Evangelistas aliosque hagiographos revelatam, atque hoc praecipue sensu Scripturam esse proprie verbum Dei, veritas divina et catholica est ; 2° illud solum ex libris divinis fide divina credendum est, quod tamquam *doctrina revelata* refertur ;... 5° facta vero, quae nec antea nec in actuali scriptione revelantur, fide divina propria credenda non sunt ; 6° quare tantum abest a dogmate fidei, ut ne quidem certum ac necessarium sit, ut singulae veritates ac sententiae a Spiritu S. suggerantur aut inspirentur ; sufficit namque ea inspiratio, qua Spiritus S. auctores sacros inter scribendum direxit ne errarent ; 7° omnia, quae in Scripturis referuntur, vera et certissima sunt » (*Chrismann*, Regula fidei cath. I 2 § 51 ; cf *Migne* Theol. curs. compl. VI 907). Fuse contra hanc doctrinam agit *IKleutgen* Theologie der Vorzeit.[2] I 50-72.

Saeculo autem 19 aliqui scriptores catholici ulterius progressi inspirationem ad ea, quae fidem moresque attingunt, ita restringi asseruerunt, ut scriptores in aliis non tantum errare potuerint sed saepe erraverint ; hac nimirum nova sententia admissa se Scripturarum auctoritatem ab incredulorum obiectionibus facilius defendere posse arbitrati sunt. Inter se tamen huius sententiae auctores parum consentiunt : *Em. Newman* (On the Inspiration of Scripture. The Nineteenth Century Febr. 1884) sola ea, ut videtur, quae *obiter dicta* appellat, i. e. incisa quaedam et notas insertas (uti *Iudith* 1, 7 Nabuchodonosor regem fuisse Ninives ; 2 *T* 4, 13 Paulum penulam Troade reliquisse etc.), ab inspiratione excludit; contra sententiam hanc egregie disputant *IBrucker* S. I., L'étendue de l'inspiration des livres s. Controverse et Contemporain. Déc. 1884. Ianv. 1885, et *FSchmid*, Die neuesten Controversen über die Inspir. ZkTh 1886 ; *FrLenormant* (Les origines de l'histoire d'après la Bible et les traditions des peuples orient. P. 1880 Préf. VIss) integram fere narrationem historicam negat inspiratam esse

mythosque a Moyse referri censet; contra eum optime disserit *Fr. de Hummelauer* S. I. Inspiration und Mythus. Stimmen aus M. Laach 1881. 21,348ss. 448ss) ; alii, uti *Rohling* (Die Inspiration der Bibel und ihre Bedeutung f. die freie Forschung, Natur u. Offenb. Mst. 1872, 97ss), in iis quae ad historiam naturalem magis spectant, inspirationem proprie dictam negant etc., contra quos *Rebbert* Natur u. Offenbarung, 1872, *Franzelin*, De Trad. et Script. 564ss.

555. Quaestionem decidit Encycl. « *Providentissimus* » (infra, n. 562.12) : « at nefas omnino fuerit... inspirationem ad aliquas tantum sacrae Scripturae partes coangustare... », quam excepit Prop. 11. decreti « *Lamentabili* » (« Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat »), confirmat et authentice explicat Encycl. « *Spiritus Paraclitus* » (infra n. 564,4).

Neque his decisionibus quidquam novi in doctrinam Ecclesiae intruditur. Nam hoc idem Patres docuerunt (cf Pesch, De inspiratione n. 434), hoc idem tenuit consensus fere physice unanimis theologorum, quatenus omnium suppositum fuit extensio inspirationis ad totam S. Scripturam, hoc denique videtur sponte fluere ex conceptu auctoris, qualem, secuti fontes, supra descripsimus. Namque integrarum Scripturarum Deus est auctor ; quodsi S. Paulus *omnem* Scripturam divinitus inspiratam ideoque utilem ad docendum dixit, certe rem non ita intellexit, ut quaedam dumtaxat sententiae in libris sacris, quos Timotheus ab infantia novit, inspiratae utilesque sint. Neque Concilia, si Scripturarum « libros integros cum omnibus suis partibus » sacros et canonicos declararunt, quia « Spiritu S. inspirante conscripti Deum habeant auctorem », rem ita intelligere potuerunt, ut divina illustratio et motio nonnullas tantum sententias maioresque vel minores partes attigerit et quasi per intervalla egerit in sacros scriptores. Itaque licet verissimum sit, non omnia, quae in Scripturis scripta sunt, revelata esse sacro auctori, si revelatio strictissimo sensu divina rei occultae manifestatio intellegitur, Ecclesiae tamen libri inspirati integri traditi atque propositi sunt ut verbum Dei et obiectum fidei. Ubinam porro Concilia in suis definitionibus inspirationem ad solas res fidei ac morum restrinxerint, nemo nobis indicaverit ; et quid Patres omnesque alicuius nominis theologi de integrarum Scripturarum inspiratione senserint, ex eo satis elucet, quod ob earum divinam originem nihil omnino falsi aut erronei aut absurdi in ulla earum parte inveniri docuerunt.

3. *De inspiratione elocutionis et verborum.*

556. Quaestio haec ab antiquis non explicite tractata est. Posterioribus vero temporibus auctores accuratius inquisiverunt, num et quomodo ipsa *lingua* et *elocutio* librorum sacrorum inspirativo influxui divino subsit.

Inspirationem non posse consistere sine aliquo influxu positivo in ipsam elocutionem patet, si revera ad omnes res et sententias extenditur. Proinde recte omnes auctores catholici tenent *aliquam inspirationem verbalem*. Sententia enim a nobis sine ullis verbis concipi non potest. Quod ab illis quoque asseritur qui defendunt inspirationem, quae dicitur solum *realis*. Cf *Fernandez*, De inspiratione verbali, Vb Dm 7 [1927] 308 s

Vario enim modo auctores influxum divinum in elocutionem concipiunt.

1. Fuerunt qui dicerent Deum infundere hagiographo species verborum, ut auctor humanus sine ulla fere molitione propria scribat, Deus dicitur ab his verba « dictare », vel « quasi dictare ». Ita inter catholicos *Bannez*, *Gregorius de Valentia*, *Estius*, alii. Magis etiam hanc sententiam propugnaverunt protestantes priores orthodoxi, *Buxtorfii*, *Voetius*, alii. Inspiratio verbalis mechanica appellari solet. Sed auctores catholici simul admittunt hominem in scribendo secundum suam indolem naturalem a Deo moveri, ita ut vix ullus sit, qui dictationem sensu stricte doceat. *Bannez* explicitis verbis asserit motionem divinam fieri secundum facultates humani auctoris. In I partem Summae q. I art. VIII.

Verbalis autem inspiratio hac ratione concepta, ut singula verba ita dictentur a Deo, ut auctor humanus nulla utatur propria industria, neque congruit cum factis, neque requiritur ad tuendum conceptum inspirationis. Patres toties notaverunt hagiographum moveri a Deo secundum suam indolem, ita e. g. *Augustinus*, *Hieronymus*, quod in ipsis documentis Ecclesiae explicite enuntiatur, cf Spir. Paracl. n. 564, 1. S. *Augustinus* acrius loqui solet contra eos, qui adeo apices et litteras colunt, cf n. 385, 2.

Praeterea verum est, quod adversarii huius sententiae plerumque afferunt, si talis inspiratio verbalis requiritur, textum SScripturae vere inspiratum non haberi nisi in textu originario aut in versione item inspirata. Cum quo minime consistit, quod Ecclesia latina Vulgatam tanti facit, quam non inspiratam esse omnes concedunt.

557.—2. Unde recentiores hanc sententiam fere unanimiter reliquerunt. Ipsi autem varia ratione explicant influxum divinum in verba. *a)* Alii enim dicunt actione divina facultates auctoris ita elevari in libro conscribendo, ut lumen intellectuale datum ad conceptus efformandos etiam ipsa verba afficiat. Ita *Billot*, *Lagrange*, *Scheeben*, *Chauvin*, *Zanecchia*, *Merkelbach*, *Bainvel*, *Prat*, *Voste*, *Höpfl*, alii. Sed notamus, non omnes influxum divinum eodem modo concipere, quamvis verbis videantur omnino inter se convenire.

b) Paulo aliter influxus divinus in elocutionem concipitur a *Suarez*, *Franzelin*, *Mazzella*, *ChrPesch*, *Creis*, *FrSchmid*, *Berthier*, *Dorsch*, aliis. Hi enim ita intellegunt actionem divinam in hagiographum, ut error arceatur, apta seligantur verba. Distinguunt in libro res et sententias a forma qua hae propununtur, i. e. a verbis, lingua, compositione, vel ut recentiores loquuntur, distinguunt partem libri *formalem a materiali*. Quae distinctio in se recte statuitur, quatenus primarium elementum sine dubio sunt res et sententiae, secundarium lingua et verba. In applicanda vero hac distinctione varios gradus admittunt neque negant in aliquibus libris aut partibus utrumque elementum ita coniungi, ut separari vix possint. Et pro condicionibus diversis influxum immediatum divinum in linguam maiorem esse. Nullus porro ex his auctoribus videtur influxum solum negativum admittere, sed positivum omnes postulant, quamquam aliquando ita loqui videantur, ac si contenti essent influxu, qui tantum errorem removeat.

3. Iam si quaeritur, cui sententiae accedamus, respondemus recentiorum de verbali inspiratione et alteram de reali (tantum) non adeo inte se differre, ut tantopere in utramque sententiam disputetur. Tota enim res in eo versari videtur, *quo gradu* influxum positivum divinum in libri inspirati linguam statuamus. Quoniam autem ex utraque parte sunt qui hunc influxum maiorem aut minorem censeant, media fere sententia videtur praeferenda.

Ex una parte impossibile esse putamus negare omnem influxum positivum Dei in linguam et verba. Negativa enim assistentia sola non sufficit. Praeterea difficulter distinguitur *in practica applicatione* pars materialis et formalis, cum psychologice vix accuratius definiri possit, si applicatio ad determinatum librum fieri debet. Quare potius cum recentioribus eligimus hunc modum loquendi, ut dicamus ab inspiratione totum hominem cum suis viribus et facultatibus ita adhiberi tamquam instrumentum et supernaturaliter elevari, ut hic determinatus liber oriatur, qui ex una parte prae se fert indolem hominis et facultatum eius et artis litterariae, ex altera parte influxum divinum omnimodum expertus sit, ut supposita naturali virtute et ea intacta relicta, ea quae Deus cum hominibus communicare vult, omnia recte, integre, apte enuntientur. Operatio et indoles propria instrumenti eatenus manet, quatenus non impedit effectum a Deo intentum. Unde linguae puritas, pulchritudo vario gradu libro inspirato inesse possunt. Facultates hominis elevantur quidem per actionem divinam, sed earum indoles non simpliciter mutatur. Sed non omnes effectus huius cooperationis Dei et instrumenti eadem ratione a Deo videntur esse voliti, quamvis sint praevisi et supposita electione huius determinati instrumenti etiam intenti. At quis dixerit linguae imperfectiones, obscuritates, sententiarum constructionem inconcinnam et alia huiusmodi esse a Deo directe intenta ? Eatenus censemus sententiam Cardinalis Franzelin continere elementum ab omnibus

admittendum, et revera ab omnibus fere recentioribus admittitur.

Sententia haec prout proposita est, ab omnibus videtur libera esse incommodis. Neque enim laborat difficiliore illa distinctione elementi materialis et formalis, neque ex altera parte totam materialem elocutionem ita directo influxui divino subicit, ut imperfectiones quoque apertas linguas actioni divinae ut causae principali adscribi debeant.

Qua in re aliqui propugnatores huius sententiae iustos limites certe transgressi sunt, cum etiam errores materiales, ut dicunt, inter has imperfectiones enumerari posse putarent. Dum enim ex hac hypothesi imperfectiones (i. e. falsitatem obiectivam) sententiarum admitterent et ideo hypothesim propugnarent, ut talia facilius admittere possent, patet hypothesim ipsam aliquibus theologis non satis tutam visam esse. Et revera quidam acerrimi defensores eius a veritate aberraverunt (cf *Pesch*, Compendium Theologiae dogmaticae I n. 391). Quod etiam notatur in Encyclica *Spiritus Paraclitus* de iis qui inspirationem ipsam ad omnes sententias, immo etiam ad singula Bibliorum verba pertinere volunt, sed eius effectus ad elementum religiosum contrahunt et coangustant (n.564,3). Sed cum haec non ex ipsa hypothesi fluant et in ea verus influxus divinus in enuntiata et verba salvus maneat, qui omnem errorem arceat, haec sententia in se nullum periculum includit et propter commoda supra enumerata commendatur. Illi quoque theologi qui eam non suam faciunt, non simpliciter eam reiciunt, sed sub quibusdam condicionibus admitti posse concedunt (cf *Pesch*, Supplementum n. 3. 7-9. *Bainvel*, De Scriptura Sacra 137 s ; *Höpfl* 36-40 ; *Billot* 55 ss.)

558. *Inerrantia SScripturae*, in genere intellecta, semper considerata est pertinere ad depositum fidei, saltem quoad res fidei et morum, a longe plurimis autem, et ab antiquis omnibus etiam quoad alia omnia. Hinc ne illi quidem qui postea ut *Holden* et alii inspirationis extensionem coarctaverunt, errores inveniri in SScr concesserunt. Similiter cum nostris temporibus controversia exorta esset de sensu et ambitu inspirationis, pauci directe textum sacrum erroris arguere ausi sunt.

De *facto* inerrantiae dubium esse non potest. Nam huius rei argumenta indubia ex tota traditione praesto sunt. SScr *ex verbis Christi* et *Apostolorum* est fons absolutae veritatis ; sufficit ipsis unum textum, unicam sententiam attulisse, ut de veritate rei allegatae constet. Nam « Scriptura solvi non potest » (J 10, 35). Neque distinguunt inter textus dogmaticos et historicos. Idem docuit explicitis verbis tota *traditio Patrum*. *Hieronymi*, *Augustini* testimonia huius persuasionis certissima sunt argumenta (cf n. 562, 10 ; 564, 2). Ex *theologis* unum afferimus *S. Thomam* dicentem : « Haereticum est dicere quod aliquid falsum non solum in Evangeliis, sed etiam in quacumque canonica Scriptura contineatur » (in J 13, lect. I contra Graecos). Cf *Marcus Sales* O. P. Divus Thomas, Piac. 1 [1924] 87-92.

Ecclesiae doctrina non minus diserta est, ultimis potissimum temporibus saepius proposita. *Leo XIII* inerrantiam omnimodam non solum claris verbis docet, sed eam cum ipsa notione inspirationis intime conexam esse proclamat. Inspiratio non modo errorem excludit omnem, sed tam necessario excludit et respuit, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse (Provid. n. 562, 12). Idem enuntiatur a *Pio X* (568, 11-14 ; 565, 3) a *Benedicto XV* (564, 3-6). In decreto *Commissionis Biblicae* de die 18. Iunii 1915 sermo est de « dogmate catholico de inspiratione et inerrantia S. Scripturarum » (n. 582, 11). Unde de facto inerrantiae quaestio nulla esse potest inter catholicos.

559. De *applicatione* vero doctrinae de inerrantia ad singulos libros aut eorum partes ulterius inquisitio instituenda est.

1. Difficultatibus quae ultimis temporibus ex parte rerum naturalium et ex historia acrius contra SScripturam movebantur, auctores variis modis occurrere conabantur. Ex parte acatholicorum in dies magis inspiratio et consequenter inerrantia SScripturae negatur. Catholicos auctores vero hos sequi non posse patet. Quare alia ratione solutiones tentaverunt et alii alias vias ingressi sunt.

Paulo antequam Encyclica « Providentissimus » in lucem prodiit, *M. d'Hulst* solutionem hunc in modum tentaverat : Sine dubio Scriptura non solum infallibilis est ut Ecclesia, sed etiam inspirata. Sed etsi inspiratio ad omnia extenditur, fortasse non omnibus dictis sacri scriptoris confert infallibilitatem, sed hoc privilegium fortasse reservatum est solis dictis de fide et moribus. Fortasse alia enuntiata, quibus inspiratio fidem non facit, solum adsunt tamquam vehiculum doctrinae de fide et moribus.

Fortasse Deus inspirator, qui potuit etiam in tali casu corrigere errores materiales scriptoris sacri, hoc facere utile non iudicavit. Haec est opinio scholae, quam appellare possis largiorem (école large) (La question biblique P. 1893, 24s.).

Quae opinio, secundum quam multa in SScr sunt solum vehiculum aut vestimentum doctrinae de fide et moribus, et consequenter non participant inerrantiam SScripturae, et quia sunt tantum errores materiales, a Deo non cavendi erant, a pluribus auctoribus etiam post Encyclicam « Providentissimus » proposita est. Loquuntur de veritate *relativa* aut *oeconomica* Scripturae (*Loisy*). Deum propter rationes sapientissimas se accommodasse modo cogitandi et loquendi illorum temporum. Vulgus perfectam scientiam et historiam non intellexisset, ea potius ipsi nocumento fuisset (cf « Pascendi » n. 565, 3). De indumento proinde non esse curandum. Sic fere Modernistae. Alia ratione alii solutiones quaerebant. Varia *genera litteraria* discernebant, secundum eos alia in aliis veritas inest. *Modum scribendi historiam* apud antiquos alium fuisse ac apud nostri temporis homines. In singulis vero libris posse contineri hinc inde *traditiones populares*, modum narrandi vulgarem, non omnia, quae ab auctore sacro referantur, ab ipso approbari, admitti posse vel debere *citationes* quas vocabant *implicitas* vel *tacitas*, de quarum veritate diiudicandum sit eadem ratione, sicut de citationibus formalibus et explicitis (cf *Fr. de Hummelauer*, Exegetisches zur Inspirationsfrage, BSt, 9,4, Fr. 1904). *Pesch*, De inspir. n. 341ss ; Supplementum ; *Fonck*, Der Kampf um die Wahrheit der hl. Schrift seit 25 Jahren, Innsbruck 1905.

2. Quare inquirimus, quam *applicationem* dogma de inerrantia SScripturae in singulis quaestionibus habeat.

Ea quae de veritate relativa supra exposita sunt non posse consistere cum doctrina catholica de inerrantia manifestum est, cum in hac opinione agatur de erroribus apertis qui sacro auctori attribuuntur. Per Encyclicas *Leonis XIII*, *Pii X*, *Benedicti XV* et alia ab iisdem Pontificibus edita documenta eiusmodi opiniones reprobatae sunt.

Sed alia fortasse via incedendum est, ut difficultatibus occurramus. An non ex ratione *interpretandi* multa e medio tolluntur, quae obscuriora esse videntur. Iuvat igitur praemittere *axioma* communiter fere receptum theologorum. « Alia veritas inest aliis SScripturae libris vel partibus ». Unde videndum est, quae veritas singulis libris aut eorum partibus aut singulis assertis auctoris sacri conveniat.

Veritas est conformitas asserti ad rem. Assertum intellegimus iudicium seu sententiam auctoris ut talem, i. e. obiectivam. Haec conformitas cum sit in indivisibili, veritas relativa sensu modernistarum, quatenus valeat tantum pro certis condicionibus aut hominibus alicuius aetatis, omnino excluditur (D 2079). Diversitas igitur, qua oritur alia veritas in aliis SScripturae partibus, potest provenire solum ex *modo* quo conformitas *verbis enuntiatur*. Potest enim iisdem verbis sensus diversus inesse, vel verbis diversis idem sensus. In hoc proinde inquirendum est, quid auctor sacer suis verbis intenderit. Apparet autem haec pertinere ad *interpretationem*, non spectare *ipsam inspirationem*, nisi forte indirecte. Quo in casu utique videndum est, num inspiratio cum suis consectariis salva maneat. Si vero agitur de interpretatione, retinendum est, *Ecclesiae esse iudicare de sensu SScripturae*, neque posse privatum doctorem independenter ab Ecclesia suo sensui indulgere (cf Provid. n. 562, 4 ; Spiritus Paracl. n. 564, 7 ; Declaratio s. Officii de die 2. Iunii 1927, cf n. 418, 3 ; D 2198).

Mens autem *auctoris* variis modis manifestari potest.

a) Primo enim quaeri potest de libri alicuius *genere litterario*, agaturne de opere historico an didactico, porro sitne generis poetici necne, sitne parabola aut allegoria. Nullum sane ex his generibus litterariis per se ab inspiratione excluditur, et de facto omnia haec genera in ss. libris inveniuntur. Patet vero in opere poetico aliam veritatem quaerendam esse quam in historico. Neque enim solum modus loquendi poeticus aliter diiudicandus est ac historicus, sed in poemate, e.g. in Cantico, aliis libris huius generis tota compositio, dialogus, immo ipsae personae possunt ex integro esse confictae.

Si vero de indole non tam clare constat, interpretum est *rationibus obiectivis* indolem litterariam accuratius circumscribere. Qua in re *Ecclesiae doctrinam et traditionem* respicere oportet. Quamquam enim nullum genus litterarium (honestum) cum inspiratione pugnat et per se etiam liber *specie tenus historicus* possit esse parabola vel alio modo didacticus, facile patet non omnem librum qui prae se fert indolem historicam declarari posse mere didacticum aut poeticum. Unde si hodie apud catholicos quoque auctores agitur quaestio de indole librorum Iudith, Tobiae, Esther aut prophetiae Ionae aut aliorum, rationes et argumenta obiectiva proponenda sunt, ratio habenda est traditionis, *ultimum iudicium Ecclesiae* relinquendum. Ita in decreto Commissionis Biblicae de die 23 Iunii 1905, n. 570. Idem valet de gradu, quo fortasse aliquis liber historicus censeri possit continere omnimodam vel tantum partialem veritatem historicam. Num possit admitti, tantum facta principalia esse historica, alia vero liberiore modo narrata et amplificata, quod aliqui volunt de libris supra enumeratis; cf n. 572 ; Spir. Paracl. n. 564, 6.

Quod valet de historicitate integrorum librorum, de singulis eorum partibus ratum est ; e. g. de prioribus capitibus Geneseos hoc explicite declaratum est (Decretum Commissionis Biblicae d. 30 Iunii 1909, n. 572), attamen non obstante charactere historico horum capitum non omnes locutiones et phrases sensu proprio accipiendae et interpretandae sunt, cf dubium V huius decreti.

b) Si constat de libri indole, ulterius quaeritur, *num omnia*, quae in eo continentur *ab auctore approbentur*, ita ut omnia sua faciat.

Quod *citationes formales* attinet, generatim principium valet : « Affirmatur veritas citationis, non veritas rei citatae », nisi haec explicite ab auctore asseritur aut ex contextu consequitur. Documenta igitur, epistulae et alia similia eo quod ab auctore inspirato assumuntur, in se nondum fiunt inspirata. Verba quae ab auctore aliis adscribuntur, revera dicta esse patet, sed veritas obiectiva vel honestas horum verborum ideo non affirmatur. Christi autem verba, legatorum divinorum ut talium effata ab auctore sacro supponuntur approbari. Difficilius autem est definire, quid in libro poetico ab auctore approbetur, e. g. in libro Iob. Amici Iob multa proferunt, quae non sunt approbanda et Deus ipse amicos vituperat. Sed inde non sequitur omnia esse reprobanda, quae ab illis dicta sunt. Quid autem de Iob dicendum? A Deo aliquomodo corripitur et stultitiae argitur, et ipse agnoscit se insipienter esse locutum. Attamen Deus eum prae amicis laudat (cf n. 252, 2).

Difficilior quaestio agitatur de documentis quae *non ut talia* ab auctore inspirato formaliter designantur. Cum non sit omnino eadem ratio citationis *explicitae* et *implicitae*, duo hic observanda sunt. *Alterum* est, num constet de *facto* citationis. De quo certis argumentis constare debet, quae ex contextu aut ex modo loquendi desumenda sunt, cum ex supposito auctor ipse non explicite loquatur. *Alterum* est, num constet auctorem

citationis asserta nolle approbare aut sua facere. Nam quo minus auctor aliquis allegationem aliquam ut talem designat, eo magis videtur eius sensum suum facere. Quare responsum *Commissionis Biblicae* monet, ne facilius talis citatio implicita admittatur (n. 269 ; 143, 1). Patet enim admissis eiusmodi citationibus tacitis facile periculum oriri posse. Quamvis enim primario et *formaliter* tantum *interpretatio* tangatur, consequenter tamen aliqua ratione etiam *extensio inspirationis* de facto restringitur et aliquae partes ab inspiratione eximuntur. Unde inspiratio « aliquatenus coangustatur, cum tacitae sic dictae citationis invehuntur » (*Pascendi* n. 565, 1 ; *Spiritus Paracl.* n. 564, 6) ; cf *Pesch*, Supplem, n. 21ss.

c) Alia deinde ratione *interpretatio* in *intentionem* et *mentem* auctoris sacri inquirit.

1) Ac primo quidem considerandum est, quae sit *intentio* auctoris, voluerintne scribere ordine chronologico, an alio, logico, systematico. Quod magnopere respiciendum est, cum ex compositione alicuius libri interpretatio non leviter soleat pendere. Libros propheticos non secundum strictam chronologiam compositos esse constat. Idem hodie ab omnibus fere agnoscitur de Evangelio S. Matthaei, et de ipsis sermonibus longioribus eiusdem Evangelii. De secundo Evangelio iam antiquitus eadem quaestio movebatur, de tertio non videtur aliter sentiendum. Quantopere autem interpretatio Apocalypseos pendeat ab hac quaestione nemo ignorat.

2) Deinde quaeritur, quam accurate ss. auctores facta referre voluerint e. g. in referendis factis aut sermonibus Christi aut Apostolorum in Evangeliis vel Actis. Eadem enim facta aut eosdem sermones non iisdem verbis ab Evangelistis tradi notissimum est. S. Matthaeus brevi compendio exhibere solet, quae a S. Marco aut Luca fusius describuntur, et pluries ita brevis est, ut interpres laboret in narrationibus conciliandis. Ex his elucet Evangelistas fidelitatem *substantialem* potius quam materialem omnimodam intendisse. Exempla tum ex narrationibus tum e sermonibus supra attulimus (n. 431, 1 ; 384, 2 ; 385, 2). Unde affirmare licet ss. auctores in hac re imitatos esse communem modum narrandi apud homines passim usitatum, quod S. Augustinus saepius monet : n. 385, 2.

3) Cum hac autem ratione loquendi cohaeret, quod ss. auctores utuntur illis quoque *modis loquendi*, qui apud homines generatim adhiberi solent, a quibus ne docti quidem abstinent. Loquuntur enim modo generaliore, indeterminato, aut sine restrictione loquuntur, ubi patet non de omnibus omnino sermonem esse, v. g. si S. Lucas dicit die Pentecostes Hierosolymis fuisse viros religiosos ex omni natione quae sub caelo est (A 2,5), nemo dixerit adfuisse homines ex ultima Asia aut America aut Oceania.

Solemnis autem est hic modus loquendi in *rebus naturalibus*, de quo *Leo XIII* in Encyclica *Providentissimus*. Secundum Pontificem Spiritus Sanctus non vult intimam aspectabilium rerum constitutionem docere ; hinc res ipsas aliquando describit et tractat aut quodam translationis modo, aut sicuti communis sermo per ea ferebat tempora hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. Scriptor sacer ea secutus est, quae sensibiliter apparent, seu quae Deus ipse, homines alloquens ad eorum captum significavit humano more (n. 562, 10).

4) In eodem contextu etiam sermo instituitur *de rebus historicis* verbis quae propter contextum videri poterant ambigua. Verba autem sunt haec : « Haec ipsa deinde ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim iuvabit transferri ». Quae verba ita ab aliquibus exponebantur, ut secun-

dum mentem Pontificis etiam in rebus historicis sacer auctor possit loqui sensu accommodato, proinde referre traditiones, fabulas, mythos, alia his similia quin modo loquendi haec tanquam fabulae aut traditiones vulgares significarentur. Neque solum ex verbis Encyclicae haec deducebant, sed etiam ex S. Hieronymo et aliis Patribus suam interpretationem confirmari posse contendebant, cf *Spir. Paracl.* n. 564, 5.

Sed haec interpretatio sustineri non potest et revera reicitur a *Benedicto XV*. Nam non solum cum tota Encyclica et mente Leonis XIII talis interpretatio aperte pugnat, sed etiam ratio ab ipso proposita eam evidenter excludit. Nulla enim est paritas rationis inter res physicas et scientiam historiae. « Cum enim physica versentur in iis quae sensibiliter apparent et ideo cum phaenomenis concordare debent, secundum legem historiae scripta cum rebus gestis uti reapse gestae sunt congruere oportet » (Spir. Paracl. n. 564, 5). Porro si *S. Hieronymus* dicit hagiographum ideis et influxui sui temporis et populi subesse, hoc eo tantum sensu affirmat, hagiographum se accommodare in nomine rebus et personis imponendo et in his sequi communem loquendi modum (l.c.).

Unde haec controversia finita est, neque aliter finiri potuit, cum secus inerrantia SScripturae vix iam in tuto collocata esset.

Dilucide et sobrie de hac re, ut solet, *ChrPesch*, De inspiratione n.490ss ; Supplementum n.29. *Höpfl* 72ss.

§ 4. De criterio quo constet, quinam libri inspirati et Ecclesiae traditi, hinc canonici sint

560. Inspiratio, qualem descripsimus, constat de solis libris, quos vocamus sacros et canonicos, qui collecti in canonem, constituunt « Sacram Scripturam ». Quaeritur, quo iure hic canon confectus sit, aliis verbis, quonam criterio constet, quinam libri inspirati sint eo fine ut usu Ecclesiae publico inservirent.

1. Qua de re *variae sunt sententiae.* — *Naturalistae*, rationalistae, sensistae religiosi omnis generis conveniunt in eo ut dicant, libros V et NT[1] esse originis mere humanae ; his igitur nulla est quaestio canonis. — *Protestantes conservativi* statuunt criteria vel subiectiva (e. g. singularem gustum ac saporem, quem lectio S. Scripturae in anima producat ; experientiam igitur internam), vel obiectiva quidem sed interna (e. g. mirabilem pulchritudinem, harmoniam, sublimitatem doctrinae). « Nos Evangelici aestimamus NT duabus imprimis ex rationibus : Primo, quia scientifice probare possumus, in eo contineri notitiam de Christo, quae maximum habeat valorem historicum. Secundo sumus persuasionis religiosae, ex Novo Testamento Spiritum Dei nobis loqui » (*JLeipoldt*, Geschichte des neutestamentlichen Kanons I 169, Lp. 1907). Haec utique persuasio est « effatum fidei..., cuius veritas nemini probari potest » (*PEwald*, Der Kanon des Neuen Testamentes, B. 1906).

Inter *catholicos* constat, solum testimonium divinum posse esse criterium libri inspirati ; discedunt tamen in ulteriore huius testimonii explicatione. Alii scl. ponunt criterium potius indirectum vel implicitum, nimirum *apostolatum* ; libros ab apostolis conscriptos esse inspiratos. Longe plurimi autem, reiecta hac sententia, statuunt testimonium directum et publicum Dei ut unice sufficiens criterium inspirationis. Hoc autem testimonium Dei concreditum est

Ecclesiae iique soli. Ergo ex doctrina Ecclesiae discendum erit, quinam libri sint inspirati et Ecclesiae in eius usum publicum traditi.

2. *Probatio.*— Haec persuasio subest *decisionibus* Ecclesiae (e. g. *Tridentinae* Synodi : D 784, Concilii *Vaticani:* D 1787), continetur in doctrina Patrum (*Pesch*, De inspir. n. 604ss) et theologorum. Ratio autem est haec : Inspiratio et voluntas Dei, ut liber inspiratus tradatur Ecclesiae in eius usum publicum (canonicitas in actu primo), est factum historicum divinum publicum; quod constare debet testimonio divino publico ; iamvero hoc testimonium divinum publicum, cum non habeatur in ipsis libris sacris, inveniri debet et unice potest in traditione Ecclesiae, cui totum depositum fidei commissum est.

Et hae quidem rationes per se omnino sufficiunt ad doctrinam Ecclesiae probandam ; iuvat tamen *singulas* sententias recensere et crisi subicere.

Criterium inspirationis et canonicitatis nequit esse

a) subiectivum; nam hi effectus in se sunt prorsus individuales, varii pro variorum hominum indole varia. Si vero fuerint miraculosi, non probant neque libri inspirationem neque eiusdem canonicitatem, sed ad summum doctrinae, quae in ipsis continetur, originem divinam. Accedit quod factum historicum, quale est inspiratio, nequeat probari sensu interno.

b) Obiectivum internum ; ex iisdem rationibus. Talia criteria nullam cum facto historico habent relationem; dein sunt in se prorsus arbitraria.

c) Testimonium *humanum*, quia illud tandem aliquando reduci debet ad divinum. Nam imprimis non requiritur, ut homo suae ipse sibi sit conscius inspirationis. Deinde vero, etiamsi sciat Deum in ipso et per ipsum loqui, tenendum est agi de actione interna, in qua homo non solum illusionibus obnoxius est, sed quae etiam natura sua postulat testimonium externum Dei, miraculum, ut alii testimonio hagiographi de facta inspiratione fidem habeant.

d) Testimonium Dei *implicitum et virtuale*, scl. *apostolatus.* — Nam origo quidem apostolica eatenus saltem requiritur, ut libri canonici omnes scripti sint tempore apostolico ; non tamen soli apostoli sunt hagiographi. Apostolatus est igitur criterium negativum, non vero positivum. Accedit, quod apostolatus ex conceptu suo non requirit inspirationem, neque propter munus docendi (apostolus potest librum vel epistulam nomine proprio scribere), neque propter charisma infallibilitatis, quia 1° apostolus eo iuva-

tur in illis scriptis dumtaxat, quae scribit ut legatus Christi; quia 2° neque infallibilitas sufficit, qua liber aliquis fiat verbum Dei.

Ergo non remanet nisi *testimonium Dei directum*, non quidem privatum, sed *publicum* i. e. destinatum ad Ecclesiae utilitatem universalem eique traditum, aliis verbis: Ecclesiae est, determinare quinam libri inspirati sint, quia ipsa in et cum deposito fidei accepit ab apostolis etiam testimonium Dei de libris inspiratis.

Interroganti igitur, unde nobis inspiratio alicuius libri innotescat, respondemus de ea nobis omnimoda cum certitudine, quae omnem dubitationem excludit, constare non posse nisi testimonio divino. Atque VT[1] quidem librorum inspiratio testimonio Christi Apostolorumque scripto et tradito, NT[1] integri inspiratio doctrina Ecclesiae nobis innotuit.

II. Documenta Ecclesiae recentiora S. Scripturam quae spectant

§ 1. *S. P. Leonis XIII Litterae Encyclicae de studiis Scripturae Sacrae « Providentissimus Deus »* (de die 18. Nov. 1893)

A. S. S. 26 [1893-94] 269-292.

561. *Conspectus.*

Prooemium. — De ordine supernaturali, de revelatione supernaturali eiusque fontibus, traditione scilicet et SScriptura. Quinam sit scopus harum Litterarum, scilicet ad SScripturae studium excitare idque ad temporum necessitates congruentius dirigere (cf infra n. 1).

Pars prior : De praestantia huius studii, quae

1. probatur ex multiplici huius studii utilitatum genere ; afferuntur enim
   a) rationes externae, imprimis exemplum Christi et apostolorum ;
   b) rationes internae ; continet enim SScriptura doctrinam revelatam, eximiae virtutis et efficaciae pro oratore sacro ;
2. illustratur providentia, qua Ecclesia semper excelluit in fovendo studio biblico ; id quod brevi conspectu historico demonstratur.

Pars altera : De studio biblico recte ordinando.

1. Qui sint adversarii quique eorum errores (n. 2) ;
2. Quinam sint et quomodo formari debeant idonei defensores.

a) Quid praestare debeant seminaria et academiae.

α) De personis, magistri quales esse debeant ;

β) De methodo docendi, scil. de introductione, de interpretatione, de usu et auctoritate Vulgatae et ceterarum versionum (n. 3), de Ecclesia duce et magistra in re exegetica (n. 4), de auctoritate Patrum. Ecclesiae

(n. 5) et aliorum interpretum (n. 6) de relatione studii biblici ad theologiam dogmaticam, cui argumenta praebet insignia (n. 7).

b) Quomodo scientifice auctoritas et fides, maxime humana (n. 8), Scripturae vindicanda sit.

α) Exegeta quid praestare debeat in studio linguarum et arte critica (n. 9), quoad scientias naturales (n. 10), historicas (n. 11). — Statuitur principium fundamentale, inerrantiae scilicet SScripturae (n. 12), cui ad instar corollarii additur instructio, quomodo loci SScripturae, qui apparenter inter se dimicant, conciliari possint (n. 13).

β) Alii viri culti et docti invitantur, ut sive singuli sive in societatibus coniuncti eundem finem prosequantur.

Conclusio. — Omnes alumni et administri Ecclesiae admonentur, « ut ad sacras Litteras adeant summo semper affectu reverentiae et pietatis : nequaquam enim ipsarum intellegentia salutariter ut opus est patere potest, nisi remota scientiae terrenae arrogantia, studioque, sancte excitato eius quae desursum est sapientiae ».

562. *Summa quaedam capita ex Encyclica « Providentissimus »*

1. *Scopus Encyclicae.*

Cognita sunt gravissima veterum documenta, quibus enuntiatur, Deum, prius per prophetas, deinde per seipsum, postea per apostolos locutum, etiam Scripturam condidisse quae canonica nominatur[1], eamdemque esse oracula et eloquia divina[2], litteras esse, humano generi longe a patria peregrinanti a Patre caelesti datas et per auctores sacros transmissas[3]. Iam, tanta quum sit praestantia et dignitas Scripturarum, ut Deo ipso auctore confectae, altissima eiusdem mysteria, consilia, opera complectantur, illud consequitur eam quoque partem sacrae theologiae, quae in eisdem divinis Libris tuendis interpretandisque versatur, excellentiae et utilitatis esse quam maximae. — Nos igitur... nobilissimum hoc sacrorum Litterarum studium excitare et commendare, atque etiam ad temporum necessitates congruentius dirigere iamdiu apud Nos cogitamus... Optamus nimirum et cupimus, ut plures patrocinium divinarum Litterarum rite suscipiant teneantque constanter ; utque illi potissime, quos divina gratia in sacrum ordinem vocavit, maiorem in dies diligentiam industriamque iisdem legendis, meditandis, explanandis, quod aequissimum est, impendant. ASS 269s.

2. *De adversariis.*

Iam postulat a Nobis instituti consilii oratio, ut quae his de studiis recte ordinandis videantur optima, ea vobiscum communicemus, Venerabiles Fratres. Sed principio quale adversetur et instet hominum genus,

1. S. Aug. *De civ. Dei* XI, 3.
2. S. Clem. Rom. I ad Cor. 45 ; S. Polycarp. ad Phil. 7 ; S. Iren. c. *haer.* II, 28, 2.
3. S. Chrys. *In Gen. hom.* 2, 2 ; S. Aug. *In Ps.* XXX, *serm.* 2, 1 ; S. Greg. M. ad Theod. *Ep.* IV, 31.

quibus vel artibus vel armis confidant, interest utique hoc loco recognoscere. — Scilicet, ut antea cum iis praecipue res fuit qui privato iudicio freti, divinis traditionibus et magisterio Ecclesiae repudiatis, Scripturam statuerant unicum revelationis fontem supremumque iudicem fidei ; ita nunc est cum Rationalistis, qui eorum quasi filii et heredes, item sententia innixi sua, vel has ipsas a patribus acceptas christianae fidei reliquias prorsus abiecerunt. Divinam enim vel revelationem vel inspirationem vel Scripturam sacram, omnino ullam negant, neque alia prorsus ea esse dictitant, nisi hominum artificia et commenta : illas nimirum, non veras gestarum rerum narrationes, sed aut ineptas fabulas aut historias mendaces ; ea, non vaticinia et oracula, sed aut confictas post eventus praedictiones aut ex naturali vi praesensiones ; ea, non veri nominis miracula virtutisque divinae ostenta, sed admirabilia quaedam, nequaquam naturae viribus maiora, aut praestigias et mythos quosdam : evangelia et scripta apostolica aliis plane auctoribus tribuenda. ASS 276s.

3. *De usu et auctoritate Vulgatae, reliquarum versionum.*

Is porro, retinens instituta maiorum, exemplar in hoc sumet versionem vulgatam ; quam Concilium Tridentinum *in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica* habendam decrevit[1], atque etiam commendat quotidiana Ecclesiae consuetudo. Neque tamen non sua habenda erit ratio reliquarum versionum, quas christiana laudavit usurpavitque antiquitas, maxime codicum primigeniorum. Quamvis enim, ad summam rei quod spectat, ex dictionibus Vulgatae hebraea et graeca bene eluceat sententia, attamen si quid ambigue, si quid minus accurate inibi elatum sit, « inspectio praecedentis linguae », suasore Augustino, proficiet[2]. Iamvero per se liquet, quam multum navitatis ad haec adhiberi oporteat, quum demum sit « commentatoris officium, non quid ipse velit, sed quid sentiat ille quem interpretetur, exponere[3] ».

Post expensam, ubi opus sit, omni industria lectionem, tum locus erit scrutandae et proponendae sententiae. Primum autem consilium est, ut probata communiter interpretandi praescripta tanto experrectiore observentur cura quanto morosior ab adversariis urget contentio. Propterea cum studio perpendendi quid ipsa verba valeant, quid consecutio rerum velit, quid locorum similitudo aut talia cetera, externa quoque appositae eruditionis illustratio societur : cauto tamen, ne istiusmodi quaestionibus plus temporis tribuatur et operae quam pernoscendis divinis Libris, neve corrogata multiplex rerum cognitio mentibus iuvenum plus incommodi afferat quam adiumenti. ASS 279.

1. Sess. IV, decr. *De edit. et usu sac. libror.*.
2. *De doctr. chr.* III, 4.
3. S. Hier. *Ad Pammach. ep.* 48, 17.

4. *De Ecclesia duce in exponenda S. Scriptura.*

Diffitendum non est religiosa quadam obscuritate sacros Libros involvi, ut ad eos, nisi aliquo viae duce, nemo ingredi possit[1] : Deo quidem sic providente (quae vulgata est opinio Ss. Patrum), ut homines maiore cum desiderio et studio illos perscrutarentur, resque inde operose perceptas mentibus animisque altius infigerent ; intelligerentque praecipue, Scripturas Deum tradidisse Ecclesiae, qua scilicet duce et magistra in legendis tractandisque eloquiis suis certissima uterentur. Ubi enim charismata Domini posita sint, ibi discendam esse veritatem, atque ab illis, apud quos sit successio apostolica, Scripturas nullo cum periculo exponi, iam sanctus docuit Irenaeus[2] : cuius quidem ceterorumque Patrum doctrinam Synodus Vaticana amplexa est, quando Tridentinum decretum de divini verbi scripti interpretatione renovans, *hanc illius mentem esse declaravit, ut in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum ; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari*[3].

Qua plena sapientiae lege nequaquam Ecclesia pervestigationem scientiae biblicae retardat aut coërcet ; sed eam potius ab errore integram praestat, plurimumque ad veram adiuvat progressionem. Nam privato cuique doctori magnus patet campus, in quo, tutis vestigiis, sua interpretandi industria praeclare certet Ecclesiaeque utiliter. In locis quidem divinae Scripturae qui expositionem certam et definitam adhuc desiderant, effici ita potest, ex suavi Dei providentis consilio, ut, quasi praeparato studio, iudicium Ecclesiae maturetur ; in locis vero iam definitis potest privatus doctor aeque prodesse, si eos vel enucleatius apud fidelium plebem et ingeniosius apud doctos edisserat, vel insignius evincat ab adversariis. Quapropter praecipuum sanctumque sit catholico interpreti, ut illa Scripturae testimonia, quorum sensus authentice declaratus est, aut per sacros auctores, Spiritu Sancto afflante, uti multis in locis NT[1], aut per Ecclesiam eodem Sancto adsistente Spiritu, *sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio*[4], eadem ipse ratione interpretetur ; atque ex adiumentis disciplinae suae convincat, eam solam interpretationem, ad sanae hermeneuticae leges, posse recte probari. In ceteris analogia fidei sequenda est, et doctrina catholica, qualis ex auctoritate Ecclesiae accepta, tamquam summa norma est adhibenda : nam, quum et sacrorum Librorum et doctrinae apud Ecclesiam depositae idem sit auctor Deus, profecto fieri nequit, ut sensus ex illis, qui ab hac quoquo

1. S. Hier. ad Paulin. *De studio Script. ep.* LIII, 4.
2. *C. haer.* IV, 26, 5.
3. Sess. III, cap. II, *De revel.* : Cf. Conc. Trid. sess. IV, decr. *De edit. et usu sacr. libror.*
4. Conc. Vat. sess. III, cap. III, de *fide.*

modo discrepet, legitima interpretatione eruatur. Ex quo apparet, eam interpretationem ut ineptam et falsam reiiciendam, quae, vel inspiratos auctores inter se quodammodo pugnantes faciat, vel doctrinae Ecclesiae adversetur. ASS 280s.

5. *De Ss. Patrum auctoritate.*

Iamvero Ss. Patrum, quibus « post Apostolos sancta Ecclesia platantoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit[1] », summa auctoritas est, quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes : nam ex ipsa eorum consensione, ita ab Apostolis secundum catholicam fidem traditum esse nitide eminet. Eorumdem vero Patrum sententia tunc etiam magni aestimanda est, quum hisce de rebus munere doctorum quasi privatim funguntur ; quippe quos, non modo scientia revelatae doctrinae et multarum notitia rerum, ad apostolicos libros cognoscendos utilium, valde commendet, verum Deus ipse, viros sanctimonia vitae et veritatis studio insignes, amplioribus luminis sui praesidiis adiuverit. Quare interpres suum esse noverit, eorum et vestigia reverenter persequi et laboribus frui intelligenti delectu. — Neque ideo tamen viam sibi putet obstructam, quo minus, ubi iusta causa adfuerit, inquirendo et exponendo vel ultra procedat, modo praeceptioni illi, ab Augustino sapienter propositae, religiose obsequatur, videlicet a litterali et veluti obvio sensu minime discedendum, nisi qua eum vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere[2] : quae praeceptio eo tenenda est firmius, quo magis, in tanta novitatum cupidine et opinionum licentia, periculum imminet aberrandi. Caveat idem ne illa negligat quae ab eisdem Patribus ad allegoricam similemve sententiam translata sunt, maxime quum ex litterali descendunt et multorum auctoritate fulciantur. Talem enim interpretandi rationem ab Apostolis Ecclesia accepit, suoque ipsa exemplo, ut e re patet liturgica, comprobavit ; non quod Patres ex ea contenderent dogmata fidei per se demonstrare, sed quia bene frugiferam virtuti et pietati alendae nossent experti. ASS 281s.

6. *De ceterorum interpretum auctoritate.*

Ceterorum interpretum catholicorum est minor quidem auctoritas, attamen quoniam Bibliorum studia continuum quemdam progressum in Ecclesia habuerunt, istorum pariter commentariis suus tribuendus est honor, ex quibus multa opportune peti liceat ad refellenda contraria, ad difficiliora enodanda. At vero id nimium dedecet, ut quis, egregiis operibus, quae nostri abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, heterodoxorum libros praeoptet, ab eisque cum praesenti sanae doctrinae periculo et non raro cum detrimento fidei, explicationem locorum quaerat, in quibus catholici ingenia et labores suos iamdudum optimeque collo-

1. S. Aug. C. Julian II, 10, 37.
2. De Gen. ad Litt. I. VIII, 7, 13.

carint. Licet enim heterodoxorum studiis, prudenter adhibitis, iuvari interdum possit interpres catholicus, meminerit tamen, ex crebris quoque veterum documentis[1], incorruptum sacrarum Litterarum sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse, qui, verae fidei expertes, Scripturae, non medullam attingunt, sed corticem rodunt[2]. ASS 282s.

7. *De dogmatum demonstratione ex S. Scriptura petenda.*

Illud autem maxime optabile est et necessarium, ut eiusdem divinae Scripturae usus in universam theologiae influat disciplinam eiusque prope sit anima... Neque id cuiquam fuerit mirum qui reputet, tam insignem locum inter revelationis fontes divinis Libris deberi, ut, nisi eorum studio usuque assiduo, nequeat theologia rite et pro dignitate tractari. Tametsi enim rectum est iuvenes in Academiis et scholis ita praecipue exerceri ut intellectum et scientiam dogmatum assequantur, ab articulis fidei argumentatione instituta ad alia ex illis, secundum normas probatae solidaeque philosophiae, concludenda ; gravi tamen eruditoque theologo minime negligenda est ipsa demonstratio dogmatum ex Bibliorum auctoritatibus ducta : « Non enim accipit (theologia) sua principia ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis scientiis, tamquam a superioribus, sed utitur eis tamquam inferioribus et ancillis[3]. » ASS 283.

8. *De S. Scripturae fide humana tuenda.*

Doctrinam catholicam legitima et sollerti sacrorum Bibliorum interpretatione probasse, exposuisse, illustrasse, multum id quidem est : altera tamen, eaque tam gravis momenti quam operis laboriosi, pars remanet, ut ipsorum auctoritas integra quam validissime asseratur. Quod quidem nullo alio pacto plene universeque assequi, nisi ex vivo et proprio magisterio Ecclesiae ; quae *per se ipsam, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile*[4]. Quoniam vero divinum et infallibile magisterium Ecclesiae, in auctoritate etiam sacrae Scripturae consistit, huius propterea fides saltem humana asserenda in primis vindicandaque est : quibus ex libris, tamquam ex antiquitatis probatissimis testibus, Christi Domini divinitas et legatio, Ecclesiae hierarchicae institutio, primatus Petro et successoribus eius collatus, in tuto apertoque collocentur. Ad hoc plurimum sane conducet, si plures sint e sacro ordine

1. Cfr. Clem. Alex. *Strom.* VII, 18 ; Orig. *De princ.* IV, 8 ; *In Levit. hom.* 4, 8 ; Tertull. *De praescr.* 15, ss. ; S. Hilar. Pict. *in Matth.* 13, 1.
2. *S.* Greg. M. *Moral.* XX, 9 (al. 11).
3. *S.* Th. 1, 1 a. 5 ad 2.
4. Conc. Vat. sess. III, c. III, *De fide.*

paratiores, qui hac etiam in parte pro fide dimicent et impetus hostiles propulsent, induti praecipue armatura Dei, quam suadet Apostolus[1], neque vero ad nova hostium arma et praelia insueti. ASS 284.

9. *De studio linguarum et arte critica.*

Fallacias hostium artesque in hac re ad impugnandum multiplices supra adumbravimus : iam, quibus praesidiis ad defensionem nitendum, commonemus. — Est primum in studio linguarum veterum orientalium simulque in arte quam vocant criticam. Utriusque rei scientia quum hodie in magno sit pretio et laude, eâ clerus, plus minusve pro locis et hominibus exquisita, ornatus, melius poterit decus et munus sustinere suum ; nam ipse *omnia omnibus*[2] fieri debet, paratus semper *ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quae in ipso est spe*[3]. Ergo sacrae Scripturae magistris necesse est atque theologos addecet, eas linguas cognitas habere quibus libri canonici sunt primitus ab hagiographis exarati, easdemque optimum factu erit si colant alumni Ecclesiae, qui praesertim ad academicos theologiae gradus aspirant. Atque etiam curandum ut omnibus in Academiis, quod iam in multis receptum laudabiliter est, de ceteris item antiquis linguis, maxime semiticis, deque congruente cum illis eruditione, sint magisteria, eorum in primis usui qui ad sacras Litteras profitendas designantur. — Hos autem ipsos, eiusdem rei gratia, doctiores esse oportet atque exercitatiores in vera artis criticae disciplina : perperam enim et cum religionis damno inductum est artificium, nomine honestatum criticae sublimioris, quo, ex solis internis, uti loquuntur, rationibus, cuiuspiam libri origo, integritas, auctoritas diiudicata emergant. Contra perspicuum est, in quaestionibus rei historicae, cuiusmodi origo et conservatio librorum, historiae testimonia valere prae ceteris, eaque esse quam studiosissime et conquirenda et excutienda : illas vero rationes internas plerumque non esse tanti, ut in causam, nisi ad quamdam confirmationem, possint advocari. Secus si fiat, magna profecto consequentur incommoda. Nam hostibus religionis plus confidentiae futurum est ut sacrorum authenticitatem Librorum petant et discerpant : illud ipsum quod extollunt genus criticae sublimioris, eo demum recidet, ut suum quisque studium praeiudicatamque opinionem interpretando sectentur : inde neque Scripturis quaesitum lumen accedet, neque ulla doctrinae oritura utilitas est, sed certa illa patebit erroris nota, quae est varietas et dissimilitudo sentiendi, ut iam ipsi sunt documento huiusce novae principes disciplinae : inde etiam, quia plerique infecti sunt vanae philosophiae et rationalismi placitis, ideo prophetias, miracula, cetera quaecumque naturae ordinem superent, ex sacris Libris dimovere non verebuntur. ASS 285s.

1. *Eph.* VI, 13, ss.
2. *I Cor.*, IX, 22.
3. *I Petr.*, III, 13.

10. *De principiis, secundum quae difficultates ex scientia physicorum haustae sunt diiudicandae.*

Congrediendum secundo loco cum iis, qui sua physicorum scientia abusi, sacros Libros omnibus vestigiis indagant, unde auctoribus inscitiam rerum talium opponant, scripta ipsa vituperent. Quae quidem insimulationes quum res attingant sensibus obiectas, eo periculosiores accidunt, manantes in vulgus, maxime in deditam litteris iuventutem ; quae, si semel reverentiam divinae revelationis in uno aliquo capite exuerit, facile in omnibus omnem eius fidem est dimissura. Nimium sane constat, de natura doctrinam, quantum ad percipiendam summi Artificis gloriam in procreatis rebus impressam aptissima est, modo sit convenienter proposita, tantum posse ad elementa sanae philosophiae evellenda corrumpendosque mores, teneris animis perverse infusam. Quapropter Scripturae sacrae doctori cognitio naturalium rerum bono erit subsidio, quo huius quoque modi captiones in divinos Libros instructas facilius detegat et refellat. — Nulla quidem theologum inter et physicum vera dissensio intercesserit, dum suis uterque finibus se contineant, id caventes, secundum S. Augustini monitum, « ne aliquid temere et incognitum pro cognito asserant[1] ». Sin tamen dissenserint, quemadmodum se gerat theologus, summatim est regula ab eodem oblata : « Quidquid, inquit, ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris Litteris non esse contrarium ; quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris Litteris, id est catholicae fidei, contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum[2] ». De cuius aequitate regulae in consideratione sit primum, scriptores sacros, seu verius « Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura[3] » ; quare eos, potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone quum ea primo proprieque efferantur quae cadant sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer (monuitque et Doctor Angelicus) « ea secutus est, quae sensibiliter apparent[4] », seu quae Deus ipse, homines alloquens, ad eorum captum significavit humano more. — Quod vero defensio Scripturae sanctae agenda strenue est, non ex eo omnes aeque sententiae tuendae sunt, quas singuli Patres aut qui deinceps interpretes in eadem declaranda ediderint : qui, prout erant opiniones aetatis, in locis edisserendis ubi physica aguntur, fortasse non ita semper iudi-

1. *In Gen. op. imperf.* IX, 30.
2. *De Gen. ad litt.* I, 21, 41.
3. S. Aug. De Gen. ad litt. II, 9, 20.
4. *Summa theol.* p. 1, q. LXX, a. 1 ad 3.

caverunt ex veritate, ut quaedam posuerint, quae nunc minus probentur. Quocirca studiose dignoscendum in illorum interpretationibus, quaenam reapse tradant tamquam spectantia ad fidem aut cum ea maxime copulata, quaenam unanimi tradant consensu ; namque « in his quae de necessitate fidei non sunt, licuit Sanctis diversimode opinari, sicut et nobis », ut est S. Thomae sententia[1]. Qui et alio loco prudentissime habet : « Mihi videtur tutius esse, huiusmodi, quae philosophi communiter senserunt, et nostrae fidei non repugnant, nec sic esse asserenda ut dogmata fidei, etsi aliquando sub nomine philosophorum introducantur, nec sic esse neganda tamquam fidei contraria, ne sapientibus huius mundi occasio contemnendi doctrinam fidei praebeatur[2] ». Sane, quamquam ea, quae speculatores naturae certis argumentis certa iam esse affirmarint, interpres ostendere debet nihil Scripturis recte explicatis obsistere, ipsum tamen ne fugiat, factum quandoque esse, ut certa quaedam ab illis tradita, postea in dubitationem adducta sint et repudiata. Quod si physicorum scriptores terminos disciplinae suae trangressi, in provinciam philosophorum perversitate opinionum invadant, eas interpres theologus philosophis mittat refutandas. ASS 286s.

11. *De principiis sequendis in rebus historicis.*

Haec ipsa deinde ad cognatas diciplinas, ad historiam praesertim, iuvabit transferri. Dolendum enim, multos esse qui antiquitatis monumenta, gentium mores et instituta, similiumque rerum testimonia magnis ii quidem laboribus perscrutentur et proferant, sed eo saepius consilio, ut erroris labes in sacris Libris deprehendant, ex quo illorum auctoritas usquequaque infirmetur et nutet. Idque nonnulli et nimis infesto animo faciunt nec satis aequo iudicio : qui sic fidunt profanis libris et documentis memoriae priscae, perinde ut nulla eis ne suspicio quidem erroris possit subesse, libris vero Scripturae sacrae, ex opinata tantum erroris specie, neque eâ probe discussa, vel parem abnuunt fidem. ASS 287s.

12. *De inerrantia S. Scripturae.*

Fieri quidem potest, ut quaedam librariis in codicibus describendis minus recte exciderint ; quod considerate iudicandum est, nec facile admittendum, nisi quibus locis rite sit demonstratum : fieri etiam potest, ut germana alicuius loci sententia permaneat anceps ; cui enodandae multum afferent optimae interpretandi regulae : at nefas omnino fuerit aut inspirationem ad aliquas tantum sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Nec enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil praeterea, pertinere, eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum quum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis

1. *In Sent.*, II, dist. II, q. I, a. 3.
2. *Opusc.* X.

perpendatur quam ob causam ea dixerit. Etenim libri omnes atque integri, quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos recipit, cum omnibus suis partibus, Spiritu Sancto dictante, conscripti sunt ; tantum vero abest ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse.

Haec est antiqua et constans fides Ecclesiae, sollemni etiam sententia in Conciliis definita Florentino et Tridentino ; confirmata denique atque expressius declarata in Concilio Vaticano, a quo absolute edictum : *Veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in eiusdem Concilii* (Tridentini) *decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati ; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant ; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem*[1]. Quare nihil admodum refert, Spiritum assumpsisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi, non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent : secus, non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae. ASS 288s.

13. *De conciliandis inter se S. Scripturae locis.*

Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem. Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit, divinas Litteras, quales ab hagiographis editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarii aliquid vel dissimile viderentur afferre (eademque fere sunt quae nomine novae scientiae nunc obiiciunt), non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare studuerint ; professi unanimes, Libros eos et integros et per partes a divino aeque esse afflatu, Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse... Neque ideo cessandum si qua in contrarium species etiam tum resideat. Nam quoniam verum vero adversari haudquaquam potest, certum sit aut in sacrorum interpretationem verborum, aut in alteram disputationis partem errorem incurrisse : neutrum vero si necdum satis appareat, cunctandum interea de sententia. Permulta enim ex omni doctrinarum genere sunt diu multumque contra Scripturam iactata, quae nunc, utpote

1. Sess. III, c. II, *De revel.*

inania, penitus obsolevere : item non pauca de quibusdam Scripturae locis (non proprie ad fidei morumque pertinentibus regulam) sunt quondam interpretando proposita, in quibus rectius postea vidit acrior quaedam investigatio. Nempe opinionum commenta delet dies ; sed « veritas manet et invalescit in aeternum[1] ». ASS 289. 291.

§ 2. *Litterae Encyclicae Benedicti XV*

« *Spiritus Paraclitus* » (de die 15 sept. 1920. AAS 12 [1920] 385ss)

563. *Conspectus.*

Prooemium. — Ansa Encyclicae : 1500. annus inde a morte S.Hieronymi elapsus. — Scopus : ut S. Pontifex hac occasione « apostolica sua auctoritate confirmet monita et praescripta » decessorum, Leonis XIII et Pii X, eaque pressius ad nostra tempora aptet.

Praemittuntur pauca de vita rebusque gestis s.Hieronymi.

Pars prior. Doctrinalia.

1. Doctrina s.Doctoris
   a) de auctoritate et dignitate S.Scripturae (cf infra n. 1)
   b) de inerrantia S.Scripturae (n. 2).
2. Doctrinae Encycl. « Providentissimus » authentica interpretatio :
   a) innovantur et inculcantur, quae docet de essentia inspirationis eiusque inerrantia (n. 3).
   b) reiciuntur sententiae contrariae scil.
   distinctio inter elementum « religiosum » et « profanum » (n. 4) ;
   distinctio inter veritatem « absolutam » et « relativam » (n. 5) ;
   principia aliqua liberius applicata (n. 6.)

Pars altera. Media et remedia.

1. Mentis dispositio et praeparatio, quoad verbum divinum et Ecclesiae auctoritatem interpretativam. Orare — discere ab illustribus Ecclesiae viris — obedire Ecclesiae magisterio — pugnare contra adversarios (n. 7-8).
2. Cotidiana lectio S.Scripturae, maxime NT ab omnibus Christifidelibus facienda.
3. Studium pro verbi divino ministris ad normam Encyclicae « Providentissimus ». Commendatur « Institutum Biblicum ». Describitur huius studii
   a) scopus : cibus ad animam alendam — argumenta ad dogmata illustranda, confirmanda, tuenda — ministerium verbi divini perfecte exercendum ;
   b) leges in usu Bibliorum servandae : labor criticus — sensus

1. III Esdr. IV, 38.

maxime et primario litteralis et historicus, dein altior quo spiritus pascatur — expositionis eruditio et simplicitas (n. 9) ;

c) « fructus dulces de amaro semine litterarum » : amor Ecclesiae — amor Jesu Christi — reverentia et pietas erga eius matrem B. V. Mariam, erga terram sanctam.

Conclusio. — Omnes « Hieronymo duce et patrono, non modo catholicam de divina Scripturarum inspiratione doctrinam retineant ac tueantur, sed etiam principiis studiosissime inhaereant, quae Litt. Encycl. « Prov. Deus » et hisce Nostris praescripta sunt. Universis interea Ecclesiae filiis optamus, ut sacrarum Litterarum dulcedine perfusi et roborati, supereminentem Jesu Christi scientiam assequantur ».

564. *Capita quaedam praecipua* ex ipsa Encyclica :

1. *S. Hieronymus de essentia inspirationis.* — Omnia scripta testantur, « eum cum universa catholica Ecclesia firmiter constanterque tenuisse, Libros sacros, Spiritu sancto inspirante conscriptos, Deum habere auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditos esse[1] ». Secundum ipsum « Omnis sensus omniumque sententiarum Scripturae Deus causa princeps habendus » est ; sed etiam quod uniuscuiusque proprium est, accurate dispicit. Nam singillatim, « in rerum compositione, in lingua, in ipso genere ac forma loquendi ita eos suis quemque facultatibus ac viribus usos esse ostendit, ut propriam uniuscuiusque indolem et veluti singulares notas ac lineamenta, praesertim prophetarum et apostoli Pauli, inde colligat ac describat ». — Consentit cum communi doctrina inspirationis, « Deum, gratia conlata, scriptoris menti lumen praeferre ad verum quod attinet « ex persona Dei » hominibus proponendum ; voluntatem praeterea movere atque ad scribendum impellere ; ipsi denique peculiariter continenterque adesse donec librum perficiat. » AAS 389s. RpA 173s[2].

2. *Idem de inerrantia Scripturae.* — Cum inspiratione scripturae « immunitatem et omni ab errore et fallacia vacuitatem necessario cohaerere : quod, uti a Patribus traditum communiterque receptum in celeberrimis Occidentis Orientisque scholis didicerat »... In hoc « verbo veritatis » nullas res sententiasque inter se pugnantes inveniri posse, « nihil dissonum, nihil diversum ; quare cum videatur Scriptura inter se esse contraria, utrumque verum » esse, « cum diversum sit ». Cui cum fortiter principio adhaeresceret, si qua in sacris libris inter se discrepare viderentur, eo curas omnes cogitationesque Hieronymus convertere, ut quaestionem enodaret... Scriptores tamen sacros nunquam de fallacia arguit levissima ; « hoc quippe impiorum est ». AAS 391s. RpA 175s.

3. *Confirmatio Encycl.* « *Providentissimus* ». — « Hac igitur Hieronymi doctrina egregie confirmantur atque illustrantur ea quibus fel. rec. decessor

1. Conc. Vat. s. III, const. de fide cath. cap. 2.
2. *Revue pratique d'Apologétique* 31 [1920]. Cf : Civiltà cattolica.

Noster Leo XIII antiquam et constantem Ecclesiae fidem sollemniter declaravit de absoluta Scripturarum a quibusvis erroribus immunitate » (562, 12). « Quae decessoris Nostri verba, quamquam nullum relinquunt ambigendi vel tergiversandi locum, dolendum tamen est, V. F., non modo ex iis qui foris sunt, sed etiam e catholicae Ecclesiae filiis, immo vero, quod animum Nostrum vehementius excruciat, ex ipsis clericis sacrarumque disciplinarum magistris non defuisse qui, iudicio suo superbe subnixi, Ecclesiae magisterium in hoc capite vel aperte reiecerint vel occulte oppugnarint ». — Non improbantur, qui « novas vias atque rationes inquirunt », sed ii, qui Leonis XIII « praescripta neglexerint et certos fines terminosque a Patribus constitutos praeterierint ». AAS 393s. RpA 176s.

4. *De distinctione inter elementum religiosum et profanum.* — « Quibus sane praeceptis et finibus nequaquam recentiorum illorum continetur opinio, qui, inducto inter elementum Scripturae primarium seu religiosum et secundarium seu profanum discrimine, inspirationem quidem ipsam ad omnes sententias immo etiam ad singula Bibliorum verba pertinere volunt, sed eius effectus, atque imprimis erroris immunitatem absolutamque veritatem, ad elementum primarium seu religiosum contrahunt et coangustant. Eorum enim sententia est, id unum, quod ad religionem spectet, a Deo in Scripturis intendi ac doceri ; reliqua vero, quae ad profanas disciplinas pertineant et doctrinae revelatae quasi quaedam externa divinae veritatis vestis, inserviant, permitti tantummodo et scriptoris imbecillitati relinqui. Nihil igitur mirum, si in rebus physicis et historicis aliisque similibus satis multa in Bibliis occurrant, quae cum huius aetatis bonarum artium progressionibus componi omnino non possint.

Haec opinionum commenta, sunt qui nihil repugnare contendant decessoris Nostri praescriptionibus, cum is hagiographum in naturalibus rebus secundum externam speciem, utique fallacem, loqui declaraverit.

Id vero, quam temere, quam falso affirmetur, ex ipsis Pontificis verbis manifesto apparet. Neque enim ab externa rerum specie, cuius rationem esse habendam Leo XIII, praeeuntibus Augustino et Thoma Aquinate, sapientissime edixit, ulla falsi labes divinis Litteris aspergitur, quandoquidem sensus in iis rebus proxime cognoscendis, quarum sit propria ipsorum cognitio, minime decipi, dogma est sanae philosophiae.

Praeterea decessor Noster, quovis inter elementum primarium et secundarium, uti vocant, remoto discrimine omnique ambiguitate sublata, luculenter ostendit, longissime a vero abesse illorum opinionem, qui arbitrantur « de veritate sententiarum cum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit » ; idemque docet divinum afflatum ad omnes Bibliorum partes, sine ullo delectu ac discrimine, proferri, nullumque in textum inspiratum errorem incidere posse : « At nefas... (n. 562, 12). » AAS 394s. D 2186. RpA 177s.

5. *De distinctione inter veritatem absolutam et relativam.* — « Neque minus ab Ecclesiae doctrina, Hieronymi testimonio ceterorumque Patrum comprobata, ii dissentiunt, qui partes Scripturarum historicas non factorum *absoluta* inniti veritate arbitrantur, sed tantummodo *relativa*, quam vocant, et concordi vulgi opinione : idque non verentur ex ipsis Leonis Pontificis verbis inferre, propterea quod principia de rebus naturalibus statuta ad disciplinas historicas transferri posse dixerit. Itaque contendunt, hagiographos, uti in physicis secundum ea quae apparerent locuti sint, ita eventa ignaros rettulisse prouti haec e communi vulgi sententia vel falsis aliorum testimoniis constare viderentur, neque fontes scientiae suae indicasse, neque aliorum enarrationes fecisse suas.

Rem in decessorem Nostrum plane iniuriosam et falsam plenamque erroris cur multis refellamus ? Quae est enim rerum naturalium cum historia similitudo, quando physica in iis versantur, quae « sensibiliter apparent » ideoque cum phaenomenis concordare debent, cum, contra, lex historiae praecipua haec sit, scripta cum rebus gestis, uti gestae reapse sunt, congruere oportere ? Recepta semel istorum opinione, quo pacto incolumis consistat veritas illa, ab omni falso immunis, narrationis sacrae, quam decessor Noster in toto Litterarum suarum contextu retinendam esse declarat ?

Quodsi affirmat, ad historiam cognatasque disciplinas eadem principia transferri utiliter posse quae in physicis locum habent, id quidem non universe statuit, sed auctor tantummodo est, ut haud dissimili ratione utamur ad refellendas adversariorum fallacias et ad historicam Sacrae Scripturae fidem ab eorum impugnationibus tuendam.

Atque utinam novarum rerum fautores hic sisterent ; siquidem eo procedunt ut Doctorem Stridonensem ad sententiam suam defendendam invocent, utpote, qui historiae fidem et ordinem in Bibliis servari « non iuxta id quod erat, sed iuxta id quod illo tempore putabatur » et hanc quidem propriam esse historiae legem asseveraverit (in Ier. 28, 15-17 ; in Mt 14, 8 ; adv. Helv. 4).

In quo mirum quantum ad sua commenta detorquent verba Hieronymi. Nam quis est, qui non videat, hoc Hieronymum dicere, hagiographum non in rebus gestis enarrandis, veritatis ignarum, ad falsam se vulgi opinionem accommodare, sed in nomine personis et rebus imponendo communem sequi loquendi modum ?... Quid, quod res quas Biblia gestas enarrant, hic noster non secus ac doctrinas fide ad salutem necessaria credendas proponit ?... Exemplis deinceps quam plurimis ex Veteris Testamenti codice allatis, sic concludit : « Haec et cetera quae de sanctis scripta sunt, nisi quis universa crediderit, in Deum sanctorum crederes non valebit » (In Philem. 4, PL 26, 609). AAS 396s. RpA 179s.

6. *Liberior aliquorum principiorum applicatio.* — « Neque aliis Scriptura sancta obtrectatoribus caret ; eos intellegimus, qui rectis quidem, si intra certos quosdam fines contineantur, principiis sic abutuntur, ut

fundamenta veritatis Bibliorum labefactent et doctrinam catholicam communiter a Patribus traditam subruant.

In quos Hieronymus, si adhuc viveret, utique acerrima illa sermonis sui tela coniiceret, quod sensu et iudicio Ecclesiae posthabito, nimis facile ad citationes quas vocant implicitas vel ad narrationes specie tenus historicas confugiunt ; aut genera quaedam litterarum in libris sacris inveniri contendunt, quibuscum integra ac perfecta verbi divini veritas componi nequeat ; aut de Bibliorum origine ita opinantur, ut eorundem labet vel prorsus pereat auctoritas.

Iam quid de iis sentiendum, qui in ipsis Evangeliis exponendis, fidem illis debitam humanam minuunt, divinam evertunt ? Quae enim Dominus Noster Iesus Christus dixit, quae egit, non ea censent ad nos integra atque immutata pervenisse, iis testibus, qui quae ipsi vidissent atque audivissent, religiose perscripserint ; sed — praesertim ad quartum Evangelium quod attinet — partim ex Evangelistis prodiisse, qui multa ipsimet excogitarint atque addiderint, partim e narratione fidelium alterius aetatis esse congesta ; ob eamque causam aquas e duobus fontibus manantes uno eodemque alveo sic hodie contineri, ut nullâ iam certâ notâ distingui inter se possint. » AAS 395ss RpA 178ss.

7. *Qua animi dispositione S. Scripturis incumbendum.*

« Sed qua via ac ratione magnus hic thesaurus, a Patre caelesti in solacium peregrinantium filiorum conlatus, sit cum laeta boni exitus spe quaerendus, Hieronymus suo ipse exemplo indicat. Atque in primis monet, praeparationem diligentem affectamque bene voluntatem ad eiusmodi studia afferamus.

Itaque cum sibi ipse conscius esset, « semper in exponendis Scripturis sanctis Spiritus Dei indigere nos adventu » et non aliter Scripturam esse legendam et intellegendam « quam sensus Spiritus Sancti flagitat quo conscripta est », sanctissimus vir Dei opem et Paracliti lumina, amicis quoque deprecatoribus usus, suppliciter implorat ; eumque legimus divino auxilio fratrumque precibus et explanationes librorum sacrorum, quas inchoaret, commendantem, et quas feliciter absolvisset, referentem acceptas.

Praeterea, quemadmodum Dei gratiae, sic maiorum auctoritati se permittit, ut affirmare queat, se « quod didicerat, non a seipso, id est a praesumptionis pessimo praeceptore, sed ab illustribus Ecclesiae viris » didicisse ; fatetur enim, se « numquam in divinis voluminibus propriis viribus credidisse », et cum Theophilo, episcopo Alexandrino, legem, ad quam vitam suam et studia sacra composuerat, hisce verbis communicat : « Sed tamen scito nobis nihil antiquius quam Christiani iura servare nec patrum transferre terminos semperque meminisse Romanam fidem apostolico ore laudatam ». Atque Ecclesiae, supremae per Romanos Pontifices magistrae, toto pectore obsequitur et paret... Quam quidem fidei regulam in Scripturarum studio continenter secutus, falsam quandam

sacri codicis interpretationem hoc uno argumento refutat : « Sed haec non recipit Ecclesia Dei », et librum apocryphum, quem Vigilantius haereticus ipsi opposuerat, paucis hisce reiicit : « Quem ego librum numquam legi. Quid enim necesse est in manus sumere quod Ecclesia non recipit ? » AAS 400-403. RpA 222ss.

8. *Quinam sint adversarii nostri temporis.* — « Omnino igitur quam plurimos quamque maxime idoneos excitetis oportet sanctissimae causae defensores, qui non modo adversus eos dimicent quibus, ordinem supernaturalem universum negantibus, nulla est Dei revelatio et afflatus, sed etiam cum iis congrediantur qui, profanarum novitatum cupidi sacras Litteras quasi librum prorsus humanum interpretari audent, aut a sententiis discedunt in Ecclesia a prisca antiquitate receptis, aut magisterium eius sic neglegunt, ut Apostolicae Sedis Constitutiones et Pontificii Consilii de Re Biblica decreta parvi pendant vel silentio praetereant vel etiam ad placita sua subdole petulanterve detorqueant. Utinam catholici omnes auream sancti Doctoris regulam sequantur et Matris dicto audientes, intra terminos antiquos a Patribus positos et ab Ecclesia ratos se modeste contineant. » AAS 403s. RpA 225.

9. *De legibus in exponendis sacris Libris servandis.* — « Ac primo quidem monet (s. Doctor), ipsa Scripturae verba perdiligenter consideremus, ut certo constet, quidnam sacer scriptor dixerit. Neque enim quisquam ignorat, Hieronymum, si quando opus esset, consuevisse ad codicem primigenium adire, aliam interpretationem cum alia comparare, vim verborum excutere et, si qui incidisset error, causas erroris aperire ut de ipsa lectione omnis tolleretur dubitatio.

Tum vero, quae in verbis insit significatio et sententia, docet esse inquirendum, quia « de scripturis sanctis disputanti non tam necessaria sunt verba quam sensus ». Atque in eiusmodi significatione perscrutanda minime diffitemur Hieronymum doctores latinos nonnullosque ex graecis superiorum temporum imitatum, fortasse plus aequo allegoricis interpretationibus initio concessisse. Verum fecit ipse sacrorum Librorum amor, fecit perpetuus labor in eos recognoscendos ac penitus perspiciendos impensus, ut cotidie magis in recta sensus litteralis aestimatione proficeret, et sana hoc in genere principia proponeret ; quae cum nunc quoque tutam omnibus viam muniant ad plenum ex sacris Libris sensum eruendum breviter proponemus.

Ad litteralem igitur seu historicam explicationem in primis animum intendere debemus...

Litterali autem seu historica significatione in tuto collocata, interiores altioresque rimatur sensus, ut exquisitiore epulo spiritum pascat.... Monet tamen, cum de quaerendo agitur eiusmodi interiore sensu, quemdam modum esse adhibendum, « ne dum spiritales divitias sequimur, historiae contemnere veritatem videamur » (In Eccle. 2, 24ss). AAS 410ss. RpA 306ss.

§ 3. *Ex Litteris Encyclicis Pii X « Pascendi Dominici gregis » de modernistarum doctrinis de die 8 septembris 1907.*

ASS 40 (1907) 593-652. Ét 113 (1907) 5-46. 177-220. RClfr 52 (1907) 69-117. D 2071-2109.

565. 1. *De Librorum sacrorum indole*

Eos (Libros sacros) ad modernistarum scita, definire probe quis possit syllogen *experientiarum*, non cuique passim advenientium, sed extraordinariarum atque insignium, quae in quapiam religione sunt habitae. — Sic prorsus modernistae docent de libris nostris tum Veteris tum Novi Testamenti. Ad suas tamen opiniones callidissime notant : quamvis experientia sit praesentis temporis, posse tamen illam de praeteritis, aeque ac de futuris materiam sumere, prout videlicet qui credit vel exacta rursus per recordationem in modum *praesentium vivit*, vel futura per praeoccupationem. Id autem explicat quomodo historici quoque et apocalyptici in libris sacris censeri queant. — Sic igitur in hisce libris Deus quidem loquitur per credentem ; sed uti fert theologia modernistarum, per *immanentiam* solummodo et *permanentiam vitalem*. — Quaeremus, quid tum de inspiratione ? Haec, respondent, ab impulsione illa, nisi forte vehementiâ, nequaquam secernitur, qua credens ad fidem suam verbo scriptove aperiendam adigitur. Simile quid habemus in poëtica inspiratione ; quare quidam aiebat : Est Deus in nobis, agitante calescimus illo. Hoc modo Deus initium dici debet inspirationis sacrorum librorum. — De qua praeterea inspiratione modernistae addunt, nihil omnino esse in sacris libris quod illa careat. Quod quum affirmant, magis eos crederes orthodoxos quam recentiores alios, qui inspirationem aliquantum coangustant, ut, exempli causa, quum *tacitas* sic dictas *citationes* invehunt. Sed haec illi verbo tenus ac simulate. Nam si Biblia ex agnosticismi praeceptis iudicamus, humanum scilicet opus, ab hominibus pro hominibus exaratum, licet ius theologo detur ea per *immanentiam* divina praedicandi ; quî demum inspiratio coarctari possit ? Generalem utique modernistae sacrorum librorum inspirationem asseverant : catholico tamen sensu nullam admittunt. ASS 612s. D 2090. RClfr 85s. Ét 34s.

2. *Evolutionis principium et Libri sacri*

Ex illa porro monumentorum per aetates partitione ac dispositione sequitur sua sponte non posse libros sacros iis auctoribus tribui, quibus reapse inscribuntur. Quam ob causam modernistae passim non dubitant asserere, illos eosdem libros, Pentateuchum praesertim ac prima tria Evangelia, ex brevi quadam primigenia narratione, crevisse gradatim accessionibus, interpositionibus nempe in modum interpretationis sive

theologicae sive allegoricae, vel etiam iniectis ad diversa solummodo inter se iungenda. — Nimirum, ut paucis clariusque dicamus, admittenda est *vitalis evolutio* librorum sacrorum, nata ex evolutione fidei eidemque respondens. — Addunt vero, huius evolutionis vestigia adeo esse manifesta, ut illius fere historia describi possit. Quin immo et reapse describunt, tam non dubitanter, ut suis ipsos oculis vidisse crederes scriptores singulos, qui singulis aetatibus ad libros sacros amplificandos admorint manum. — Haec autem ut confirment, criticen, quam *textualem* nominant, adiutricem appellant ; nitunturque persuadere hoc vel illud factum aut dictum non suo esse loco, aliasque eiusmodi rationes proferunt. Diceres profecto eos narrationum aut sermonum quosdam quasi typos praestituisse sibi, unde certissime iudicent quid suo quid alieno stet loco. — Hac via quî apti esse queant ad decernendum aestimet qui volet. Verumtamen qui eos audiat de suis exercitationibus circa sacros libros affirmantes, unde tot ibi incongrue notata datum est deprehendere, credet ferè nullum ante ipsos hominum eosdem libros volutasse, neque hos infinitam propemodum Doctorum multitudinem quaquaversus rimatam esse, ingenio plane et eruditione et sanctitudine vitae longe illis praestantiorem. Qui equidem Doctores sapientissimi tantum abfuit ut Scripturas sacras ulla ex parte reprehenderent, ut immo, quo illas scrutabantur penitius, eo maiores divino Numini agerent gratias, quod ita cum hominibus loqui dignatum esset. Sed heu ! non iis adiumentis Doctores nostri in sacros libros incubuerunt, quibus modernistae ! scilicet magistram et ducem non habuere philosophiam, quae initia duceret a negatione Dei, nec se ipsi iudicandi normam sibi delegerunt. ASS 625s. D 2100. RClfr 96s. Ét 182ss.

3. *Errores in Libris sacris*

Dum tamen catholicam religionem recitatis argumentationibus asserere ac suadere elaborant apologetae novi, dant ultro et concedunt, plura in ea esse quae animos offendant. Quin etiam, non obscura quadam voluptate, in re quoque dogmatica errores contradictionesque reperire se palam dictitant : subdunt tamen, haec non solum admittere excusationem, sed, quod mirum esse oportet, iuste ac legitime esse prolata. Sic etiam, secundum ipsos, in sacris libris, plurima in re scientifica vel historica errore afficiuntur. Sed, inquiunt, non ibi de scientiis agi aut historia, verum de religione tantum ac re morum. Scientiae illic et historia, integumenta sunt quaedam, quibus experientiae religiosae et morales obteguntur ut facilius in vulgus propagarentur ; quod quidem vulgus cum non aliter intelligeret, perfectior illi scientia aut historia non utilitati sed nocumento fuisset. Ceterum, addunt, libri sacri, quia naturâ sunt religiosi, vitam necessario vivunt : iam vitae quoque sua est veritas et logica, alia profecto a veritate et logica rationali, quin immo alterius omnino ordinis, veritas scilicet comparationis ac proportionis tum ad *medium* (sic ipsi dicunt) in quo vivitur, tum ad finem ob quem vivitur

Demum eo usque progrediuntur ut, nulla adhibita temperatione, asserant, quidquid per vitam explicatur, id omne verum esse ac legitimum. — Nos equidem, Venerabiles Fratres, quibus una atque unica est veritas, quique sacros libros sic aestimamus *quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem*, hoc idem esse affirmamus ac mendacium utilitatis seu officiosum ipsi Deo tribuere : verbisque Augustini asserimus : *Admisso semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quae non ut cuique videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis, eâdem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur.* Unde fit quod idem sanctus Doctor adiungit : *In eis*, scilicet scripturis, *quod vult quisque credet, quod non vult non credet.* — Sed modernistae apologetae progrediuntur alacres. Concedunt praeterea, in sacris libris eas subinde ratiocinationes occurrere ad doctrinam quampiam probandam, quae nullo rationali fundamento regantur ; cuiusmodi sunt quae in prophetiis nituntur. Verum has quoque defendunt quasi artificia quaedam praedicationis, quae a vita legitima fiunt. Quid amplius ? Permittunt, immo vero asserunt, Christum ipsum in indicando tempore adventus regni Dei manifeste errasse : neque id mirum, inquiunt, videri debet ; nam et ipse vitae legibus tenebatur ! ASS 626-629. D 2101s. RClfr 97-100. Ét 185-189.

St. Harent, Expérience et Foi, Études 113 [1907] 221-250 ; 115 [1908] 20-51. 164-193 ; *JLebreton*, L'Encyclique et la Théologie moderniste, Études 113, 497-524 ; *M de la Taille*, Sur l'Encyclique « Pascendi », Études 113, 645-669 ; *XMoisant*, Qu'est-ce que le Modernisme ? 115 [1908] 289-308. 463-484. *JBessmer* S. I., Philosophie und Theologie des Modernismus, Eine Erklärung des Lehrgehaltes der Enzyklika *Pascendi*, des Dekretes *Lamentabili* und des Eides wider den Modernismus, Fr. 1912. *A Gisler*, Der Modernismus dargestellt und gewürdigt Einsiedeln 1913. CC 58, 4 [1907] ; 59, 1-3 [1908] plures commentationes.

§ 4. *Iurisiurandi formula*

AAS 2 [1910] 655-672. D 2145ss. RClfr 64 [1910] 111-113. CC 62, 1 [1911] 257-272. 419-432. 656-669.

566. Certissime teneo ac sincere profiteor, Fidem non esse coecum sensum religionis e latebris *subconscientiae* erumpentem, sub pressione cordis et inflexione voluntatis moraliter informatae, sed verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptae ex auditu, quo nempe, quae a Deo personali, creatore ac domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis.

Me etiam, qua par est, reverentia, subiicio totoque animo adhaereo damnationibus, declarationibus, praescriptis omnibus, quae in Encyclicis litteris « *Pascendi* » et in Decreto « *Lamentabili* » continentur, praesertim circa eam quam historiam dogmatum vocant. — Idem reprobo

errorem affirmantium, propositam ab Ecclesia fidem posse historiae repugnare... — Damno quoque ac reiicio eorum sententiam, qui dicunt, christianum hominem eruditiorem induere personam duplicem, aliam credentis, aliam historici... — Reprobo pariter eam Scripturae Sanctae diiudicandae atque interpretandae rationem, quae, Ecclesiae traditione, analogiae Fidei, et Apostolicae Sedis normis posthabitis, *rationalistarum* commentis inhaeret, et criticen textus velut unicam supremamque regulam, haud minus licenter quam temere amplectitur. 670s.

§ 5. *De auctoritate et obligatione decretorum pontificalis consilii de re biblica*

Motu proprio « *Praestantia Scripturae* », de die 18 Novembris 1907.

ASS 40 [1907] 724s. D 2113. RClfr 52 [1907] 557ss ; 82 [1915] 513-516.

567. Post diuturna rerum iudicia consultationesque diligentissimas, quaedam feliciter a Pontificio de re Biblica Consilio emissae sententiae sunt, provehendis germane biblicis studiis, iisdemque certa norma dirigendis perutiles. At vero minime deesse conspicimus qui, plus nimio ad opiniones methodosque proni perniciosis novitatibus affectas, studioque praeter modum abrepti falsae libertatis, quae sane est licentia intemperans, probatque se in doctrinis sacris equidem insidiosissimam maximorumque malorum contra fidei puritatem fecundam, non eo, quo par est, obsequio sententias eiusmodi, quamquam a Pontifice probatas, exceperint aut excipiant.

Quapropter declarandum illud praecipiendumque videmus, quemadmodum declaramus in praesens expresseque praecipimus, universos omnes conscientiae obstringi officio sententiis Pontificalis Consilii de re Biblica, sive quae adhuc sunt emissae sive quae posthac edentur, *perinde ac Decretis Sacrarum Congregationum pertinentibus ad doctrinam probatisque a Pontifice, se subiiciendi ;* nec posse notam tum detrectatae obedientiae tum temeritatis devitare aut culpâ propterea vacare gravi quotquot verbis scriptisve sententias tales impugnent ; idque praeter scandalum, quo offendant, ceteraque quibus in causa esse coram Deo possint, aliis, ut plurimum, temere in his errateque pronunciatis.

Ad haec, audentiores quotidie spiritus complurium modernistarum repressuri, qui sophismatis artificiisque omne genus vim efficacitatemque nituntur adimere non Decreto solum *Lamentabili sane exitu*, quod V nonas Iulias anni vertentis S. R. et U. Inquisitio, Nobis iubentibus, edidit, verum etiam Litteris Encyclicis Nostris *Pascendi Dominici gregis*, datis die VIII mensis Septembris istius eiusdem anni, auctoritate Nostra Apostolica iteramus confirmamusque tum *Decretum* illud Congregationis Sacrae Supremae, tum *Litteras* eas Nostras *Encyclicas*, addita *excommunicationis* poena adversus contradictores ; illudque declaramus ac decernimus, si quis, quod Deus avertat, eo audaciae progrediatur ut quamlibet e propositionibus, opinionibus doctrinisque in alterutro

documento, quod supra diximus, improbatis tueatur, censurâ ipso facto plecti Capite *Docentes* Constitutionis *Apostolicae Sedis* irrogatâ, quae prima est in excommunicationibus latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatis. Haec autem excommunicatio salvis poenis est intelligenda, in quas, qui contra memorata documenta quidpiam commiserint, possint, uti propagatores defensoresque haeresum, incurrere, si quando eorum propositiones, opiniones doctrinaeve haereticae sint, quod quidem de utriusque illius documenti adversariis plus semel usuvenit, tum vero maxime cum modernistarum errores, id est *omnium haereseon collectum*, propugnant.

§ 6. *Ex sacrae romanae et universalis inquisitionis decreto « Lamentabili sane »* de die 3 Iulii 1907

ASS 40 [1907] 470-476. D 2001-65. RClfr 51 [1907] 300-306. CC 58, 3 [1907] 257-271.

568. Lamentabili sane exitu aetas nostra freni impatiens in rerum summis rationibus indagandis ita nova non raro sequitur ut, dimissa humani generis quasi haereditate, in errores incidat gravissimos. Qui errores longe erunt perniciosiores, si de disciplinis agitur sacris, si de Sacra Scriptura interpretanda, si de fidei praecipuis mysteriis. Dolendum autem vehementer inveniri etiam inter catholicos non ita paucos scriptores qui, praetergressi fines a Patribus ac ab ipsa Sancta Ecclesia statutos, altioris intelligentiae specie et historicae considerationis nomine, eum dogmatum progressum quaerunt qui, reipsa, eorum corruptela est...

Quare, instituto diligentissimo examine, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, Emi ac Rmi Dni Cardinales, in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, propositiones quae sequuntur reprobandas ac proscribendas esse iudicarunt, prouti hoc generali Decreto reprobantur ac proscribuntur.

1. Ecclesiastica lex quae praescribit subiicere praeviae censurae libros Divinas respicientes Scripturas, ad cultores critices aut exegeseos scientificae librorum Veteris et Novi Testamenti non extenditur.

2. Ecclesiae interpretatio Sacrorum Librorum non est quidem spernenda, subiacet tamen accuratiori exegetarum iudicio et correctioni.

3. Ex iudiciis et censuris ecclesiasticis contra liberam et cultiorem exegesim latis colligi potest fidem ab Ecclesia propositam contradicere historiae, et dogmata catholica cum verioribus christianae religionis originibus componi reipsa non posse.

4. Magisterium Ecclesiae ne per dogmaticas quidem definitiones genuinum Sacrarum Scripturarum sensum determinare potest.

5. Quum in deposito fidei veritates tantum revelatae contineantur, nullo sub respectu ad Ecclesiam pertinet iudicium ferre de assertionibus disciplinarum humanarum.

6. In definiendis veritatibus ita collaborant discens et docens Ecclesia,

ut docenti Ecclesiae nihil supersit nisi communes discentis opinationes sancire.

7. Ecclesia, cum proscribit errores, nequit a fidelibus exigere ullum internum assensum, quo iudicia a se edita complectantur.

8. Ab omni culpa immunes existimandi sunt qui reprobationes a Sacra Congregatione Indicis aliisve Sacris Romanis Congregationibus latas nihili pendunt.

9. Nimiam simplicitatem aut ignorantiam prae se ferunt qui Deum credunt vere esse Scripturae Sacrae auctorem.

10. Inspiratio librorum Veteris Testamenti in eo constitit, quod scriptores israelitae religiosas doctrinas sub peculiari quodam aspectu, gentibus parum noto aut ignoto, tradiderunt.

11. Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam Sacram extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat.

12. Exegeta, si velit utiliter studiis biblicis incumbere, in primis quamlibet praeconceptam opinionem de supernaturali origine Scripturae Sacrae seponere debet, eamque non aliter interpretari quam cetera documenta mere humana.

13. Parabolas evangelicas ipsimet Evangelistae ac christiani secundae et tertiae generationis artificiose digesserunt, atque ita rationem dederunt exigui fructus praedicationis Christi apud iudaeos.

14. In pluribus narrationibus non tam quae vera sunt Evangelistae retulerunt, quam quae lectoribus, etsi falsa, censuerunt magis proficua.

15. Evangelia usque ad definitum constitutumque canonem continuis additionibus et correctionibus aucta fuerunt ; in ipsis proinde doctrinae Christi non remansit nisi tenue et incertum vestigium.

16. Narrationes Ioannis non sunt proprie historia, sed mystica Evangelii contemplatio ; sermones, in eius Evangelio contenti, sunt meditationes theologicae circa mysterium salutis historica veritate destitutae.

17. Quartum Evangelium miracula exaggeravit non tantum ut extraordinaria magis apparerent, sed etiam ut aptiora fierent ad significandum opus et gloriam Verbi Incarnati.

18. Ioannes sibi vindicat quidem rationem testis de Christo ; re tamen vera non est nisi eximius testis vitae christianae, seu vitae Christi in Ecclesia, exeunte primo saeculo.

19. Heterodoxi exegetae fidelius expresserunt sensum verum Scripturarum quam exegetae catholici.

20. Revelatio nihil aliud esse potuit quam acquisita ab homine suae ad Deum relationis conscientia.

21. Revelatio, obiectum fidei catholicae constituens, non fuit cum Apostolis completa.

22. Dogmata quae Ecclesia perhibet tamquam revelata, non sunt veritates e coelo delapsae, sed sunt interpretatio quaedam factorum religiosorum quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit.

23. Existere potest et reipsa existit oppositio inter facta quae in

Sacra Scriptura narrantur eisque innixa Ecclesiae dogmata ; ita ut criticus tamquam falsa reiicere possit facta quae Ecclesia tamquam certissima credit.

24. Reprobandus non est exegeta qui praemissas adstruit, ex quibus sequitur dogmata historice falsa aut dubia esse, dummodo dogmata ipsa directe non neget.

25. Assensus fidei ultimo innititur in congerie probabilitatum.

26. Dogmata fidei retinenda sunt tantummodo iuxta sensum practicum, id est tamquam norma praeceptiva agendi, non vero tamquam norma credendi.

27. Divinitas Iesu Christi ex Evangeliis non probatur ; sed est dogma, quod conscientia christiana e notione Messiae deduxit.

28. Iesus, quum ministerium suum exercebat, non in eum finem loquebatur, ut doceret se esse Messiam, neque eius miracula eo spectabant ut id demonstraret.

29. Concedere licet Christum quem exhibet historia, multo inferiorem esse Christo qui est obiectum fidei.

30. In omnibus textibus evangelicis nomen *Filius Dei* aequivalet tantum nomini *Messias*, minime vero significat Christum esse verum et naturalem Dei Filium.

31. Doctrina de Christo, quam tradunt Paulus, Ioannes et Concilia Nicaenum, Ephesinum, Chalcedonense, non est ea quam Iesus docuit, sed quam de Iesu concepit conscientia christiana.

32. Conciliari nequit sensus naturalis textuum evangelicorum cum eo quod nostri theologi docent de conscientia et scientia infallibili Iesu Christi.

33. Evidens est cuique qui praeconceptis non ducitur opinionibus, Iesum aut errorem de proximo messianico adventu fuisse professum, aut maiorem partem ipsius doctrinae in Evangeliis Synopticis contentae authenticitate carere.

34. Criticus nequit asserere Christo scientiam nullo circumscriptam limite nisi facta hypothesi, quae historice haud concipi potest quaeque sensui morali repugnat, nempe Christum uti hominem habuisse scientiam Dei et nihilominus noluisse notitiam tot rerum communicare cum discipulis ac posteritate.

35. Christus non semper habuit conscientiam suae dignitatis messinicae[1].

1. De eadem materia decretum edidit S. Offic. 5 Iunii 1918.
Proposita a Sacra Congregatione de Seminariis et de Studiorum Universitatibus dubio : Utrum tuto doceri possint sequentes propositiones :
I. — Non constat fuisse in anima Christi inter homines degentis scientiam, quam habent beati seu comprehensores.
II. — Nec *certa* dici potest sententia, quae statuit animam Christi nihil ignoravisse, sed ab initio cognovisse in Verbo omnia, praeterita, praesentia et futura, seu omnia quae Deus scit scientia visionis.
III. — Placitum quorumdam recentiorum de scientia animae Christi limitata

36. Resurrectio Salvatoris non est proprie factum ordinis historici, sed factum ordinis mere supernaturalis, nec demonstratum nec demonstrabile, quod conscientia christiana sensim ex aliis derivavit.

37. Fides in resurrectionem Christi ab initio fuit non tam de facto ipso resurrectionis, quam de vita Christi immortali apud Deum.

38. Doctrina de morte piaculari Christi non est evangelica sed tantum paulina.

39. Opiniones de origine sacramentorum, quibus Patres Tridentini imbuti erant quaeque in eorum canones dogmaticos procul dubio influxum habuerunt, longe distant ab iis quae nunc penes historicos rei christianae indagatores merito obtinent.

40. Sacramenta ortum habuerunt ex eo quod Apostoli eorumque successores ideam aliquam et intentionem Christi, suadentibus et moventibus circumstantiis et eventibus, interpretati sunt.

41. Sacramenta eo tantum spectant ut in mentem hominis revocent praesentiam Creatoris semper beneficam.

42. Communitas christiana necessitatem baptismi induxit, adoptans illum tamquam ritum necessarium, eique professionis christianae obligationes adnectens.

43. Usus conferendi baptismum infantibus evolutio fuit disciplinaris, quae una ex causis extitit ut sacramentum resolveretur in duo, in baptismum scilicet et poenitentiam.

44. Nihil probat ritum sacramenti confirmationis usurpatum fuisse ab Apostolis : formalis autem distinctio duorum sacramentorum, baptismi scilicet et confirmationis, haud spectat ad historiam christianismi primitivi.

45. Non omnia, quae narrat Paulus de institutione Eucharistiae (I. Cor. XI, 23-25), historice sunt sumenda.

46. Non adfuit in primitiva Ecclesia conceptus de christiano peccatore auctoritate Ecclesiae reconciliato; sed Ecclesia nonnisi admodum lente huiusmodi conceptui assuevit. Immo etiam postquam poenitentia tamquam Ecclesiae institutio agnita fuit, non appellabatur sacramenti nomine, eo quod haberetur uti sacramentum probrosum.

47. Verba Domini : *Accipite Spiritum Sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (Io. XX, 22 et 23) minime referuntur ad sacramentum poenitentiae, quidquid Patribus Tridentinis asserere placuit.

48. Iacobus in sua epistula (V, 14 et 15) non intendit promulgare aliquod sacramentum Christi, sed commendare pium aliquem morem, et si in hoc more forte cernit medium aliquod gratiae, id non accipit

non est minus recipiendum in scholis catholicis, quam veterum sententia de scientia universali ;

Emi ac Rmi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores, praehabito voto DD. Consultorum respondendum decreverunt : *Negative.* AAS 19 [1918] 282. D 2183ss. *JLebreton* RScR 9 [1918] 281-289.

eo rigore, quo acceperunt theologi, qui notionem et numerum sacramentorum statuerunt.

49. Coena christiana paullatim indolem actionis liturgicae assumente, hi, qui Coenae praeesse consueverant, characterem sacerdotalem acquisiverunt.

50. Seniores qui in christianorum coetibus invigilandi munere fungebantur, instituti sunt ab Apostolis presbyteri aut episcopi ad providendum necessariae crescentium communitatum ordinationi, non proprie ad perpetuandam missionem et potestatem Apostolicam.

51. Matrimonium non potuit evadere sacramentum novae legis nisi serius in Ecclesia ; siquidem ut matrimonium pro sacramento haberetur, necesse erat ut praecederet plena doctrinae de gratia et sacramentis theologica explicatio.

52. Alienum fuit a mente Christi Ecclesiam constituere veluti societatem super terram per longam saeculorum seriem duraturam ; quin immo in mente Christi regnum coeli una cum fine mundi iamiam adventurum erat.

53. Constitutio organica Ecclesiae non est immutabilis : sed societas christiana perpetuae evolutioni aeque ac societas humana obnoxia.

54. Dogmata, sacramenta, hierarchia, tum quod ad notionem tum quod ad realitatem attinet, non sunt nisi intelligentiae christianae interpretationes evolutionesque quae exiguum germen in Evangelio latens externis incrementis auxerunt perfeceruntque.

55. Simon Petrus ne suspicatus quidem unquam est sibi a Christo demandatum esse primatum in Ecclesia.

56. Ecclesia Romana non ex divinae providentiae ordinatione, sed ex mere politicis conditionibus caput omnium Ecclesiarum effecta est.

57. Ecclesia sese praebet scientiarum naturalium et theologicarum progressibus infensam.

58. Veritas non est immutabilis plusquam ipse homo, quippe quae cum ipso, in ipso, et per ipsum evolvitur.

59. Christus determinatum doctrinae corpus omnibus temporibus cunctisque hominibus applicabile non docuit, sed potius inchoavit motum quemdam religiosum diversis temporibus ac locis adaptatum vel adaptandum.

60. Doctrina christiana in suis exordiis fuit iudaica, sed facta est per successivas evolutiones primum paulina, tum ioannica, demum hellenica et universalis.

61. Dici potest absque paradoxo nullum Scripturae caput, a primo Genesis ad postremum Apocalypsis, continere doctrinam prorsus identicam illi quam super eadem re tradit Ecclesia, et idcirco nullum Scripturae caput habere eumdem sensum pro critico ac pro theologo.

62. Praecipui articuli Symboli Apostolici non eamdem pro christianis primorum temporum significationem habebant quam habent pro christianis nostri temporis.

63. Ecclesia sese praebet imparem ethicae evangelicae efficaciter tuendae, quia obstinate adhaeret immutabilibus doctrinis quae cum hodiernis progressibus componi nequeunt.

64. Progressus scientiarum postulat ut reformentur conceptus doctrinae christianae de Deo, de Creatione, de Revelatione, de Persona Verbi Incarnati, de Redemptione.

65. Catholicismus hodiernus cum vera scientia componi nequit nisi transformetur in quemdam christianismum non dogmaticum, id est in protestantismum latum et liberalem.

Sequenti vero feria V, die 4 eiusdem mensis et anni, facta de his omnibus SSmo D. N. Pio PP. X accurata relatione, Sanctitas Sua Decretum Emorum Patrum adprobavit et confirmavit, ac omnes et singulas supra recensitas propositiones ceu reprobatas ac proscriptas ab omnibus haberi mandavit.

PETRUS PALOMBELLI, *S. R. U. I. Notarius.*

§ 7. *Responsa Pontificiae Commissionis de re Biblica*

569. 1. *Circa citationes implicitas in S. Scriptura contentas* (13 Febr. 1905)

Cum ad normam directivam habendam pro studiosis Sacrae Scripturae proposita fuerit Commissioni Pontificiae de re biblica sequens quæstio, videlicet :

Utrum ad enodandas difficultates quae occurrunt in nonnullis S. Scripturae textibus, qui facta historica referre videntur, liceat Exegetae catholico asserere agi in his de citatione tacita vel implicita documenti ab auctore non inspirato conscripti, cuius adserta omnia auctor inspiratus minime adprobare aut sua facere intendit, quaeque ideo ab errore immunia haberi non possunt ?

Praedicta Commissio respondendum censuit :

Negative, excepto casu in quo, salvis sensu ac iudicio Ecclesiae, solidis argumentis probetur : 1° Hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare ; et 2° Eadem nec probare, nec suae facere, ita ut iure censeatur non proprio nomine loqui.

ASS 37 [1904-05] 666. D 1979. RClfr 60 [1909] 649-652.

570. 2. *De narrationibus specielenus tantum historicis in S. Scripturae libris qui pro historicis habentur* (23 Iunii 1905)

Proposito sequenti dubio Consilium Pontificium pro studiis de re biblica provehendis respondendum censuit prout sequitur.

Dubium. Utrum admitti possit tamquam principium rectae exegeseos sententia quae tenet S. Scripturae Libros, qui pro historicis habentur,

sive totaliter, sive ex parte, non historiam proprie dictam et obiective veram quandoque narrare, sed speciem tantum historiae prae se ferre ad aliquid significandum a proprie litterali seu historica verborum significatione alienum ?

Resp.: Negative, excepto tamen casu, non facile nec temere admittendo, in quo, Ecclesiae sensu non refragante, eiusque salvo iudicio, solidis argumentis probetur Hagiographum voluisse non veram et proprie dictam historiam tradere, sed, sub specie et forma historiae, parabolam, allegoriam, vel sensum aliquem a proprie litterali seu historica verborum significatione remotum proponere.

ASS 38 [1905-06] 124s. D 1980. RClfr 45 [1906] 45s ; 60 [1909] 652-655.

571. 3. *De Mosaica authentia Pentateuchi*
(27 Iunii 1906)

Propositis sequentibus dubiis Consilium Pontificium pro studiis de re biblica provehendis respondendum censuit prout sequitur :

I. Utrum argumenta a criticis congesta ad impugnandam authentiam Mosaicam sacrorum Librorum, qui Pentateuchi nomine designantur, tanti sint ponderis, ut posthabitis quampluribus testimoniis utriusque Testamenti collective sumptis, perpetua consensione populi Iudaici, Ecclesiae quoque constanti traditione nec non indiciis internis quae ex ipso textu eruuntur, ius tribuant affirmandi hos libros non Moysen habere auctorem, sed ex fontibus maxima ex parte aetate Mosaica posterioribus fuisse confectos ?

Resp. Negative.

II. Utrum Mosaica authentia Pentateuchi talem necessario postulet redactionem totius operis, ut prorsus tenendum sit Moysen omnia et singula manu sua scripsisse vel amanuensibus dictasse ; an etiam eorum hypothesis permitti possit qui existimant eum opus ipsum a se sub divinae inspirationis afflatu conceptum alteri vel pluribus scribendum commisisse, ita tamen ut sensa sua fideliter redderent, nihil contra suam voluntatem scriberent, nihil omitterent ; ac tandem opus hac ratione confectum, ab eodem Moyse principe inspiratoque auctore probatum, ipsiusmet nomine vulgaretur ?

Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

III. Utrum absque praeiudicio Mosaicae authentiae Pentateuchi concedi possit Moysen ad suum conficiendum opus fontes adhibuisse, scripta videlicet documenta vel orales traditiones, ex quibus secundum peculiarem scopum sibi propositum et sub divinae inspirationis afflatu, nonnulla hauserit eaque ad verbum vel quoad sententiam, contracta vel amplificata, ipsi operi inseruerit ?

Resp. Affirmative.

IV. Utrum, salva substantialiter Mosaica authentia et integritate Pentateuchi, admitti possit tam longo saeculorum decursu nonnullas

ei modificationes obvenisse, uti : additamenta post Moysi mortem vel ab auctore inspirato apposita, vel glossas et explicationes textui interiectas ; vocabula quaedam et formas e sermone antiquato in sermonem recentiorem translatas ; mendosas demum lectiones vitio amanuensium adscribendas, de quibus fas sit ad normas artis criticae disquirere et iudicare ?

Resp. Affirmative, salvo Ecclesiae iudicio.

ASS 39 [1906] 377s. D 1997-2000. RClfr 47 [1906] 630s ; 60 [1909] 655-662.

572. 4. *De charactere historico priorum capitum Geneseos*
(30 Iunii 1909)

I. Utrum varia systemata exegetica, quae ad excludendum sensum litteralem historicum trium priorum capitum libri Geneseos excogitata et scientiae fuco propugnata sunt, solido fundamento fulciantur ?

Resp. Negative.

II. Utrum non obstantibus indole et forma historica libri Geneseos, peculiari trium priorum capitum inter se et cum sequentibus capitibus nexu, multiplici testimonio Scripturarum tum veteris tum novi Testamenti, unanimi fere sanctorum Patrum sententia ac traditionali sensu, quem, ab israëlitico etiam populo transmissum, semper tenuit Ecclesia, doceri possit, praedicta tria capita Geneseos continere non rerum vere gestarum narrationes, quae scilicet obiectivae realitati et historicae veritati respondeant ; sed vel fabulosa ex veterum populorum mythologiis et cosmogoniis deprompta et ab auctore sacro, expurgato quovis polytheismi errore, doctrinae monotheisticae accommodata ; vel allegorias et symbola, fundamento obiectivae realitatis destituta, sub historiae specie ad religiosas et philosophicas veritates inculcandas proposita ; vel tandem legendas ex parte historicas et ex parte fictitias ad animorum instructionem et aedificationem libere compositas ?

Resp. Negative ad utramque partem.

III. Utrum speciatim sensus litteralis historicus vocari in dubium possit, ubi agitur de factis in eisdem capitibus enarratis, quae christianae religionis fundamenta attingunt : uti sunt, inter caetera, rerum universarum creatio a Deo facta in initio temporis ; peculiaris creatio hominis ; formatio primae mulieris ex primo homine ; generis humani unitas ; originalis protoparentum felicitas in statu iustitiae, integritatis et immortalitatis ; praeceptum a Deo homini datum ad eius obedientiam probandam ; divini praecepti, diabolo sub serpentis specie suasore, transgressio ; protoparentum deiectio ab illo primaevo innocentiae statu ; nec non Reparatoris futuri promissio ?

Resp. Negative.

IV. Utrum in interpretandis illis horum capitum locis, quos Patres et Doctores diverso modo intellexerunt, quin certi quippiam definitique

tradiderint, liceat, salvo Ecclesiae iudicio servataque fidei analogia, eam quam quisque prudenter probaverit, sequi tuerique sententiam ?

Resp. Affirmative.

V. Utrum omnia et singula, verba videlicet et phrases, quae in praedictis capitibus occurrunt, semper et necessario accipienda sint sensu proprio, ita ut ab eo discedere numquam liceat, etiam cum locutiones ipsae manifesto appareant improprie, seu metaphorice vel anthropomorphice, usurpatae, et sensum proprium vel ratio tenere prohibeat vel necessitas cogat dimittere ?

Resp. Negative.

VI. Utrum, praesupposito litterali et historico sensu, nonnullorum locorum eorumdem capitum interpretatio allegorica et prophetica, praefulgente sanctorum Patrum et Ecclesiae ipsius exemplo, adhiberi sapienter et utiliter possit ?

Resp. Affirmative.

VII. Utrum, cum in conscribendo primo Geneseos capite non fuerit sacri auctoris mens intimam adspectabilium rerum constitutionem ordinemque creationis completum scientifico more docere ; sed potius suae genti tradere notitiam popularem, prout communis sermo per ea ferebat tempora, sensibus et captui hominum accommodatam, sit in horum interpretatione adamussim semperque investiganda scientifici sermonis proprietas ?

Resp. Negative.

VIII. Utrum in illa sex dierum denominatione atque distinctione, de quibus in Geneseos capite primo, sumi possit vox *Yôm* (dies), sive sensu proprio pro die naturali, sive sensu improprio pro quodam temporis spatio, deque huiusmodi quaestione libere inter exegetas disceptare liceat ?

Resp. Affirmative.

AAS 1 [1909] 567. D 2121-2128. RClfr 61 [1910] 270-278.

573. 5. *De auctoribus et de tempore compositionis Psalmorum*
(1 Maii 1910)

I. Utrum appellationes *Psalmi David*, *Hymni David*, *Liber psalmorum David*, *Psalterium Davidicum*, in antiquis collectionibus et in Conciliis ipsis usurpatae ad designandum Veteris Testamenti Librum CL psalmorum ; sicut etiam plurium Patrum et Doctorum sententia, qui tenuerunt omnes prorsus Psalterii psalmos uni David esse adscribendos, tantam vim habeant, ut Psalterii totius unicus auctor haberi debeat ?

Resp. Negative.

II. Utrum ex concordantia textus hebraici cum graeco textu alexandrino aliisque vetustis versionibus argui iure possit, titulos psalmorum hebraico textui praefixos antiquiores esse versione sic dicta LXX virorum ; ac proinde si non directe ab auctoribus ipsis psalmorum, a vetusta saltem iudaica traditione derivasse?

Resp. Affirmative.

III. Utrum praedicti psalmorum tituli, iudaicae traditionis testes, quando nulla ratio gravis est contra eorum genuinitatem, prudenter possint in dubium revocari ?

Resp. Negative.

IV. Utrum si considerentur Sacrae Scripturae haud infrequentia testimonia circa naturalem Davidis peritiam, Spiritus Sancti charismate illustratam in componendis carminibus religiosis, institutiones ab ipso conditae de cantu psalmorum liturgico, attributiones psalmorum ipsi factae tum in Veteri Testamento, tum in Novo, tum in ipsis inscriptionibus, quae psalmis ab antiquo praefixae sunt ; insuper consensus Iudaeorum, Patrum et Doctorum Ecclesiae, prudenter denegari possit praecipuum Psalterii carminum Davidem esse auctorem, vel contra affirmari pauca dumtaxat eidem regio Psalti carmina esse tribuenda ?

Resp. Negative ad utramque partem.

V. Utrum in specie denegari possit davidica origo eorum psalmorum, qui in Veteri vel Novo Testamento diserte sub Davidis nomine citantur, inter quos prae ceteris recensendi veniunt psalmus II *Quare fremuerunt gentes* ; ps. XV *Conserva me, Domine ;* ps. XVII *Diligam te, Domine, fortitudo mea ;* ps. XXXI *Beati quorum remissae sunt iniquitates ;* ps. LXVIII *Salvum me fac, Deus ;* ps. CIX *Dixit Dominus Domino meo ?*

Resp. Negative.

VI. Utrum sententia eorum admitti possit qui tenent, inter psalterii psalmos nonnullos esse sive Davidis sive aliorum auctorum, qui propter rationes liturgicas et musicales, oscitantiam amanuensium aliasve incompertas causas in plures fuerint divisi vel in unum coniuncti ; itemque alios esse psalmos, uti *Miserere mei, Deus*, qui ut melius aptarentur circumstantiis historicis vel solemnitatibus populi iudaici, leviter fuerint retractati vel modificati, subtractione aut additione unius alteriusve versiculi, salva tamen totius textus sacri inspiratione ?

Resp. Affirmative ad utramque partem.

VII. Utrum sententia eorum inter recentiores scriptorum, qui indiciis dumtaxat internis innixi vel minus recta sacri textus interpretatione demonstrare conati sunt, non paucos esse psalmos post tempora Esdrae et Nehemiae, quinimo aevo Machabaeorum, compositos, probabiliter sustineri possit ?

Resp. Negative.

VIII. Utrum ex multiplici sacrorum Librorum Novi Testamenti testimonio et unanimi Patrum consensu, fatentibus etiam iudaicae gentis scriptoribus, plures agnoscendi sint psalmi prophetici et messianici, qui futuri Liberatoris adventum, regnum, sacerdotium, passionem, mortem et resurrectionem vaticinati sunt ; ac proinde reicienda prorsus eorum sententia sit, qui indolem psalmorum propheticam ac messianicam pervertentes, eadem de Christo oracula ad futuram tantum sortem populi electi praenuntiandam coarctant ?

Resp. Affirmative ad utramque partem.

AAS 2 [1910] 354s. D 2129-2136. RClfr 42 [1910] 616s ; 82 [1915] 516-535. CC 61, 4 [1910] ; 62, 1-2 [1911] *LMéchineau.*

574. 6. *De libri Isaiae indole et auctore* (20 Iunii 1908)

Propositis sequentibus dubiis Commissio Pontificia de Re Biblica sequenti modi respondit :

Dubium I. Utrum doceri possit, vaticinia quae leguntur in libro Isaiae, et passim in Scripturis, non esse veri nominis vaticinia, sed vel narrationes post eventum confictas, vel, si ante eventum praenuntiatum quidpiam agnosci opus sit, id prophetam non ex supernaturali Dei futurorum praescii revelatione, sed ex his quae iam contigerunt, felici quadam sagacitate et naturalis ingenii acumine, coniciendo praenuntiasse ?

Resp. Negative.

Dubium II. Utrum sententia quae tenet, Isaiam ceterosque prophetas vaticinia non edidisse nisi de his quae in continenti vel post non grande temporis spatium eventura erant, conciliari possit cum vaticiniis, imprimis messianicis et eschatologicis, ab eisdem prophetis de longinquo certo editis, necnon cum communi SS. Patrum sententia concorditer asserentium, prophetas ea quoque praedixisse, quae post multa saecula essent implenda ?

Resp. Negative.

Dubium III. Utrum admitti possit, prophetas non modo tamquam correctores pravitatis humanae divinique verbi in profectum audientium praecones, verum etiam tamquam praenuntios eventuum futurorum, constanter alloqui debuisse auditores non quidem futuros, sed praesentes et sibi aequales, ita ut ab ipsis plane intelligi potuerint ; proindeque secundam partem libri Isaiae (cap. XL-LXVI), in qua vates non Iudaeos Isaiae aequales, at Iudaeos in exilio babylonico lugentes veluti inter ipsos vivens alloquitur et solatur, non posse ipsum Isaiam iamdiu emortuum auctorem habere, sed oportere eam ignoto cuidam vati inter exules viventi assignare ?

Resp. Negative.

Dubium IV. Utrum, ad impugnandam identitatem auctoris libri Isaiae, argumentum philologicum, ex lingua stiloque desumptum, tale sit censendum, ut virum gravem, criticae artis et hebraicae linguae peritum, cogat in eodem libro pluralitatem auctorum agnoscere ?

Resp. Negative.

Dubium V. Utrum solida prostent argumenta, etiam cumulative sumpta, ad evincendum Isaiae librum non ipsi soli Isaiae, sed duobus, imo pluribus auctoribus esse tribuendum ?

Resp. Negative.

AAS 41 [1908] 613s. D 2115-2119. RClfr 61 [1910] 264-270.

575. 7. *De auctore, de tempore compositionis et de historica veritate Evangelii secundum Matthaeum*
(19 Iunii 1911)

Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio « de re Biblica » ita respondendum decrevit.

I. Utrum, attento universali et a primis saeculis constanti Ecclesiae consensu, quem luculenter ostendunt diserta Patrum testimonia, codicum Evangeliorum inscriptiones, sacrorum librorum versiones vel antiquissimae et catalogi a Sanctis Patribus, ab ecclesiasticis scriptoribus, a Summis Pontificibus et Conciliis traditi, ac tandem usus liturgicus Ecclesiae orientalis et occidentalis, affirmari certo possit et debeat Matthaeum, Christi Apostolum, revera Evangelii sub eius nomine vulgati esse auctorem ?

Resp. Affirmative.

II. Utrum traditionis suffragio satis fulciri censenda sit sententia quae tenet Matthaeum et ceteros Evangelistas in scribendo praecessisse, et primum Evangelium patrio sermone a Iudaeis palaestinensibus tunc usitato, quibus opus illud erat directum, conscripsisse ?

Resp. Affirmative ad utramque partem.

III. Utrum redactio huius originalis testus differri possit ultra tempus eversionis Hierusalem, ita ut vaticinia quae de eadem eversione ibi leguntur, scripta fuerint post eventum ; aut, quod allegari solet Irenaei testimonium (*Advers. haeres.* lib. III cap. 1, n. 2), incertae et controversae interpretationis, tanti ponderis sit existimandum, ut cogat reiicere eorum sententiam qui congruentius traditioni censent eamdem redactionem etiam ante Pauli in Urbem adventum fuisse confectam ?

Resp. Negative ad utramque partem.

IV. Utrum sustineri vel probabiliter possit illa modernorum quorumdam opinio, iuxta quam Matthaeus non proprie et stricte Evangelium composuisset, quale nobis est traditum, sed tantummodo collectionem aliquam dictorum seu sermonum Christi, quibus tamquam fontibus usus esset alius auctor anonymus, quem Evangelii ipsius redactorem faciunt ?

Resp. Negative.

V. Utrum ex eo quod Patres et ecclesiastici scriptores omnes, imo Ecclesia ipsa iam a suis incunabulis unice usi sunt, tamquam canonico, graeco textu Evangelii sub Matthaei nomine cogniti, ne iis quidem exceptis, qui Matthaeum Apostolum patrio scripsisse sermone expresse tradiderunt, certo probari possit ipsum Evangelium graecum identicum esse quoad substantiam cum Evangelio illo, patrio sermone ab eodem Apostolo exarato ?

Resp. Affirmative.

VI. Utrum ex eo quod auctor primi Evangelii scopum prosequitur praecipue dogmaticum et apologeticum, demonstrandi nempe Iudaeis

Iesum esse Messiam a prophetis praenuntiatum et a davidica stirpe progenitum, et quod insuper in disponendis factis et dictis quae enarrat et refert, non semper ordinem chronologicum tenet, deduci inde liceat ea non esse ut vera recipienda ; aut etiam affirmari possit narrationes gestorum et sermonum Christi, quae in ipso Evangelio leguntur, alterationem quamdam et adaptationem sub influxu prophetiarum Veteris Testamenti et adultioris Ecclesiae status subiisse, ac proinde historicae veritati haud esse conformes ?

Resp. Negative ad utramque partem.

VII. Utrum, speciatim solido fundamento destitutae censeri iure debeant opiniones eorum, qui in dubium revocant authenticitatem historicam duorum priorum capitum, in quibus genealogia et infantia Christi narrantur, sicut et quarumdam in re dogmatica magni momenti sententiarum, uti sunt illae quae respiciunt primatum Petri (Matth., XVI, 17-19), formam baptizandi cum universali missione praedicandi Apostolis traditam (Matth., XXVIII, 19-20), professionem fidei Apostolorum in divinitatem Christi (Matth., XIV, 33), et alia huiusmodi, quae apud Matthaeum peculiari modo enuntiata occurrunt ?

Resp. Affirmative.

AAS 3 [1911] 294-296. D 2148-2154. RClfr 83 [1915] 516-532. CC 62, 4 [1911] ; 63, 1-2 [1912] *LMéchineau.*

576. 8. *De auctore, de tempore compositionis et de historica veritate Evangeliorum secundum Marcum et secundum Lucam*

(26 Iunii 1912)

Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio « de Re Biblica » ita respondendum decrevit :

I. Utrum luculentum traditionis suffragium inde ab Ecclesiae primordiis mire consentiens ac multiplici argumento firmatum, nimirum disertis Sanctorum Patrum et scriptorum ecclesiasticorum testimoniis, citationibus et allusionibus in eorumdem scriptis occurrentibus, veterum haereticorum usu, versionibus librorum Novi Testamenti, codicibus manuscriptis antiquissimis et pene universis, atque etiam internis rationibus ex ipso sacrorum librorum textu desumptis, certo affirmare cogat Marcum, Petri discipulum et interpretem, Lucam vero medicum, Pauli auditorem et comitem, revera Evangeliorum quae ipsis respective attribuuntur esse auctores ?

Resp. Affirmative.

II. Utrum rationes, quibus nonnulli critici demonstrare nituntur postremos duodecim versus Evangelii Marci (Marc., XVI, 9-20) non esse ab ipso Marco conscriptos sed ab aliena manu appositos, tales sint, quae ius tribuant affirmandi eos non esse ut inspiratos et canonicos recipiendos ; vel saltem demonstrent versuum eorumdem Marcum non esse auctorem ?

Resp. Negative ad utramque partem.

III. Utrum pariter dubitare liceat de inspiratione et canonicitate narrationum Lucae de infantia Christi (Luc., I-II) aut de apparitione Angeli Iesum confortantis et de sudore sanguineo (Luc., XXII, 43-44); vel solidis saltem rationibus ostendi possit — quod placuit antiquis haereticis et quibusdam etiam recentioribus criticis arridet — easdem narrationes ad genuinum Lucae Evangelium non pertinere ?

Resp. Negative ad utramque partem.

IV. Utrum rarissima illa et prorsus singularia documenta, in quibus Canticum *Magnificat* non Beatae Virgini Mariae, sed Elisabeth tribuitur, ullo modo praevalere possint ac debeant contra testimonium concors omnium codicum tum graeci textus originalis tum versionum, necnon contra interpretationem quam plane exigunt non minus contextus quam ipsius Virginis animus et constans Ecclesiae traditio ?

Resp. Negative.

V. Utrum, quoad ordinem chronologicum Evangeliorum, ab ea sententia recedere fas sit, quae, antiquissimo aeque ac constanti traditionis testimonio roborata, post Matthaeum, qui omnium primus Evangelium suum patrio sermone conscripsit, Marcum ordine secundum et Lucam tertium scripsisse testatur; aut huic sententiae adversari vicissim censenda sit eorum opinio quae asserit Evangelium secundum et tertium ante graecam primi Evangelii versionem esse compositum ?

Resp. Negative ad utramque partem.

VI. Utrum tempus compositionis Evangeliorum Marci et Lucae usque ad urbem Ierusalem eversam differre liceat; vel, eo quod apud Lucam prophetia Domini circa huius urbis eversionem magis determinata videatur, ipsius saltem Evangelium obsidione iam inchoata fuisse conscriptum, sustineri possit ?

Resp. Negative ad utramque partem.

VII. Utrum affirmari debeat Evangelium Lucae praecessisse librum *Actuum Apostolorum* (Act., I, 1-2); et quum hic liber, eodem Luca auctore, ad finem captivitatis Romanae Apostoli fuerit absolutus (Act., XXVIII, 30-31), eiusdem Evangelium non post hoc tempus fuisse compositum ?

Resp. Affirmative.

VIII. Utrum, prae oculis habitis tum traditionis testimoniis, tum argumentis internis, quoad fontes quibus uterque Evangelista in conscribendo Evangelio usus est, in dubium vocari prudenter queat sententia quae tenet Marcum iuxta praedicationem Petri, Lucam autem iuxta praedicationem Pauli scripsisse; simulque asserit iisdem Evangelistis praesto fuisse alios quoque fontes fide dignos sive orales sive etiam iam scriptis consignatos ?

Resp. Negative.

IX. Utrum dicta et gesta, quae a Marco iuxta Petri praedicationem accurate et quasi graphice enarrantur, et a Luca *asseculo omnia a principio diligenter* per testes fide plane dignos, quippe *qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis* (Luc., I, 2-3), sincerissime expo-

nuntur, plenam sibi eam fidem historicam iure vindicent quam eisdem semper praestitit Ecclesia ; an e contrario eadem facta et gesta censenda sint historica veritate, saltem ex parte, destituta, sive quod scriptores non fuerint testes oculares, sive quod apud utrumque Evangelistam defectus ordinis ac discrepantia in successione factorum haud raro deprehendantur, sive quod, cum tardius venerint et scripserint, necessario conceptiones menti Christi et Apostolorum extraneas aut facta plus minusve iam imaginatione populi inquinata referre debuerint, sive demum quod dogmaticis ideis praeconceptis, quisque pro suo scopo, indulserint ?

Resp. Affirmative ad primam partem, negative ad alteram.

AAS 4 [1912] 463-465. D 2155-2163. RClfr 85 [1916] 32-58.

577. 9. *De quaestione synoptica sive de mutuis relationibus inter tria priora Evangelia*
(26 Iunii 1912)

Propositis pariter sequentibus dubiis Pontificia Commissio « de Re Biblica » ita respondendum decrevit :

I. Utrum, servatis quae iuxta praecedenter statuta omnino servanda sunt, praesertim de authenticitate et integritate trium Evangeliorum Matthaei, Marci et Lucae, de identitate substantiali Evangelii graeci Matthaei cum eius originali primitivo, necnon de ordine temporum quo eadem scripta fuerunt, ad explicandum eorum ad invicem similitudines aut dissimilitudines, inter tot varias oppositasque auctorum sententias, liceat exegetis libere disputare et ad hypotheses traditionis sive scriptae sive oralis vel etiam dependentiae unius a praecedenti seu a praecedentibus appellare ?

Resp. Affirmative.

II. Utrum ea quae superius statuta sunt, ii servare censeri debeant, qui, nullo fulti traditionis testimonio nec historico argumento, facile amplectuntur hypothesim vulgo *duorum fontium* nuncupatam, quae compositionem Evangelii graeci Matthaei et Evangelii Lucae ex eorum potissimum dependentia ab Evangelio Marci et a collectione sic dicta sermonum Domini contendit explicare ; ac proinde eam libere propugnare valeant ?

Resp. Negative ad utramque partem.

AAS 4 [1912] 465. D 2164s. RClfr 85 [1916] 230-246.
CC 63, 4 [1912] ; 64, 1-4 [1913] *LMéchineau.*

578. 10. *De auctore et veritate historica quarti Evangelii*
(29 Maii 1907)

Propositis sequentibus dubiis Commissio Pontificia de Re Biblica sequenti modo respondit :

Dubium 1. Utrum ex constanti, universali ac solemni Ecclesiae tra-

ditione iam a saeculo II decurrente, prout maxime eruitur : *a*) ex SS. Patrum, scriptorum ecclesiasticorum, imo etiam haereticorum, testimoniis et allusionibus, quae, cum ab Apostolorum discipulis vel primis successoribus derivasse oportuerit, necessario nexu cum ipsa libri origine cohaerent ; *b*) ex recepto semper et ubique nomine auctoris quarti Evangelii in canone et catalogis sacrorum Librorum ; *c*) ex eorumdem Librorum vetustissimis manuscriptis codicibus et in varia idiomata versionibus ; *d*) ex publico usu liturgico inde ab Ecclesiae primordiis toto orbe obtinente ; praescindendo ab argumento theologico, tam solido argumento historico demonstretur Ioannem Apostolum et non alium quarti Evangelii auctorem esse agnoscendum, ut rationes a criticis in oppositum adductae hanc traditionem nullatenus infirment ?

Resp. Affirmative.

Dubium II. Utrum etiam rationes internae quae eruuntur ex textu quarti Evangelii seiunctim considerato, ex scribentis testimonio et Evangelii ipsius cum I Epistola Ioannis Apostoli manifesta cognatione, censendae sint confirmare traditionem quae eidem Apostolo quartum Evangelium indubitanter attribuit ? — Et utrum difficultates, quae ex collatione ipsius Evangelii cum aliis tribus desumuntur, habita prae oculis diversitate temporis, scopi et auditorum pro quibus vel contra quos auctor scripsit, solvi rationabiliter possint, prout SS. Patres et exegetae catholici passim praestiterunt ?

Resp. Affirmative ad utramque partem.

Dubium III. Utrum, non obstante praxi quae a primis temporibus in universa Ecclesia constantissime viguit, arguendi ex quarto Evangelio tamquam ex documento proprie historico, considerata nihilominus indole peculiari eiusdem Evangelii, et intentione auctoris manifesta illustrandi et vindicandi Christi divinitatem ex ipsis factis et sermonibus Domini, dici possit facta narrata in quarto Evangelio esse totaliter vel ex parte conficta ad hoc ut sint allegoriae vel symbola doctrinalia, sermones vero Domini non proprie et vere esse ipsius Domini sermones, sed compositiones theologicas scriptoris, licet in ore Domini positas ?

Resp. Negative.

ASS 40 [1907] 383s. D 2110ss. RClfr 50 [1907] 760s ; 61 [1910] 257-264.

579. 11. *De auctore, de tempore compositionis et de historica veritate libri Actuum Apostolorum*
(12 Iunii 1913)

Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio de Re Biblica ita respondendum decrevit :

I. Utrum perspecta potissimum Ecclesiae universae traditione usque ad primaevos ecclesiasticos scriptores assurgente, attentisque internis rationibus libri Actuum sive in se sive in sua ad tertium Evangelium relatione considerati et praesertim mutua utriusque prologi affinitate et connexione

(Luc., I, 1-4 ; Act., I, 1-2), uti certum tenendum sit volumen, quod titulo Actus Apostolorum, seu Πράξεις Ἀποστόλων, praenotatur, Lucam evangelistam habere auctorem.

Resp. Affirmative.

II. Utrum criticis rationibus, desumptis tum ex lingua et stylo, tum ex enarrandi modo, tum ex unitate scopi et doctrinae, demonstrari possit librum Actuum Apostolorum uni dumtaxat auctori tribui debere ; ac proinde eam recentiorum scriptorum sententiam, quae tenet Lucam non esse libri auctorem unicum, sed diversos esse agnoscendos eiusdem libri auctores, quovis fundamento esse destitutam ?

Resp. Affirmative ad utramque partem.

III. Utrum, in specie, pericopae in Actis conspicuae, in quibus, abrupto usu tertiae personae, inducitur prima pluralis *(Wirstücke)*, unitatem compositionis et authenticitatem infirment ; vel potius historice et philologice consideratae eam confirmare dicendae sint ?

Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

IV. Utrum, ex eo quod liber ipse, vix mentione facta biennii primae romanae Pauli captivitatis, abrupte clauditur, inferri liceat auctorem volumen alterum deperditum conscripsisse, aut conscribere intendisse, ac proinde tempus compositionis libri Actuum longe possit post eamdem captivitatem differri ; vel potius iure et merito retinendum sit Lucam sub finem primae captivitatis romanae apostoli Pauli librum absolvisse ?

Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

V. Utrum, si simul considerentur tum frequens ac facile commercium quod procul dubio habuit Lucas cum primis et praecipuis ecclesiae Palaestinensis fundatoribus nec non cum Paulo gentium Apostolo, cuius et in evangelica praedicatione adiutor et in itineribus comes fuit ; tum solita eius industria et diligentia in exquirendis testibus rebusque suis oculis observandis ; tum denique plerumque evidens et mirabilis consensus libri Actuum cum ipsis Pauli epistolis et cum sincerioribus historiae monumentis ; certo teneri debeat Lucam fontes omni fide dignos prae manibus habuisse eosque accurate, probe et fideliter adhibuisse : adeo ut plenam auctoritatem historicam sibi iure vindicet ?

Resp. Affirmative.

VI. Utrum difficultates quae passim obiici solent tum ex factis supernaturalibus a Luca narratis ; tum ex relatione quorumdam sermonum, qui, cum sint compendiose traditi, censentur conficti et circumstantiis adaptati ; tum ex nonnullis locis ab historica sive profana sive biblica apparenter saltem dissentientibus ; tum demum ex narrationibus quibusdam, quae sive cum ipso Actuum auctore sive cum aliis auctoribus sacris pugnare videntur ; tales sint ut auctoritatem Actuum historicam in dubium revocare vel saltem aliquomodo minuere possint ?

Resp. Negative.

AAS 5 [1913] 291s. D 2166-2171. RClfr 75 [1913] 483s ; 87 [1916] 27-45. CC 65, 1-4 [1914] *LMéchineau.*

580. 12. *De auctore, de integritate et de compositionis tempore epistolarum pastoralium Pauli Apostoli*
(12 Iunii 1913)

Propositis pariter sequentibus dubiis Pontificia Commissio de Re Biblica ita respondendum decrevit :

I. Utrum prae oculis habita Ecclesiae traditione inde a primordiis universaliter firmiterque perseverante, prout multimodis ecclesiastica monumenta vetusta testantur, teneri certo debeat epistolas quae pastorales dicuntur, nempe ad Timotheum utramque et aliam ad Titum, non obstante quorumdam haereticorum ausu, qui eas, utpote suo dogmati contrarias, de numero paulinarum epistolarum, nulla reddita causa, eraserunt, ab ipso apostolo Paulo fuisse conscriptas et inter genuinas et canonicas perpetuo recensitas ?

Resp. Affirmative.

II. Utrum hypothesis sic dicta fragmentaria, a quibusdam recentioribus criticis invecta et varie proposita, qui, nulla ceteroquin probabili ratione, immo inter se pugnantes, contendunt epistolas pastorales posteriori tempore ex fragmentis epistolarum sive ex epistoliis paulinis deperditis ab ignotis auctoribus fuisse contextas et notabiliter auctas, perspicuo et firmissimo traditionis testimonio aliquod vel leve praeiudicium inferre possit ?

Resp. Negative.

III. Utrum difficultates quae multifariam obiici solent sive ex stylo et lingua auctoris, sive ex erroribus praesertim Gnosticorum, qui uti iam tunc serpentes describuntur, sive ex statu ecclesiasticae hierarchiae, quae iam evoluta supponitur, aliaeque huiuscemodi in contrarium rationes, sententiam quae genuinitatem epistolarum pastoralium ratam certamque habet, quomodolibet infirment ?

Resp. Negative.

IV. Utrum, cum non minus ex historicis rationibus quam ex ecclesiastica traditione, SS. Patrum orientalium et occidentalium testimoniis consona, necnon ex indiciis ipsis quae tum ex abrupta conclusione libri Actuum tum ex paulinis epistolis Romae conscriptis et praesertim ex secunda ad Timotheum facile eruuntur, uti certa haberi debeat sententia de duplici romana captivitate apostoli Pauli ; tuto affirmari possit epistolas pastorales conscriptas esse in illo temporis spatio quod intercedit inter liberationem a prima captivitate et mortem Apostoli ?

Resp. Affirmative.

AAS 5 [1913] 292s. D 2172-2175. RClfr 75 [1913] 484s. CC 65, 4 [1914] ; 66, 1 [1915] *LMéchineau.*

581. 13. *De auctore et modo compositionis epistolae ad Hebraeos*
(24 Iunii 1914)

Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio « De Re Biblica » ita respondendum decrevit.

Quaer. I. Utrum dubiis, quae primis saeculis, ob haereticorum imprimis abusum, aliquorum in Occidente animos tenuere circa divinam inspirationem ac Paulinam originem epistolae ad Hebraeos, tanta vis tribuenda sit, ut, attenta perpetua, unanimi ac constanti Orientalium Patrum affirmatione, cui post saeculum IV totius Occidentalis Ecclesiae plenus accessit consensus ; perpensis quoque Summorum Pontificum sacrorumque Conciliorum, Tridentini praesertim actis, necnon perpetuo Ecclesiae universalis usu, haesitare liceat, eam non solum inter canonicas, — quod de fide definitum est, — verum etiam inter genuinas Apostoli Pauli epistolas certo recensere ?

Resp. Negative.

Quaer. II. Utrum argumenta, quae desumi solent sive ex insolita nominis Pauli absentia et consueti exordii salutationisque omissione in epistola ad Hebraeos, — sive ex eiusdem linguae graecae puritate, dictionis ac styli elegantia et perfectione, — sive ex modo quo in ea Vetus Testamentum allegatur et ex eo arguitur, — sive ex differentiis quibusdam, quae inter huius ceterarumque Pauli epistolarum doctrinam exsistere praetenduntur, aliquomodo eiusdem Paulinam originem infirmare valeant ; an potius perfecta doctrinae ac sententiarum consensio, admonitionum et exhortationum similitudo, necnon locutionum ac ipsorum verborum concordia, a nonnullis quoque acatholicis celebrata, quae inter eam et reliqua Apostoli Gentium scripta observantur, eamdem Paulinam originem commonstrent atque confirment ?

Resp. Negative ad primam partem, affirmative ad alteram.

Quaer. III. Utrum Apostolus ita huius epistolae auctor censendus sit, ut necessario affirmari debeat, ipsum eam totam non solum Spiritu Sancto inspirante concepisse et expressisse, verum etiam ea forma donasse qua prostat ?

Resp. Negative, salvo ulteriori Ecclesiae iudicio.

AAS 6 [1914] 417s. D 2176-2178. Ami du Clergé français 36 [1919] 900-908. CC 67, 1-4 [1916] ; 68, 1-2 [1917] *LMéchineau.*

582. 14. *De Parousia seu de secundo adventu Domini nostri Iesu Christi in epistolis sancti Pauli Apostoli*
(18 Iunii 1915)

Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio de Re Biblica ita respondendum decrevit.

I. Utrum ad solvendas difficultates, quae in epistolis sancti Pauli aliorumque Apostolorum occurrunt, ubi de « Parousia », ut aiunt, seu de secundo adventu Domini nostri Iesu Christi sermo est, exegetae

catholico permissum sit asserere, Apostolos, licet sub inspiratione Spiritus Sancti, nullum doceant errorem, proprios nihilominus humanos sensus exprimere, quibus error vel deceptio subesse possit ?

Resp. Negative.

II. Utrum prae oculis habitis genuina muneris apostolici notione et indubia sancti Pauli fidelitate erga doctrinam Magistri ; dogmate item catholico de inspiratione et inerrantia sacrarum Scripturarum, quo omne id quod hagiographus asserit, enuntiat, insinuat, retineri debet assertum, enuntiatum, insinuatum a Spiritu Sancto ; perpensis quoque textibus epistolarum Apostoli, in se consideratis, modo loquendi ipsius Domini apprime consonis, affirmare oporteat, Apostolum Paulum in scriptis suis nihil omnino dixisse quod non perfecte concordet cum illa temporis Parousiae ignorantia, quam ipse Christus hominum esse proclamavit ?

Resp. Affirmative.

III. Utrum attenta locutione graeca « ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι » ; perpensa quoque expositione Patrum, imprimis sancti Ioannis Chrysostomi, tum in patrio idiomate tum in epistolis Paulinis versatissimi, liceat tanquam longius petitam et solido fundamento destitutam reiicere interpretationem in scholis catholicis traditionalem (ab ipsis quoque novatoribus saeculi XVI retentam), quae verba sancti Pauli in cap. IV, epist. I ad Thessalonicenses, vv. 15-17, explicat quin ullo modo involvat affirmationem Parousiae tam proximae ut Apostolus seipsum suosque lectores adnumeret fidelibus illis qui superstites ituri sunt obviam Christo ?

Resp. Negative.

AAS 7 [1915] 357s. D 2179ss. Ami du Clergé français 37 [1920] 257-270. CC 69, 3-4 [1918] ; 70, 1-2. 4 [1919] ; 71, 1. 4 [1920] *LMéchineau.*

III. Documenta historica, tabulae chronologicae et palaeographicae

Fragmentum Muratorianum

583. *Praemittenda.* Codex saeculi 8, olim Bobbiensis, nunc bibliothecae ambrosianae, Mediol. [J 101 Sup], continet catalogum librorum Novi Testamenti et aliorum, initio saltem mutilatum. Nam omisso evangelio primo (Mt) abrupte incipit cum verbis *quibus tamen...*, quae ex contextu referuntur ad secundum evangelium, Marci scilicet. Fragmentum, ex primo editore vocatum « Muratorianum », constat 85 lineis, ex quibus duae, secunda nimirum et nona, rubro scriptae sunt.

De *origine*, respective de *auctore*, huius catalogi non est eadem omnibus sententia. Plurimi quidem tenent, canonem istum originem suam ducere ex ecclesia Romana ; iidem igitur reiciunt opiniones priores, quae vel Polycratem episcopum Ephesinum, vel Clementem Alexandrinum, vel Melitonem Sardensem pro auctore habuerunt. Ulterior autem quaestio,

quisnam fuerit redactor catalogi, difficulter solvetur. Sunt quidem qui contendant, Hippolytum Romanum scripsisse fragmentum (*Lightfoot*, *Robinson*, alii, quibus sese adiunxit *ThZahn* (NkZ 33 [1922] 417-433); at rationes non videntur rem evincere (*AvHarnack*, ZNW 24 [1925] 1-16). Fatendum potius erit, inquisitionem in auctorem effectum vix habituram *(Bardenhewer)* nisi illum, ut constet de origine catalogi Romana. Insuper ex indole atque ex fine universali videtur sequi, catalogum instructum esse auctoritate doctrinali ecclesiae Romanae resp. eiusdem episcopi, et destinatum esse usui publico Ecclesiae universalis, adnumerandum igitur illis decretis et decisionibus doctrinalibus episcoporum Romanorum, quibus suum primatum doctrinalem in Ecclesia exercuerunt. Qua in suppositione auctor dicendus est ipse episcopus Romanus, qui forte hunc catalogum per aliquem ex suis presbyteris conscribendum curaverit.

Editionem principem curavit *Muratori* (Mediolani 1740), facsimilem *Tregelles* (Oxford 1867); ex aliis multis editionibus commemorentur *Westcott* (1874), *Rauschen* (Florilegium Patristicum III, 1905, cum bono commentario), *Preuschen* (Analecta 1910²), *Buchanan* (1907), *Lietzmann* (Kleine Texte n. 1. 1908²). *Zahn* (Geschichte des neutestl. Kanons II 1-143. 1892) praebet textum, versionem graecam, notas criticas et exegeticas.

Anno 1897 Patres Benedictini Montecassinenses publicarunt aliqua excerpta nostri fragmenti, versus 42-50, 63-68, 81-85, 54-57, hoc ordine inserta in prologo ad epistulas Pauli (*Miscellanea Cassinese* II, 1, 1-5). Cum autem haec excerpta vel directe vel indirecte deriventur e codice Ambrosiano, valorem criticum vix habent.

Textum fragmenti sequimur fere illum, quem exhibet Lietzmann (l. c.), collata tamen recensione Preuschen; addimus in fine excerpta cassinensia.

Notae adiectae contendunt praebere et emendationes, quae necessariae videntur ad textum intellegendum, et qualemcumque eiusdem expositionem.

584. *Textus*

quibus tamen interfuit et ita posuit.
tertio euangelii librum secundo lucan
lucas iste medicus post a[s]censum XPI.

Notae. — *lin.* 1. — *De evangelio Marci.* — Ex contextu apparet esse sermonem de secundo evangelio, et quidem de evangelio Marci, qui dicitur interfuisse vel [ali]quibus factis et verbis Christi quae ut testis vel viderit vel audiverit, scilicet Christi passioni [? M 15, 61] et glorificationi, vel sermonibus Petri (cf n. 345, 3). — Forma « tertio » loco « tertium » explicatur ex consuetudine librarii, qua commutat vel *u* et *o*, atque *m* finale facile omittit; cf « eo, secundo », etc.

l. 2-8. — *De evangelio Lucae.* — Lucas medicus (C 4, 14) Christum in carne non vidit, sed postea — sicut Paulus, cuius comes erat — christianam religionem amplexus scripsit suum evangelium, nixus sedulae indagationi fontium, incipiens a nativitate Ioannis Baptistae.

cum eo paulus quasi ut iuris studiosum
secundum adsumsisset numeni suo
ex opinione concri[b]set dnm tamen nec ipse
duidit in carne et idem pro[ut] asequi potuit
ita et ad natiuitate iohannis incipet dicere
quarti euangeliorum iohannis ex decipolis
cohortantibus condescipulis et eps suis
dixit conieiunate mihi odie triduo et quid
cuique fuerit reuelatum alterutrum
nobis enarremus eadem nocte reue
latum andreae ex apostolis ut recognis
centibus cuntis iohannis suo nomine
cun[c]ta discrib[e]ret et ideo licit uaria sin
culis euangeliorum libris principia

4 « ut juris studiosum » = τοῦ νόμου σπουδαῖον vel ζηλώτην ? — Vel corrupta lectio ex « itineris studiosum » = indefessum itinerum Paulo comitem ? — Vel « melioris studiosum « scilicet vitae condicionis ? (*EKlostermann ZNW* 22 [1923] 308s).

5 « secundum » corrupt. ex « secum ». — Vel : alter et alius ac Marcus ? *(Cornely)*.

6 « ex opinione scripsit » = αὐτῷ ἔδοξε συγγράψαι, (L 1, 3). — vel, « ex opinione Pauli scripsit » ; opinio = δόξα = παράδοσις *(Cornely)* — vel καθεξῆς = ex ordine *(Zahn)*.

7 « prout assequi potuit » ; cf παρηκολουθηκότι πᾶσιν ἀκριβῶς.

l. 9-16. — *De evangelio Ioannis.* — Ioannes, apostolus Domini, est auctor quarti evangelii, quod scripsit admonitus quidem ab aliis apostolis et suis episcopis, attamen proprio nomine et propria auctoritate, quae confirmatur et signo divino et consensu aliorum discipulorum.

9 « quarti » — vel « quarti evangeliorum auctor est Ioannes », vel « quartum ».

« ex decipolis » ; discipuli intelleguntur apostoli ; fragmentum non novit nisi unum Ioannem, auctorem librorum sacrorum : l. 15, 27, 49, 57, 69, 71. — Cf l. 14 : Andreas ex apostolis.

10 « eps » = episcopis ; cf Ap 1, 9ss ; 3 J. — Cf *Hieronymi* Praef. comm. in. Mt, *ML* 26, 19.

12 « alterutrum » = invicem.

l. 16-26. — *De consensu evangeliorum.* — Quia quattuor evangelia ab uno eodemque Spiritu prodierunt, hinc continent, licet initia sint diversa, eandem veritatem. Efferuntur — contra doketas, gnosticos, [montanistas ?] — nativitas, passio, resurrectio Domini eiusque cum discipulis conversatio (A 1,2ss) atque adventus duplex.

16 « Et ideo, licet... » complectitur illa, quae de quattuor evangeliis dicta sunt, respiciens fortasse et defendens imprimis evangelium Ioannis *(Zahn)*.

17 « principia » = initia, ἀρχαί (M 1, 1 ; J 1, 1), non vero capita doctrinae principalia ; nam in his consentire evangelia dicuntur.

doceantur nihil tamen differt creden
tium fidei cum uno ac principali spu de
clarata sint in omnibus omnia de natiui
tate de passione de resurrectione
de conue[r]satione cum decipulis suis
ac de gemino eius aduentu
primo in humilitate dispectus quod fo
it secundum pote[s]tate regali pre
clarum quod foturum est. quid ergo
mirum si iohannes tam constanter
sincula etiam In epistulis suis proferam
dicens in semeipsu quae uidimus oculis
nostris et auribus audiuimus et manus
nostrae palpauerunt haec scripsimus [uobis]
sic enim non solum uisurem sed [et]auditorem.
sed et scriptorem omnium mirabilium dni per ordi
nem profetetur acta autem omnium apostolorum
sub uno libro scribta sunt lucas obtime theofi
le comprindit quia sub praesentia eius singula
gerebantur sicuti et semote passionem petri
euidenter declarat sed [et] profectionem pauli a[b] ur
be ad spaniam profic[e]scentis epistulae autem

18 « nihil differt credentium fidei » = οὐδὲν διαφέρει τῇ τῶν πιστευόντων πίστει.

19 « uno ac principali spu (spiritu) » cf Ps 50, 14. — Irenaeus, adv haer. III 11, 8 : ἡγεμονικὸν πνεῦμα.

23 « geminus adventus » : parusia seu adventus Christi prior, scilicet in carne, humilis et despectus, iam fuit ; alter vero, in gloria et maiestate regali, futurus est.

l. 26-34. — *De testimonio quod Ioannes de se ipse exhibet in suis epistulis* (1 J 1, 1-4).

28 « sincula (singula) etiam in epistulis suis proferam (proferat) »
« sed et auditorem » loco « se et auditorem » ?
Hoc loco sermo est de pluribus Ioannis epistulis ei certe adscribendis; textus vero allegatus depromptus est ex prima, quae igitur in dubium non vocatur. Duae [aliae ?] infra (l. 69) nominantur.

l. 34-39. — *De Actis apostolorum.* — Hic liber, a Luca scriptus et Theophilo dicatus, breviter ea comprehendit, quae ab (omnibus) apostolis gesta sunt ipsius Theophili tempore, secluso tamen martyrio Petri et itinere Pauli hispanico.

35 « sub uno libro » in oppositione ad quattuor libros, in quibus unius Christi verba et facta narrantur ;
« obtime Theofile » loco « optimo Theophilo » (L 1, 3).

37 « semote » = semota passione Petri et profectione Pauli in Hispaniam, de quibus scilicet L nil refert.

l. 39-67. — *De epistulis Pauli.* — Fragmentum enumerat primo loco

pauli quae a quo loco uel qua ex causa directe
sint, uolentibus intellegere ipse declarant
primum omnium corintheis scysmae heresis in
terdicens deinceps b callatis circumcisione
romanis autem ordine scripturarum sed [et]
principium earum .... esse XPM intimans
prolexius scripsit de quibus sincolis neces
se est ad nobis desputari cum ipse beatus
apostolus paulus sequens prodecessuris sui
iohannis ordinem non nisi nomenatim semptem
ecclesiis scribat ordine tali a corenthios
prima ad efesius seconda ad philippinses ter
tia ad colosensis quarta ad calatas quin
ta ad tensaolenecinsis sexta. ad romanos
septima Uerum corintheis et t[h]esaolecen
sibus licet pro correbtione iteretur una
tamen per omnem orbem terrae ecclesia
deffusa esse denoscitur et iohannis enim in a
pocalebsy licet septem eccleseis scribat
tamen omnibus dicit uerum ad filemonem una

(l. 39-59) epistulas, quas Paulus scripsit (septem) ecclesiis: Corinthiacae (duas), Ephesinae, Philippensi, Colossensi, Galatiae, Thessalonicensi (duas), Romanae; dein (l. 59-63) eas, quas scripsit hominibus singulis (privatis): Philemoni, Tito, Timotheo (duas); tandem (l. 53-67) epistulas spurias et apocryphas (haereticas): ad Laodicenses, Alexandrinos, atque alia (scripta ?) — Epistula ad Hebraeos in hac enumeratione deest neque alio loco ab auctore fragmenti commemoratur.

42 « corintheis... callatis... romanis... » exhibet ordinem epistularum (12 CGR) in voluminibus iam tum servatum.
« scysmae heresis » = schisma et haeresis ? 1 C 1, 10; 11, 18s.

44 « ordinem scripturarum intimans » = vel « summum argumentum Scripturae « *(Cornely)*, vel gradus et evolutionem oeconomia salutis *(Zahn)*, inde a peccato originali usque ad Christum, qui gratiam superabundantem hominibus attulit (R 5, 12ss).

46 « de quibus sincolis » — cum ipse Paulus « prolixius » haec declaraverit, *non* est necesse de singulis agere. — Particula negans incuria librarii excidit.

48 « prodecessoris » = praedecessoris vel praecessoris, in munere apostolico, sensu mere temporali.

55 « licet pro correbtione iteretur » — Altera epistula ad Cor et Th quae eosdem corripiat, non auget numerum septenarium ecclesiarum, quibus Paulus scribit.
« una tamen... ». — Sicut Ap Ioannis toti Ecclesiae « diffusae per omnem orbem » scripta est, ita etiam epistulae Pauli, licet proxime dirigantur septem ecclesiis localibus.

59 « uerum ad filemonem » — Phrasis sane obscura, quam alii aliter intel-

et ad titum una et ad tymotheum duas pro affec
to et dilectione in honore tamen eclesiae ca
tholice in ordinatione eclesiastice
descepline scificate sunt. fertur etiam ad
laudecenses alia ad alexandrinos pauli no
mine fincte ad he[re]sem marcionis et alia plu
ra quae in catholicam eclesiam recepi non
potest fel enim cum melle misceri non con
cruit epistola sane iude et superscrictio
iohannis duas in catholica habentur et sapi
entia ab amicis salomonis in honorem ipsius

ligunt. Sensus videtur esse hic : Licet epistulae ad Philemonem, ad Titum, duae ad Timotheum, proprie ex affectu prodierint, quo Paulus his suis discipulis et cooperatoribus coniunctus erat, tamen simul in honorem et utilitatem et usum Ecclesiae scriptae, et hinc ab eadem ut sacrae (canonicae) agnitae et receptae sunt.

63 « scificate » = sanctificatae. Emendatio « sgificate » *(Zahn)* non videtur esse necessaria.

« fertur etiam... ». — Duae epistulae, sub nomine Pauli divulgatae reiiciuntur, quia et fictae sint et haeresim Marcionis (gnosticam) sapiant. — Epistula aliqua Pauli ad Alexandrinos non servata est ; epistula vero ad Laodicenses invenitur in multis codicibus N. T. inde a saeculo VI (cf *AHarnack*, Apocrypha IV. [Kleine Texte. n. 12] ; idem indolem Marcioniticam epistulae huius defendit : Marcion 1924[2] 172.134*ss, quam *WMundle* reicit : ZNW [1925] 76). Sed quoniam haec non infecta est haeresi Marcionis, alii referunt haec verba ad epistulam ad Ephesios Pauli, quam Marcion adulterasse dicitur.

65 « alia plura » scil. scripta apocrypha ? vel aliae plures Pauli apocryphae ? l. 68-73. — *De epistulis Iudae et duabus Ioannis, de Sapientia Salomonis, de apocalypsi Ioannis et Petri (apocalypsi? epistula?)*. — His fortasse auctor complectitur libros illos, qui utcumque ἀντιλεγόμενοι vel non in omnibus ecclesiis legebantur, vel a quibusdam reiciebantur. Hos omnes fragmentum censet sacros esse, si excipias apocalypsim (?) Petri, quae de facto saltem a quibusdam etiamtum reiciebatur. — Epistulam Iacobi non commemorat ; idem dicendum de duabus epistulis Petri, vel saltem de alterutra.

68 « superscrictio » = vel superscripti (scil. Ioannis ; ita *Cornely*) vel super scriptae = αἱ ἐπιγεγραμμέναι Ἰωάννου δύο sc. ἐπιστολαί *(Zahn)*. Intellegi videntur 2ª et 3ª epistula Ioannis. De prima dubium nullum est (l. 28ss) ; hae vero expresse ut canonicae efferuntur in oppositione ad scripta non-apostolica.

69 « in catholica » scil. Ecclesia = pro sacris habentur. Vel si mavis « inter catholica » sc. scripta numerantur. Quoad sensum nullum est discrimen.

70 « ab amicis » = ὑπὸ φίλων, fortasse ὑπὸ Φίλωνος (*Tregelles*, *Rauschen*, alii). Huic enim adscriptum esse librum Sapientiae, auctores, e. g. Hieronymus in prologo commentarii, testantur.

Quaeri potest, qua ratione hoc loco introducatur liber Sapientiae. Alii quidem legunt « *ut* sapientia » (e. g. *Cornely*), scil. eodem modo ac liber

scripta apocalapse etiam iohanis et pe
tri tantum recipimus quam quidam ex nos
tris legi in eclesia nolunt pastorem uero
nuperrim e temporibus nostris in urbe
roma herma conscripsit sedente cathe
tra urbis romae aeclesiae pio eps fratre
eius et ideo legi eum quidem oportet se pu
plicare uero in eclesia populo neque inter
profetas conpletum numero neqe inter
apostolos in finem temporum potest
arsinoi autem seu ualentini. uel mitiades
nihil in totum recipemus. qui etiam nouum
psalmorum librum marcioni conscripse
runt una cum basilide assianom catafry
cum con[s]titutorem

Sapientiae quamvis non a Salomone conscriptus tamen sub eius nomine divulgatus est, ita secunda et tertia epistula Ioanni attributa alium (alios ?) auctorem habet. Hae duae epistulae « presbytero » Ioanni de facto adscriptae sunt. — Verbis autem satisfacit sententia, quae contendit, fragmentum hoc loco Sapientiam adnumerare libris sacris, cuius auctores fuerunt « prophetae » (l. 79).

71 « apocalypse... recipimus ». — Quinam est liber iste Petri, ab aliis reiectus ? Teste Clemente Alexandrino (apud Euseb. HE VI 14, 1) apocalypsis Petri pro libro sacro habebatur (fragmenta collegit *EKlostermann*, Apocrypha I. [Kleine Texte n. 3]). Ad quam fragmentum nostrum se referre plures contendunt (e. g. *Cornely, Bardenhewer*). — Alii vero intellegunt primam epistulam Petri [« tantum » = μόνην = unam sc. epistulam] ; ita e. g. *Zahn*, qui imprimis ex rationibus historicis procedit.

l. 73-80. — *De pastore Hermae.*

Huius libri narratur et origo, negatur valor sacer seu canonicus. Auctor scilicet est Hermas, qui tempore episcopi Romani Pii (138-154 ?), fratris sui, Romae hunc librum conscripsit, « nuperrime temporibus nostris », i. e. tempore ipsius auctoris fragmenti. Ex hoc tempore et ex hac origine infertur valor sacer libri. Quia neque a propheta (VT[1]) neque ab apostolo, tempore apostolico, scriptus est, hinc utiliter quidem legitur, non vero publice in ecclesia, nam non est sacer et canonicus.

79 « profetas », prophetarum numerus est completus.

80 « in finem temporum » cf Hb 1, 1 (ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν τούτων) ; 1 C 10, 11 (εἰς οὓς τὰ τέλη τῶν αἰώνων κατήντηκεν).

l. 81-85. — *De scriptis haereticis.*

Aliter ac Pastor Hermae, absolute nimirum, reiciuntur opera haereticorum et quidem gnostica Arsinoi (= Ἀρσινοΐτου = Arsinoe oriundis, scl. Valentinus ? *Zahn*), Valentini, Miltiadis, Marcionis, Basilidis ; insuper montanistica, quae in provincia Asia [hinc « assianam »] in regione Phrygiae (hinc οἱ κατὰ Φρύγας) orta sunt.

Ex reprobatione absoluta Montanismi inferunt tempus compositionis fragmenti, scil. annum circiter 200 ; attamen determinatio temporis ab ipso auctore addita (l. 74ss) potius annum circiter 180 commendare videtur.

Excerpta quaedam ex *Canone Muratoriano* publicarunt Patres O.S.B. abbatiae Montecassinensis (*Miscellanea Cassinese* II 1 p. 1-5 ; Tipografia di Montecassino. 1897) ex quattuor codicibus istius monasterii, quae complectuntur versus 42-50, 63-69, 81-85, 54-57. Haec fragmenta simul cum prologo, in quo inserta sunt, primum *AHarnack* (Theol. Literaturzeitung 23 [1898]132), deinde *HLietzmann* in sua editione (Kleine. Texte nº 1) recepit.

vv. 42-50 :

Primo omnium Corinthis scisma heresis interdicens.
deinde galathis circumcisionem romanis autem ordinem[1]
scripturarum sed et praecipuum earum esse XPM inti
mans prolixius scripsit. de quibus singulis necesse
est nobis disputare cum ipse beatus apostolus paulus
sequens precessoris sui iohannis ordinem non nisi
nominatim septem aecclesiis scripsit ordine tali.

vv. 54-57 :

uerum corinthis et thesalonicensibus licet pro cor
reptione[2] uteretur, una tamen per omnem orbem terrae
aecclesia catholica diffusa esse dinoscitur.

vv. 63-67 :

fertur etiam ad laudicenses aliam[3] ad alexandrinos pau
li nomine ficte[4] ad heresim marcionis et alia plura
quae in aecclesia catholica recipi non oportet. fel
enim cum melle miscui non congruit

vv. 81-85 :

arsinofa[5] autem seu ualentini uel mitiadis[6] nihil in
totum recipimus qui etiam nouum psalmorum librum mar
cionis conscripserunt una cum basilide siue[7]
asiano catafrigum constitutorem.

---

1. ordine C^2.
2. correctione $C^{2,3}$.
3. alium C^2.
4. ficta C^2.
5. aromofa $C^{2,3}$.
6. mitididis C^3.
7. om. sive C^3.
8. asyano CC^3.
9. assyano CC^3; — C, C^1, C^2, C^3 designant codices n. 349. 552. 235, 535, oriundos. ex saeculo XI, praeter n. 235, qui attribuitur saeculo XII.

TABULAE CHRONOLOGICAE

ET

GENEALOGICAE

585. SETHITARUM ANNI

Gn 5,1ss (*de Hummelauer*, Gn 201)

	Samaritanus					Hebraeus					LXX Iosephi				
	A		B	C		A		B	C		A		B	C	
	Genuit anno		Vixit, postquam genuit, annos	Mortuus est anno		Genuit anno		Vixit, postquam genuit, annos	Mortuus est anno		Genuit anno		Vixit, postquam genuit, annos	Mortuus est anno	
	mundi	vitae		vitae	mundi	mundi	vitae		vitae	mundi	mundi	vitae		vitae	mundi
1 Adam	**130**	130	800	930	**930**	**130**	130	800	930	**930**	**230**	230	700	930	**930**
2 Seth	**235**	105	807	912	**1042**	**235**	105	807	912	**1042**	**435**	205	707	912	**1142**
3 Enos	**325**	90	815	905	**1140**	**325**	90	815	905	**1140**	**625**	190	715	905	**1240**
4 Cainan	**395**	70	840	910	**1235**	**395**	70	840	910	**1235**	**795**	170	740	910	**1535**
5 Malaleel	**460**	65	830	895	**1290**	**460**	65	830	895	**1290**	**960**	165	730	895	**1690**
6 Iared.....	**522**	62	785	847	**1307**	**622**	162	800	962	**1422**	**1122**	162	800	962	**1922**
7 Henoch.....	**587**	65	300	365	**887**	**687**	65	300	365	**987**	**1287**	165	200	365	**1487**
8 Mathusala ..	**654**	67	653	720	**1307**	**874**	187	782	969	**1656**	**1474**	187	782	969	**2256**
9 Lamech	**707**	53	600	653	**1307**	**1056**	182	595	777	**1651**	**1656**	182	595	777	**2251**
10 Noe	**1207**	500	450	950	**1657**	**1556**	500	450	950	**2006**	**2156**	500	450	950	**3106**
Diluvium		600			**1307**		600			**1656**		600			**2256**

586. SEMITARUM ANNI

Gn 11,10-32 (*de Hummelauer*, Gn 342)

	Samaritanus						Hebraeus						LXX					
	A		B	C			A		B	C			A		B	C		
	Genuit anno		Vixit, postquam genuit, annos	Mortuus est anno			Genuit anno		Vixit, postquam genuit, annos	Mortuus est anno			Genuit anno		Vixit, postquam genuit, annos	Mortuus est anno		
	diluvii	vitae		vitae	diluvii	mundi	diluvii	vitae		vitae	diluvii		diluvii	vitae		vitae	diluvii	
11 Sem.....	**0**	100	500	600	**500**	**1807**	0	100	500	(600)	**500**		**0**	100	500	(600)	**500**	
12 Arphaxad.	**135**	135	303	438	**438**	**1745**	35	135-100	303+100	(438)	**438**		**135**	135	300+100	(535)	**535**	
Cainan ...	—	—	—	—	—	—	—	—	— —	—	—		265	130	330	(460)	**595**	
13 Sale.....	**265**	130	303	433	**568**	**1875**	65	130-100	303+100	(433)	**468**		**395**	130	330	(460)	**725**	
14 Heber ...	**399**	134	270	404	**669**	**1976**	99	134-100	270+100+60	(464)	**529**		**529**	134	270	(404)	**799**	
15 Phaleg	**529**	130	109	239	**638**	**1945**	129	130-100	109+100	(239)	**338**		**659**	130	109+100	(339)	**868**	
16 Reu.....	**661**	132	107	239	**768**	**2075**	161	132-100	107+100	(239)	**368**		**791**	132	107+100	(339)	**998**	
17 Sarug	**791**	130	100	230	**891**	**2198**	191	130-100	100+100	(230)	**391**		**921**	130	100+100	(330)	**1121**	
18 Nachor ..	**870**	79	69	148	**939**	**2246**	220	79-50	69+50	(148)	**339**		**1100**	179	69+60	(308)	**1229**	
19 Thare.....	**940**	70	75	145	**1015**	**2322**	290	70	75+60	(205)	**425**		**1170**	70	(75+60)	(205)	**1305**	

687. AB ABRAHAM USQUE AD JOSEPH

(*de Hummelauer*, Gn 359)

Abraham	Sara	Ismael	Isaac	Iacob	Ioseph		Anno mundi
						Abraham nascitur Gn 11,26; 17,1	2247
10						Sara nascitur 17, 17	2257
75	65					Thare moritur, Abraham migrat ex Haran 11, 32 ; 12, 4	2322
						Expeditio Chodorlahomor	
85	75					Abraham ducit Agar 16, 3	2332
86	76					Nascitur Ismael 16, 16	2333
99	89	13				Promittitur Isaac, instituitur circumcisio 17, 1. 24. 25	2346
						Sodomae ruina : cf 17, 21 et 18, 10	
100	90	14				Nascitur Isaac 21, 5	2347
137	127	51	37			Sara moritur 23, 1	2384
140	—	54	40			Isaac ducit Rebeccam 25, 20	2387
160		74	60			Nascuntur Esau et Iacob 25, 26	2407
175		89	75	15		Abraham moritur 25, 7	2422
—		114	100	40		Nuptiae Esau priores 26, 34	2447
		137	123	63		Moritur Ismael 25, 17	2470
		—	138	78		Iacob proficiscitur in Haran 31, 38. 41	2485
			145	85		Iacob ducit Liam et Rachelem 29, 18. 27	2492
			152	92		Nascitur Ioseph 30, 25 ; 31, 41	2499
			158	98	6	Iacob redit ex Haran 31, 38. 41	2505
			169	109	17	Ioseph a fratribus venditur 37, 2	2516
			180	120	28	Isaac moritur 35, 28	2527
			—	122	30	Ioseph coram Pharaone sistitur 41, 46	2529
						Anni septem fertilitatis	2529-2536
						Nati Ephraim et Manasse 41, 50 ante	2536
						Anni septem sterilitatis	2536-2543
				130	38	Ioseph a fratribus agnoscitur 45, 6	2537
				130	38	Iacob in Aegyptum descendit 47, 9	2537
				147	55	Iacob moritur 47, 28	2554
				—	110	Ioseph moritur 50, 22. 25	2609

588. CHRONOLOGIA ISRAEL USQUE AD SAUL

c. 1950-1500	Aetas Patriarcharum
1950	Vocatio Abrahae
1570	Moyses nascitur
1490	Exodus ex Aegypto Thutmosi III Pharaone
1450	Moyses moritur
1450	Ingressus in terram promissam
c. 1450-1050	Aetas Iosue et Iudicum

1. *Periodus aetatis Iudicum*

Jdc 3, 7 servitus Chusan	annis	8
— 3, 11 requies per *Othonielem* obtenta	—	40
— 3, 14 servitus moabitica	—	18
— 3, 30 requies per *Aod* obtenta (3, 31 *Samgar* contra Philisthaeos)	—	80
— 4, 3 servitus Chananaeorum	—	20
— 5, 31 requies per *Debboram* et *Barac* obtenta	—	40

2. *Periodus aetatis Iudicum*

— 6, 1 servitus madianitica	—	7
— 8, 28 requies per *Gedeonem* obtenta	—	40
— 9, 22 Abimelechi tyrannis	—	3
— 10, 2 *Thola*	—	23
— 10, 3 *Iair*	—	22

3. *Periodus aetatis Iudicum*

— 10, 6 servitus ammonitica	—	18
— 12, 7 *Iephtae* principatus	—	6
— 12, 9 *Abesan*	—	7
— 12, 11 *Ahialon*	—	10
— 12, 14 *Abdon*	—	8
— 13, 1 servitus philisthaica, includens etiam annos 20 *Samsonis*	—	40

Cf *de Hummelauer*, Jdc 10-13.

LDesnoyers, Histoire du peuple hébreu des Juges à la captivité I, 407-417.

De quaestionibus chronologicis in universum cf *ERuffini*, Chronologia Veteris et Novi Testamenti in aeram nostram collata, R. 1924. *ADeimel*, VT Chronologia, R. 1912. *IPlessis*, DBbl Suppl. I 774-800. *VCoucke*, l. c. 1245-79.

589. REGES IUDA ET ISRAEL

Saul	c. 1050-1010
David	c. 1010-970
Salomon	c. 970-930

Regni divisio c. 930 (aut 932)

Reges Iuda	*Reges Israel*
c. 930-913 Roboam	c. 930-909 Ieroboam I
912-910 Abia	909-908 Nadab
910-870 Asa	908-885 Baasa
	885-884 Ela
	884 Zambri
	884-873 Amri
	884-881 Thebni
870-849 Iosaphat	873-854 Achab
(antea 3 annis cum Asa ?)	854-853 Ochozias
849-842 Ioram	853-842 Ioram
842 Ochozias	842-815 Iehu
842-836 Athalia	
836-797 Ioas	814-798 Ioachaz
797-789 Amasias	798-783 Ioas
789-738 Azarias	783-743 Ieroboam II
	743 Zacharias
	743 Sellum
738-736 Ioatham	742-737 Manahem
(antea 13 annis cum Azaria ?)	737-736 Phaceia
736-721 Achaz	736-732 Phacee
	732-724 Osee
721-693 Ezechias	724-722 Samaria oppugnata
693-639 Manasses	
639-638 Amon	
638-608 Iosias	
608 Ioachaz (3 mens.)	
608-598 Ioakim	
598 Ioachin (3 mens.)	
597-587 Sedecias	
587 Ierusalem expugnata	

1. *Salomon* c. 930 mortuus esse videtur, quod rationes a Kugler allatae suadent. Hoc autem potius 930 quam 929 factum esse censemus. Anno enim quinto Roboam *Sesac* ascendit in Ierusalem (3 Rg 14, 25). Cum autem Sesac mortuus sit c. a. 925, non videtur eodem anno expeditio in Iudaeam et exstructio portae in templo Karnak admitti posse (anno 21 regis), in qua porta victoria descripta est. Notamus autem hos synchronismos in non paucis probabilitatem non excedere; cf n. 216.

590. AEGYPTIORUM REGES

c. 3197-2779 Dynastiae I-II, Thinitae[1].

Regnum vetus c. 2779-2424.

c. 2779-2724 Dynastia III, Memphitae.
Zoser (Sakkara).
c. 2723-2566 Dynastia IV
Snofru, Cheops, Chephren,
Mencheres (Mykerinos).
c. 2565-2424 Dynastia V, Elephantini.
c. 2423-2000 Dynastiae VI-XI.

Regnum medium c. 2000-1580.

c. 2000-1785 Dynastia XII, Diospolitae.
Amenemhet I c. 2000-1981.
Sesostris I c. 1980-1939.
Sesostris III c. 1887-1850.
c. 1785-1580 Dynastiae XIII-XVI.
c. 1680-1580 Dynastiae XV-XVI, Hyksos.

Regnum novum c. 1580-1100.

c. 1580-1540 Dynastia XVII.
Amosis I c. 1580-1555 (expellit Hyksos).
c. 1540-1320 Dynastia XVIII.
Thutmosis I c. 1540-1501.
Hatsepsu, Thutmosis II, Thutmosis III 1501-1447.
Amenophis III (Memnon) 1420-1384.
Amenophis IV (Ech-en-aton) (Tell el-Amarna, tabulae) 1384-64.
Tut-ench-Amon, Haremheb c. 1356-15.
c. 1320-1205 Dynastia XIX.
Ramses I c. 1320-18, Sethi I c. 1318-1300.
Ramses II 1300-1234.
Merenptah 1234-24.
c. 1205-1090 Dynastia XX.
Ramses III 1200-1169.
c. 1090-945 Dynastia XXI, Tanitae.
c. 945-745 Dynastia XXII.
Sesonk I (c. 945-925) (Sesac, 3 Rg 14, 25ss; 2 Par 12, 1ss, a. 5 Roboam ascendit in Ierusalem, c. 926).
c. 745-712 Dynastiae XXIII, XXIV.
c. 715-660 Dynastia XXV, Aethiopes.
Sabakon c. 715-700.
Taharka (Tarhaca) 688-663 (Aegyptus ab Assyriis expugnata 671).

1. Plura sunt incerta; cf *EMeyer*, Die ältere Chronologie Babyloniens, Assyriens u. Aegyptens, Stuttg. u. B., 1925.

c. 663-525	Dynastia XXVI, Saitae.
	Psammetichus I 663-609.
	Necho I 609-593 (Iosias occumbit, 4 Rg 23, 29ss).
	Psammetichus II 593-588.
	Apries (Hophra, Jr 44, 30) 588-569.
	Amasis 569-526.
	Psammetichus III 525.
525-332	Dynastia XXVII, *Persae*.
c. 404-341	Dynastiae XXVIII-XXX, Saitae, Mendesii, Sebennytae.
332-30	*Alexander M. et Ptolemaei*.
30-	*Romani*.

591. REGES BABYLONIORUM

Dynastia I (Amoritarum)

1. Sumuabu (14 a.)	2049-2036
2. Sumulailu (36 a.)	2035-2000
3. Sabu (14 a.)	1999-1986
4. Apilsin (18 a.)	1985-1968
5. Sinmuballit (20 a.)	1967-1948
6. Chammurapi (43 a.)	1947-1905
7. Samsuiluna (38 a.)	1904-1867
8. Abesu (28 a.)	1866-1839
9. Ammiditana (37 a.)	1838-1802
10. Ammisaduqa (21 a.)	1801-1781
11. Samsuditana (31 a.)	1780-1750

Postea Babylon ab Hethitis expugnatur, sequuntur dynastiae Cassitarum, a s. 13 incipiunt Assyrii dominari Babyloniis eisque reges imponunt aut ipsi titulum regum assumunt. Sed saepe Babylonii iugum Assyriorum exusserunt et suos reges habuerunt, donec regnum neobabylonicum exortum est (626).

Marduk-apal-iddin II (Merodach Baladan, cf Is 39, 1)	721-710
Samas-sum-ukin (Sammuges), frater Assurbanipal	668-648
Nabopolassar	626-605
Nebukadnezar II	604-562
Evil-Merodach	561-560
Neriglissar	559-556
Naboned (Nabu-naid)	555-539
Cyrus	538-529

Kugler, Von Moses bis Paulus, 1922, 497-501 ; Sternkunde und Sterndienst in Babel II 2, 1924, 563-571. 383ss. *EMeyer*, Die ältere Chronologie Babyloniens.

592. ASSYRIORUM REGES

Adad-nirari III	912-890
Tukulti-Ninib II	890-884
Asur-nasir-pal II	884-860
Sulmanu-asaridu III	859-826
Samsi-adad IV	825-811
Adad-nirari III (Semiramis 810-805)	810-782
Sulmanu-asaridu IV	781-772
Asurdan III	771-754
Adad-nirari IV (usurpator)	c. 763-754
Asur-nirari II	753-746
Tukulti-apil-esara III	746-727
Sulmanu-asaridu V	727-722
Sarru-ukin (Sargon) II	722-705
Sin-ache-erba (Sanherib)	705-681
Asur-ach-iddin (Assarhaddon)	681-669
Asur-bani-apal	c. 669-635
Asur-etil-ilani	c. 635-629
Sin-sum-lisir (usurpator)	629
Sin-sar-iskun (Assur expugnatur 614)	629-612
Interitus Ninive	612
Asur-uballit II (in Harran)	612-606

De ultimorum regum chronologia nondum omnino constat. Sed certum esse videtur Asurbanipal c. a. 635-33 mortuum esse. De aliorum regum chronologia cf *Kugler*, Sternkunde II 2, 325-380; *EUnger*, Assyr. u. Babyl. Kunst., Br. 1927, 39ss. *Essad Nassouhi*, Grande liste des rois d'Assyrie, Archiv f. Orientforschung IV 1, B. 1927. *Weidner* exhibet totam seriem (l. c. 11-17). Reges ab Asur-nasir-pal in lapide Constantinopolitano non leguntur.

593. REGES MEDORUM ET PERSARUM

c. a.		c. a.	
699-647	Deioces (Dajaukku ?)	612	Ninive destruitur
647-625	Phraortes	585-550	Astyages
625-585	Cyaxares, Uvakshatara		

Achaemenidae



594. GENEALOGIA PTOLEMAEORUM



595. GENEALOGIA SELEUCIDARUM



1. Suppositus Antiochi IV filius



596. SUMMI PONTIFICES

Post reditum ex exsilio : Iosue, filius Iosedec; Ioacim, filius Iosue; Eliasib, filius Ioacim; Ioiada, filius Eliasib; Iohanan, filius Ioiada; Ieddoa, filius Iohanan; deinde

Onias I, filius Ieddoa, cui aequalis erat Areus (309-265 a. Chr.) rex Spartae;

Simon I, Iustus, filius Oniae I;

Eleazar, frater Simonis, tempore Ptolemaei II Philadelphi (284-246);

Manasses, avunculus Eleazari;

Onias II, filius Simonis I Iusti, tempore Ptolemaei III Euergetis I (246-221);

Simon II, filius Oniae II (Sir 50, 1ss);

Onias III, filius Simonis II, tempore Seleuci IV Philopatoris (187-175) et Antiochi IV Epiphanis (175-164); cf 2 Mach 3, 1s; 4, 1ss; 15, 12. 14;

Onias IV, filius Oniae III, pontifex in novo templo, quod Leontopoli in nomo heliopolitano c. a. 160 a. Chr. exstruxit annuente Ptolemaeo VI Philometore.

Aetate machabaica : Iason I, filius Simonis II; Menelaus I; Alcimus I; deinde post septennium Ionathan Mach.; Simon Mach.; Ioannes Hyrcanus I; Aristobulus I; Alexander Iannaeus; Hyrcanus II; Aristobulus II; Hyrcanus II secundo; Antigonus, filius Aristobuli II.

Ab **Herode I** constituti pontifices : Ananelus; Aristobulus III; Ananelus secundo; Iesus ὁ τοῦ Φαβητος (Φιαβι); Simon; Matthias; Ioseph; Ioasar.

Ab **Archelao** constituti pontifices : Eleasar; Iesus ὁ Σεέ; Ioasar secundo.

A **Romanis** constituti pontifices : Annas; Ismael; Eleasar; Simon; Caiphas; Ionathan; Theophilus.

Ab **Agrippa I** constituti pontifices : Simon Kantheras; Matthias; Elionaeus.

Ab **Herode** fratre Agrippae I rege Chalcidis constituti pontifices : Ioseph; Ananias (A 23, 2; 24, 1).

Ab **Agrippa II** pontifices constituti sunt : Ismael; Ioseph Kabi; Ananus filius Anani; Iesus filius Damnaei; Iesus filius Gamalielis; Matthias filius Theophili; a populo tempore belli iudaici constitutus est Phannias seu Phinasus, filius Samuelis.

---

597. DOMUS HASMONAEORUM

(Asamonaeus ?)

Mathathias † 166 a. Chr.

Ioannes †161 (*Gaddis*) | *Simon* 142-135 (*Thasi*) | *Iudas* 165-161 (*Machabaeus*) | *Eleazar* †162 (*Abaron*) | *Ionathan* 161-143 (*Apphus*)

Iudas † 135 | *Ioannes* Hyrcanus I 135-104 | *Mathathias* † 135 | Filia 1 Mach 16, 12 [*Ptolemaeus*]

Aristobulus I 104-103 [Alexandra Salome] | Alexander Iannaeus 103-76 [Alexandra Salome] 76-67 | Antigonus † 105

Hyrcanus II † 30 63-40 | Aristobulus II † 49 67-63

Alexandra † 28 (coniuges) Alexander † 49 | Antigonus 40-37

Aristobulus III † 35 | Mariamme † 29 [*Herodes I*] | Filia [Antipater filius *Herodis I*]

Nomina biblica litteris cursivis exhibentur.

598. DOMUS HERODIANA

Indicantur typis cursivis nomina biblica, in parenthesi [ ] coniuges



599. HERODES I



Nomina biblica exhibentur typis cursivis.

600. CHRONOLOGIA DOMUS HERODIANAE

I. Initia dynastiae

Cf *Flav. Ios.* Ant. XIV 1,3-16,4; Bell. Iud. I 6,2-18,3.

Annis 67-63 a. Chr. (687-691 ab U. c.) Aristobulo II regnante Antipater, filius Antipae (Antipatri) praefecti Idumaeae tempore Alexandri Iannaei et pater Herodis I favet partibus Hyrcani II, qui erat frater Aristobuli II.

Anno 63 (691) Pompeius Hierosolyma occupat.

Annis 63-40 (691-714) Hyrcano II regnante ad honores ascendunt Antipater eiusque filii Phasael et Herodes. Post pugnam ad Pharsalum (die 9 Aug. 48) et mortem Pompei (die 28 Sept. 48) Hyrcanus II et eius amicus Antipater statim partibus Caesaris favent.

Anno 47 (707) Phasael Hierosolymis, Herodes in Galilaea duces (στρατηγοί) constituuntur. Herodes Coelesyriae praeficitur a Sexto Caesare Syriae praeside et iterum a Cassio (post necem Caii Iulii Caesaris die 15 Martii 44).

Anno 43 (711) Antipater veneno interficitur.

Post pugnam ad Philippos (autumno anni 42) Phasael et Herodes coram Antonio a Iudaeis accusantur, sed ab eodem tetrarchae Iudaeae nominantur autumno anni 41.

Anno 40 (714) magna invasio Parthorum. Hyrcanus II mutilatur et captivus abducitur; Phasael morte violenta abripitur; Antigonus filius Aristobuli II rex et pontifex declaratur. Herodes aufugiens ad Antonium et Octavianum Romam contendit et a senatu romano rex Iudaeae creatur.

Annis 39-37 (715-717) Antigono regnante Herodes bellum gerit, in quo ipsius frater Ioseph ab Antigono victus occiditur; anno 37 dum Hierosolyma obsidet, Herodes Samariam profectus nuptias celebrat cum Mariamme nepti Hyrcani II; Hierosolyma expugnat (circiter mense Iulio). Antigonus Antiochiae securi percutitur ex mandato Antonii (cf Ant. XV 1, 2).

II. Regnum Herodis I

Cf *Flav. Ios.* Ant. XV 1,1-XVII 8,1. Bell. Iud. I 18,4-33,8.

Anno 37 (717) Herodes primos amicorum Antigoni interficit.

Anno 36 (718) Hyrcanus II a Parthis dimissus ad Herodem rediit et honorificentissime excipitur.

Anno 36/35 ineunte Herodes Aristobulum III, Mariammes uxoris suae fratrem, pontificem constituit et exeunte eodem anno mox post festum tabernaculorum Ierichunte in piscinam immersum occidit.

Anno 34 (720) Ioseph, maritus Salomes sororis Herodis, occiditur. Cleopatra, cum ab Antonio oram phoeniciam Tyro ac Sidone exceptis et partes Arabiae ac Iudaeae impetrasset, Herodem invisit.

Anno 31 (723) post victoriam Octaviani Augusti ad Actium (die 2 Sept.) illius partes tuetur Herodes contra gladiatores Antonii.

Anno 30 (724) Herodes Hyrcanum II occidit, Rhodum contendit ad Augustum, ab eo rex confirmatur, Augustum in Aegyptum proficiscentem apud Ptolemaida honorifice excipit; eodem anno in Aegyptum iter facit, Augustus ei Iericho restituit eiusque regno addit Gadaram, Hippon, Samariam, Gazam, Anthedona, Ioppenturrim Stratonis (Caesaream Palaestinae).

Anno 29 (725) Mariamme uxor Herodis supplicio capitis afficitur.

Anno 29/28 Alexandra filia Hyrcani II et mater Mariammes supplicio punitur.

Anno 28/27 morte multantur Costobarus secundus, maritus Salomes sororis Herodis, et filii Babae Hasmonaei.

Anno circiter 24 (730) Herodes uxorem ducit Mariammen filiam sacerdotis, quem eodem tempore pontificem nominat.

Anno 23/22 Alexander et Aristobulus Mariammes prioris Romam mittuntur.

Anno 20 (734) Pheroras, frater Herodis, tetrarcha Peraeae nominatur.

Anno 20/19 initium instaurationis templi.

Anno 18/17 Herodes primum inter romanum instituit et filios reducit.

Anno 14 (740) initium discordiarum inter Herodem et filios Mariammes, Alexandrum et Aristobulum. Antipater, filius Doris, primae uxoris Herodis, patri reconciliatus ad aulam regiam iterum admittitur.

Anno 13 (741) Antipater Romam mittitur.

Anno 12 (742) Herodes secundum iter romanum instituit cum filiis suis Alexandro et Aristobulo, quos coram Augusto accusat. Aquileiae Augustus litigantes reconciliat. Antipater cum illis in Iudaeam revertitur.

Anno 8 Herodes Alexandrum et Aristobulum in vincula conicit, litteris eos laesae maiestatis apud Caesarem accusat eōque annuente, ut de filiis pro arbitrio statueret, illos Samariae (Sebaste) strangulari iubet (a. 7).

Anno 5 Antipater Romam proficiscitur. Herodes primo testamento successorem sibi constituit Antipatrum vel, si hic ante ipsum moriatur, Herodem (Philippum) filium Mariammes alterius.

Anno 5 (749) Pheroras frater Herodis moritur ; Antipater in Iudaeam revertitur, accusatur, in vincula conicitur. Herodes morbo correptus secundo testamento successorem sibi constituit Antipam filium natu minimum ex Malthace Samaritana genitum.

Anno 4 (750) Herodes, potestate ab Augusto accepta, Antipatrum interfici iubet ; tertio testamento Archelaum, filium natu maiorem Malthaces Samaritanae, regem totius regni constituit, eius fratrem Antipam tetrarcham Galilaeae et Peraeae, Philippum filium Cleopatrae Hierosolymitidis tetrarcham Gaulanitidis, Trachonitidis, Batanaeae, Paniadis ; quinto post occisum Antipatrum die Herodes Ierichunte moritur.

III. Successores Herodis

Cf *Flav. Ios.* Ant. XVII 9,1-XX 9,7 ; Bell. iud. II 1, 1ss.

Annis 4 a. Chr.-6 p. Chr. Archelaus ethnarcha administrat Iudaeam, Samariam, Idumaeam ; Romam vocatus ab Augusto in exsilium mittitur Viennam Galliae.

Annis 6-41 p. Chr. Iudaea a procuratoribus romanis administratur.

Annis 4 a. Chr.-34 p. Chr. Philippus, filius Cleopatrae, tetrarcha administrat Batanaeam, Trachonitidem, Auranitidem, Gaulanitidem, Paniadem et Ituraeam (L 3, 1). Philippo mortuo tetrarchia haec provinciae Syriae attributa est annis 34-37 p. Chr.

Annis 4 a. Chr.-39 p. Chr. Herodes Antipas tetrarcha Galilaeam et Peraeam administrat.

Anno 39 Antipas a Caligula in exsilium mittitur Lugdunum Galliae.

Anno 37 Herodes Agrippa I filius Aristobuli filii Herodis a Caligula tetrarchiam Philippi (et Lysaniae) cum titulo regio impetrat.

Anno 39 (vel 40) Agrippa I etiam tetrarchiam Herodis Antipae a Caligula accipit.

Anno 41 Agrippa I a Claudio imperatore rex confirmatur et insuper Iudaeam ac Samariam accipit.

Anno 44 Herodes Agrippa I moritur.

Annis 44-66 Palaestina a procuratoribus romanis administratur.

Anno 48 Herodes rex Chalcidis, frater Agrippae I, moritur.

Anno 50 Herodes Agrippa II filius Agrippae I a Claudio accipit Chalcidem in Libano, regnum patrui sui Herodis.

Anno 53 Agrippa II Chalcidi renuntians a Claudio accipit tetrarchiam Philippi (Batanaeam, Trachonitidem, Gaulanitidem) et tetrarchiam Lysaniae (Abilam), quibus postea Nero imperator aliquas partes Galilaeae et Peraeae addidit.

Annis 66-73 in magno bello iudaico Agrippa II est fidelis socius Romanorum.

Anno 100 Agrippa II moritur eiusque regnum provinciae Syriae attribuitur.

WOtto, Herodes, Real-Encycl. der class. Altertumswissensch. Supplem. II, 1-200.

601. PRAESIDES SYRIAE

Syria in NT° est provincia romana Syriae, cuius praesides Antiochiae residebant. Subiungimus eorum catalogum usque ad annum 70 p. Chr., quo tempore Palaestina a reliqua Syria separata et provincia romana facta est.

1. *Syria tempore Pompei* 65-48

65-62 M. Aemilius Scaurus.
61-60 Marcius Philippus.
59-58 Lentulus Marcellinus.
57-55 A. Gabinius.
54-53 M. Licinius Crassus.
53-51 C. Cassius Longinus.
51-50 M. Calpurnius Bibulus.
50-49 Veiento.
49-48 Q. Metellus Scipio.

2. *Syria tempore Caesaris* 47-44

47-46 Sextus Caesar.
46 Caecilius Bassus.
45 B. Antistius Vetus.
44 L. Statius Murcus.

3. *C. Cassius Longinus* 44-42

4. *Syria regnante M. Antonio* 41-30

41-40 Decidius Saxa.
39-38 P. Ventidius.
38-37 C. Sosius.
35 Lucius Munacius Plancus.
32-31 ? L. Calpurnius Bibulus.

• *Syria regnante Octaviano Augusto*
30 a. Chr. 14 p. Chr.

30 a. Chr Q. Didius.
29 M. Messalla Corvinus.
28 ? M. Tullius Cicero (filius oratoris).
?-23 Varro.
23-13 M. Agrippa.
?-10 M. Titius.
9-6 C. Sentius Saturninus. (Quirinius ?)
6-4 P. Quintilius Varus.
3-2 P. Sulpicius Quirinius ?
1 a.-4 p. Chr. C. Caesar.
4-5 p. Chr. L. Volusius Saturninus.
6- ? P. Sulpicius Quirinius.
12-17 Caecilius Creticus Silanus.

6. *Syria regnante Tiberio* 14-37

17-19 Cn. Calpurnius Piso.
19-21 Cn. Sentius Saturninus.
-32 L. Aelius Lamia.
32-35 ? L. Pomponius Flaccus.
35-39 L. Vitellius.

7. *Syria regnante Caligula* 37-41

39-42 P. Petronius.

8. *Syria regnante Claudio* 41-54

42-44 C. Vibius Marsus.
45-50 C. Cassius Longinus.
50-60 C. Ummidius Quadratus.

9. *Syria regnante Nerone* 54-68

60-63 Cn. Domitius Corbulo.
63-66 C. Cestius Gallus.
67-69 C. Licinius Mucianus.

602. PROCURATORES ROMANI

Procuratores romani, qui Iudaeam et Samariam administrabant, fuerunt annis p. Chr.

c. 6-9 Coponius
c. 9-12 Marcus Ambibulus (codd. Αμβιβουχος)
c. 12-15 Annius Rufus
15-26 Valerius Gratus
26-36 Pontius Pilatus
36-37 Marcellus
37-41 Marullus

Deinde totam Palaestinam administrabant annis

44 Cuspius Fadus
48 Tiberius Alexander
48-52 Ventidius Cumanus
52-60 Felix, frater Pallantis, maritus Drusillae
60-62 Porcius Festus
62-64 Albinus
64-66 Gessius Florus

603. CHRONOLOGIA AETATIS APOSTOLICAE

Anno fere 746 a. U. c. (c. 9/8 ante aeram nostram ; sec. alios c. 748) nativitas D. N. Iesu Christi (cf *Ruffini*, Chronologia 123ss ; *Power*, Bbc 9 [1928] 257-288).

Anno fere 754 (c. 1 p. Chr.) nascitur Paulus Tarsi. Hierosolymis eruditur.

